ANNO XXX - N. 1 | Die 15 Ianuarii 1916

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

Pro Italia, Lib. 10 — Pro exteris regionibus, Lib. 11.

Pro unoquoque numero, Lib. 1.

Fili hominis, pone cor tuum et ... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

Ezechiel. 44, 5.

Tanti refert ut, quae Ecclesia de sacra Liturgia decrevit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta sancte tractentur, et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.

Ex Leonis Pp. XIII, 16 Maii [illegible]



Directio et Administratio

Roma - 49 Piazza di S. Apollinare 49.

= SUMMARIUM =

Acta Benedicti PP. XV. Epistola ad R. D. E. Villette, Moderatorem archisodalitatis ab Agonia D. N. I. C. ad Gethsenuncupatae . . . . pag. 3
Acta sanctae Sedis sacram Liturgiam spectantia: Decretum in Lucionem 12 aug. 1854 (*Finis*) . . . . » 5
Acta Academiae Liturgicae Romanae . . . . » 14
Consuetudines in functionibus liturgicis . . . . » 17
Consultationes: . . . . » 42
Breviora responsa . . . . » 51

" VERBUM DEI "

Periodico Settimanale di Sacra Predicazione

Esce in Torino il **SABATO** in fascicoli di 28 pagine

Abbonamento annuo: **Italia L. 7,50 - Estero L. 10.**

Direzione ed Amministrazione presso la **Libreria del Sacro Cuore, TORINO, Via Garibaldi, 18**

Direttore: Sac. Teol. **Eugenio MASCARELLI** Vice-Rettore e Prof. di S. Eloquenza nel Seminario Metropolitano di Torino.

Il VERBUM DEI si propone di agevolare al R. Clero l'ordinario ministero della parola, procurandogli materiali sicuri, sostanziosi e pratici, secondo lo spirito della Lettera Circolare sulla Sacra Predicazione emanata dalla S. C. dei VV. e RR. (13 luglio 1894).

Pubblica settimanalmente: 1. Una spiegazione di Vangelo; 2. Un'istruzione parrocchiale; 3. Un Panegirico oppure un discorso d'occasione - (ogni svolgimento è preceduto dallo schema); 4. Un riassunto schematico tratto dagli oratori classici.

Pubblica saltuariamente e secondo le circostanze: 1. Prediche varie, discorsini, fervorini, schemi, brani scelti, citazioni, ecc.; 2. Articoli riguardanti la S. Predicazione; 3. Una rubrica bibliografica dei libri degni di essere raccomandati per formare una utile e soda biblioteca sacerdotale: 4. Atti della S. Sede che più direttamente interessano il clero secolare.

Sommario dei fascicoli di:

GENNAIO

Brevissime spiegazioni del Vangelo (Arc. Antonio Bori). 2 gennaio domenica vacante: il ss. Nome di Gesù — Dom. 1ª dopo l'Epif. Gesù co' Dottori — 2ª il mirac. delle nozze di Cana — 3ª il servo del centurione guarito — 4ª tempesta sedata.

Corso di istruzioni parrocchiali - (Can. Poey). Cresima - Eucaristia - Presenza reale - Materia, Forma, Ministro - Effetti.

Discorsi: 1° giorno dell'anno - Circoncisione (Dott. Gregori) - Auguri pel nuovo anno - L'Epifania (P. Sales O. P.) - Ferv. sul detto mistero (Dott. Gregorio) - Schema di sermone sull'Epif. - Pel tempo di Natale (Teol. De Stefanis).

Conferenze alle spose e alle madri cristiane. (Dott. Gregori) - S. Agnese (Nuet) - Istruzioni ad Associaz. e Circoli operai (Duhayon Lyna). S. Famiglia (Weinzierl).

ANNUS XXX 1916

LIBRARY

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTERORUM CONGREGATIONIS MISSIONIS

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE
Pro Italia, Lib. 10 – Pro exteris regionibus, Lib. 11.
Pro quoquoque numero, Lib. 1.

Fili hominis, pone cor tuum et [illegible] omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.
Ezechiel. 44, 5.

Tanti refert ut, quae Ecclesia [illegible] sacra Liturgia decrevit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta non te[illegible]tentur, et fidelium pietas sacrorum [illegible] augeatur.
Ex Leonis Pp. XIII, 16 Maii 18[illegible].



Directio et Administratio

Roma - 49 Piazza di S. Apollinare 49.

11147

Apud Congregationem Missionis s. Vincentii a Paulo, in domo primaria Parisiensi canonica instituta fuit Archiconfraternitas ab Agonia D. N. I. C., *cuius Moderator est Superior generalis* pro tempore *eiusdem Congregationis. Cum autem praeseus Moderator humillimas literas ad Summum Pontificem misisset circa diffusionem et utilitatem piissimae devotionis erga Agoniam Redemptoris nostri, Pontifex benigne sequentem epistolam eidem remisit.*

BENEDICTUS PP. XV

Ad R. D. E. VILLETTE, Moderatorem ab *Agonia D. N. I. C. ad Gethsemani* nuncupatae, de Litteris venerationis et obsequii plenis gratias persolvens.

Dilecte Fili, religiose vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Epistola tua et incrementa nunciat archisolidatis quam moderaris, et Nostram eidem studet conciliare gratiam. At vero opus tam salutare gratiam scito non exiguam apud Nos iniisse simul ac cognovimus propositum sanctum, quo spectat, et pias preces, ad quas ingeminandas sodales suos tam studiose hortatur. Cotidianae hae preces, quas commentatio passionis Christi efficit ferventiores et ipsa eius vulnera — immensi amoris pignora —

enixe apud Patrem commendant, quanta, dilecte Fili, Ecclesiae et Nobis pollicetur! Utrumque enim, ut vides, urgent sollicitudinum caussae multiplices et graves ob hunc armorum aestum tam diuturnum, tam calamitosum: iisdemque commonitos te tuosque sodales velimus, ut et *sine intermissione oretis,* et exemplo hortatuque vestro imitatores quam plurimos nanciscamini, ut nimirum, multiplicatis ad Deum precibus, Ecclesiae, per tot aspera gradienti, largiora pateant divina subsidia.

Auspex interea caelestium munerum Nostraeque testis caritatis Apostolica sit Benedictio, quam tibi, dilecte Fili, ceterisque Archisodalitatis moderatoribus ac sodalibus universis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4 decembris 1915, Pontificatus nostri anno secundo.

BENEDICTUS PP. XV.

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

DECRETUM

In LUCIONEN. 12 aug. 1854.

(Continuatio. Vide num. 12 praec. anni, pagg. 707-715).

72. In Missa privata dum celebrans sacram Communionem administrat, clericus eum comitari cum cereo accenso non debet: sed manere debet genuflexus in cornu Epistolae.

73. In Missa solemni a Presbytero celebrata, servari potest laudabilis consuetudo, qua acolythi cum facibus comitantur celebrantem qui communionem populo distribuit.

74. Sedes Episcopi collocanda est a latere Evangelii, etiam quando chorus separatur per amplum sanctuarium.

75. Iuxta praxim Urbis, cantores superpelliceo induti in processionibus incedere debent immediate post Crucem, et in processionibus longioribus, inter medium clerum, sed ita ut ipsi non dividant corpus aliquod.

76. Sacerdos in fine administrationis Communionis extra Missam proferens verba: *Benedictio Dei etc.* debet elevare et extendere manus, eodem ritu ac dum dicit in fine Missae: *Benedicat vos etc.*

77. Acolythus, vel alius qui accendit cereos ante Missam aut ante aliam functionem, incipere debet a Cornu Evangelii, quippe nobiliori parte.

78. Servari potest consuetudo benedicendi in Sabbato Sancto aquam in aliquo vase separato, ex quo, ante infusionem Oleorum, aqua extrahitur et mittitur in fontem, iuxta decretum 7 aprilis 1832, ut fideles de more ex hoc vase separato haurire possint aquam et in domos asportare.

79. Pro diversitate circumstantiarum, quando non habentur sacra olea infundenda in aqua fontis baptismalis, servari potest tum decretum in Lucana, 12 aprilis 1755, in quo supponitur quod fortuitu casu Olea sacra retardentur, et tunc omittenda est infusio oleorum, usque dum accipiantur nova; et etiam decretum in Oriolen., 23 sept. 1827, quod loquitur de impossibilitate habendi Olea sacra, et tunc adhiberi possunt olea praecedentis anni.

80. Posito quod benedictio facta sit cum Oleis praecedentis anni, in sensu praecedentis responsionis, pro infusione Oleorum, Olea nova accepta, non sunt infundenda in aqua iam cum veteribus benedicta, sed expectandum est usque ad aliam benedictionem Fontis in vigilia Pentecostes.

81. In penultimo versu Psalmi *Legem pone*, ad Tertiam iuxta vetera et emendatiora Breviaria legendum est: *in testimoniis tuis,* non verò: *de testimoniis tuis.*

Atque ita Sacra ipsa Congregatio rescribere rata est, ac proposita dubia declarare.

Die 12 augusti 1854.

Commentarium.

Ad 72 et 73. Hic dicitur, quod clericus *non debet* comitari celebrantem cum cereo accenso, quando celebrans communionem administrat; attamen illud *non debet*, explicatione indiget.

Verbum *debere*, sine particula negativa, semper importat praeceptum ex. gr. (Rubr. Mis. I, 2); « Corporale ex lino esse *debet*. (XVIII, 1) « Paramenta altaris et celebrantis *debent* esse coloris convenientis officio ». Quando vero habet negativam particulam, non semper significatum prohibitivum habet. Ex. gr. (Rubr. Mis. III, 4): « Sacerdos *non debet* advertere quemcumque in alio altari celebrantem », est rubrica prohibitiva; aliquando autem significat ad aliquid agendum de praecepto non teneri. Ex. gr.: « Cras ieiunare *non debeo* », scilicet ad ieiunandum non sum obligatus; quod si ego libere volo, bene possum ieiunare, imo cum merito.

Porro in hac responsione *comitari non debet*, significat quod *non adest obligatio* comitandi, quod si alicubi ex lege particulari, vel ex laudabilissima consuetudine, clericus comitatur cum cereo sacerdotem communicantem, optime id fieri potest, maxime si locus communionis nimis distet ab altari; et hoc non tantum in Missa solemni, ut dicitur ad 73, sed etiam in privata. Quod enim magis vergit in honorem Ss. Eucharistiae, id facere decet, nisi in contrarium aliqua lex existat.

Ad 74. Quod sedes Episcopi collocanda sit a latere evangelii, *si chorus sit in medio ecclesiae*, lex est aperta in Caeremoniali Episcoporum (I, xiij, 2), quando scilicet altare versum non est ad populum; amplitudo sanctuarii impedire non debet quominus lex ista observetur, prout videtur dubitasse curia Lucionensis, quae dubia huiusmodi proposuit.

Ad 75. Locus pro Cantoribus in processionibus determinatus non est, nam Missale et Caeremoniale non conveniunt (Cf. *Fest. Purificationis*), et collegium Cantorum, sicut pri-

vilegio non gaudet praecedentiae, ita non dedecet eum incedere in loco superiori propriae dignitati. Ratio huius est quia Cantores dirigunt ea quae a toto clero concinenda sunt, oportet ergo, ut in processionibus, maxime longioribus in quibus numerosus est clerus, ita statuantur, ut a praecedentibus et a sequentibus apte audiantur. Ita optime tradit Bauldry (P. I, 6, 2, n. 10). In huiusmodi porro responsione opportune dicitur quod Cantores *iuxta praxim Urbis superpelliceo induti, immediate post Crucem incedere debent,* in processionibus tamen longioribus in medium clerum *ita tamen ut non dividant corpus aliquod;* id est, ita sunt collocandi ut sint inter duo *corpora* clericorum, ex. gr. inter *corpus* beneficiatorum, et *corpus* Cononicorum.

Nihilominus alias iam S. R. C. rem istam optime declaraverat, suo decreto pro nostra cathedrali Placentina die 10 maii 1653, n. 948, in quo edicitur: *Cantores in processionibus debere incedere in loco Episcopo bene viso,* atque opportune declaratur: *et exinde non inferri ad praecedentiam respectu Beneficiatorum.*

Ad 76. Multi scriptores nimis adhaerentes literae Ritualis Romani, quod, ritum benedicendi post communionem extra Missam tradens, aiebat: *Deinde extenta manu dextera, benedicit iis, qui communicarunt dicens:* Benedictio Dei *etc.*, docebant quod sacerdos non deberet elevare oculos nec extendere manus, ut fit in fine Missae. Inter eos praesertim citantur Martinucci (I, c. 24, § 2), *Cerem. della Messa di un Sac. Bolognese* (1854, p. 80), De Amicis (*Caerem. Paroch.* II, sect. 2, c. 3, n. 6) et Martinucci-Menghini (I, p. 395, vol. edit. anno 1911, scil. ante edit. Ritualis typici, 1913).

Cum autem aliqui (cf. Schober *Caerem. Mis.* c. 12, n. 3) hoc decretum in *Lucionen.* citaverint, quod in collectione decretorum desideratur, sententiam propriam ex huiusmodi omissione defendere putabant.

Attamen tam Meratus (P. II, Tit. 10, n. xxxiij) quam Cavalerius (T. 4, decr. 13, n. 41) iam suo tempore docebant: « Clausa pyxide in tabernaculo, stans sacerdos versus al-

tare, elevat oculos versus Crucem, et extendens manus, atque iungens, caputque inclinans Cruci, dicit: *Benedictio Dei* etc....

Licet enim in Rituali Romano legeretur: *deinde extenta manu dextera benedicit,* hoc intelligendum erat, non contra regulam, sed iuxta eam. Cum enim communio extra Missam non sit nisi pars ipsius Missae, nulla ratio suadet alium ritum pro benedictione adhibere. Et sane, locutio Ritualis non excludit oculorum elevationem et manuum extensionem, et cum doctores melioris notae eumdem ritum, quo utimur in fine Missae adhibendum doceant, vere nimis litterae adhaerebant illi, qui negabant extensionem manuum et elevationem oculorum.

Neque audiendi erant alii, qui rationem diversitatis ritus exquirebant in formula ipsa benedictionis dicentes: quod formula benedictionis *Benedicat vos etc.* in Missa est *optativa*, et ideo elevantur oculi et aperiuntur manus ad exprimedam invocationem benedictionis a Deo; formula autem extra Missam *Benedictio Dei etc.* est *indictiva*, ideoque non sunt elevandi oculi, neque extendendae manus. Risu profecto accipienda est huiusmodi distinctio, etenim tam verbum *bendicat*, quam *descendat*, sunt *optativa.*

Opportunissime ergo S. R. C. in hac responsione sententiam tum Merati tum Cavalerii aliorumque melioris notae doctorum (Schober l. c. P. V, ab Appeltern, S. Liturg. Prompt. p. 227) adprobavit, ita ut in novissima Ritualis Romani editione typica anno 1913 evulgata, optime rubricam, de qua agimus moderaverit, sicque nunc legitur: *Deinde elevatis oculis, extendens elevans et iungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit:* Benedictio Dei *etc.* Non est tamen in casu osculandum altare, sicut alias edixerat S. R. C. d. 10 mart. 1833, n. 2704.

Notare hic placet, quod in ritu communicandi extra Missam, alia variatio non exigui momenti inducta fuit in novissimam editionem typicam Ritualis; antea enim non erat praeceptiva recitatio Antiphonae: *O sacrum Convivium,* uti omnes notabant scriptores, dicente rubrica: *Ubi vero omnes*

communicaverint, Sacerdos reversus ad altare dicere poterit: O sacrum Convivium *etc.* Nonnulli putabant quod etiam non essent de praecepto Versiculus sequens et Oratio, locutio enim antiqua Ritualis locum dubio dare poterat; et revera interrogata S. R. C. a Curia Strigoniensi per Reverendissimum D. Theophilum Klinda magistrum caeremoniarum illius ecclesiae:

« X. Rituale Romanum optioni administrantis S. Communionem, reliquit utrum antiphonam *O sacrum Convivium* etc. recitare velit nec ne; sed ex rubrica erui non potest, num Versiculi et Oratio *Deus, qui nobis,* sint etiam ad libitum, vel omnino de praecepto », et S. Congregatio respondit: Versiculi et Oratio sunt de praecepto, d. 30 aug. 1892 ad X, n. 3792.

Cum autem universalis praxis et consuetudo exigeret ut semper diceretur eadem Antiphona, cum ℣, et oratione, ad tollendum arbitrium, et ad consequendam uniformitatem, opportunissime S. R. C. locutionem rubricae Ritualis ita mutavit: « *Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad altare dicit* »; hodie ergo praeceptiva est recitatio dictae antiphonae.

Pariter in eadem editione typica posita fuit conclusio longa ad orationem *Spiritum nobis,* tempore Paschali dicendam, post distributam communionem, sicut longa habebatur in oratione *Deus, qui nobis.*

Ad 77. Nonnullis in ecclesiis dispositio ista accepta fuerat, inter quas recordamur ecclesiam Collegii Alberoniani prope Placentiam ubi in adolescentia a Presbyteris Congregationis Missionis liturgicis studiis initiati fuimus. Cl. Schober (Mis. sol. I, 3, 13) hoc ipsum decretum in *Lucionen.* citans, docet quod clericus « ad altare vadit et accendit sex candelas incipiendo a cereis, qui sunt a cornu evangelii, quippe nobiliore parte ».

Alii vero, ut Martinucci in prima editione, nec non in novissima a cl. Menghini aucta et emendata (I, 1, 9), ac De Amicis (Caerem. Paroch. I, ij, 1, n. 104) docuerunt et

docent, quod clericus accendens candelas incipere debeat a parte Epistolae:

Hodie tamen omnis controversia dirempta est, quia S. R. C. per recentius suum decretum 1 febr, 1907, n. 4198 ad ix, ita statuendum censuit:

« Altaris cerei ita sunt accendendi, ut incipiatur ab illo qui Cruci proximius reperitur in cornu Epistolae, postea servato ordine, reliqui duo in eodem cornu existentes, ac dein accenduntur reliqui in cornu Evangelii extantes etc. ». Porro declaratio ista in *Lucionen.* non amplius est servanda.

Ad 78. Dispositio ista cohaeret cum citato decreto 7 apr. 1832 n. 2690, nec non cum alio, 4 sept. 1880 n. 3524 ad 5; igitur, ubi plebs christiana desiderat habere in propria domo aquam benedictam in Sabbato Sancto aut in vigilia Pentecostes, tunc, si vas baptisterii amplum ita non sit ut continere queat quantitatem aquae distribuendae fidelibus, tunc optime potest dolium, seu vas satis grande, iuxta fontem baptimalem poni, et aqua in eo parata benedici secundum ritum praescriptum in Sabbato Sancto, usque ad infusionem oleorum exclusive; et peracta hac prima parte benedictionis, de dicta aqua benedicta in sufficienti quantitate infundi in fontem baptismalem, et super ipsum fontem continuari benedictio ut in missali habetur, relicta aqua, quae remanet in dolio, usui fidelium. Ita disponit et concedit citatum decretum 3524.

Ad 79. In huiusmodi responsione citantur duo decreta S. R. C. in *Lucana*, 12 apr. 1755 n. 2436, et in *Oriolen.*, 4 sept. 1880 n. 3524, quod in praecedenti nota retulimus. Decretum in Lucana ad III haec declarat: « Parochi ex matricis fonte aquam, cui sacra olea iam fuerunt commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante benedictionem fontis olea sacra recipere non potuerunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt ». S. R. C. porro in hac ipsa responsione sua, declarat quod pro diversitate circumstantiarum utrumque decretum citatum servari debet. Attamen eadem sacra Con-

gregatio alio suo decreto, dato postea, die 19 sept. 1859 n. 3092, respondit quod servari debet decretum in *Oriolen.* non vero aliud in *Lucana.*

Ad rem tamen, optime notat cl. De Herdt (p. 5, n. 56), « Cum vetera olea iuxta Rituale Romanum ultra annum adhibenda non sint, nisi necessitas urgeat, cumque hoc responsum (in *Oriolen.*), ut responsum indicat, agat de casu speciali magnae distantiae a civitate episcopali, non liquet S. R. Congregationem hic regulam generalem praescribere, et decretum in *Lucana* revocare voluisse; sed dicendum est, iuxta hoc decretum in *Lucana,* si nova olea in benedictione fontis nondum habeantur, eodem autem die, vel saltem ante casum administrandi baptismum, habenda sint, sacerdotem, fontem in Sabbato Sancto benedicere posse, omittendo sacrorum oleorum infusionem, in ipsumque nova olea subinde recepta in fonte privatim admiscere, prout in Missali praescribitur ». Optima conclusio ista est, quae probatur quoque ex eo, quod in novissima Collectione decretorum praedictum Decretum in *Lucana* servatum fuit; ergo adhuc tenet; ergo confirmatur responsio data hoc loco in *Lucionen.*

Ad 80. Responsio per se patet; olea enim anno praecedenti benedicta, per se non sunt apta, nisi in casu necessitatis, ut supra declaratum est; attamen cum ipsa sint debito ritu infusa in aquam, aqua ipsa baptimalis omnino est idonea, ideoque, licet accipiantur nova olea antequam occurrat Sabbatum Pentecostes, non sunt infundenda in aquam praedictam, sed expectanda est vigilia Pentecostes, in qua nova aqua benedicenda erit cum ipsis novis oleis.

Ad 81. Responsum istud hodie non haberet locum, cum post evulgationem huiusmodi decreti *Lucionen.* plures prodierint diversis temporibus editiones typicae Breviarii Romani, in quibus semper lectum fuit: *in testimoniis tuis,* et ita legitur in novissimo psalterio Pii Pp. X. Ratio huius quaesiti petenda est ex eo, quod liturgia romana inducta feliciter fuit in Galliam sub Pio IX, et cum non omnes editiones tunc conformes essent, curia *Lucionen.* postulavit quae locutio esset sequenda.

Conclusio :

Commentarium in hoc tam longum decretum, concludentes, inutile non existimamus eius relevantiam revocare in mentem Lectorum nostrorum. Agit de rebus plurimis quae in aliis decretis non inveniuntur declaratae, ideoque summopere decet ut inter authentica decreta censeatur iuxta ea quae in exordio iam diximus. Nonnullae quaestiones in eo inveniuntur solutae, quae apud scriptores adhuc in dubio revocabantur, vel omnino in contrario sensu docebantur ; bono ergo animo decreti evulgationem, et nostrum hoc Commentarium excipient Lectores humanissimi Ephemeridum liturgicarum, in quorum commodum laborem istum non exiguum libenter suscepimus. Laus Deo. Amen.

Dr. Petrus Piacenza.

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Die XVII Novembris 1915.

In Aedibus E.mi D. Cardinalis Urbis Vicarii habitus est coetus consiliaris academicus, Praeside Eodem Eminentissimo Viro, ad novos eligendos, pro more, Consiliarios, exeuntibus, exacto quadriennio, RR. PP. DD. Petro Piacenza ed Philippo Difava, ac rite eorum loco electi sunt:

Censores a Consiliis:

R. P. D. **Alexander Verde,** Ss. Rituum Congregationis Secretarius.

R.mus P. **Paschalis Brugnani,** O. F. M.

Attentis variationibus apud Vicariatum Urbis inductis, iure Statutorum Academiae confirmatus est Censor a Consiliis R. P. D. **Iosephus Ceppetelli,** Patriarcha Constantinopolitanus Latinorum, iam Commissarius Vicariatus Urbis, nunc autem, *Urbis Vicesgerens*; R. P. D. **Franciscus Faberj,** iam Adsessor Vicariatus, inter *Censores emeritos* adnumeratus est.

Inter Censores adlectus est:

Censor honorarius:

R. P. **Pantaleo Casanueva,** e Congr.ne Filiorum Imm. Cordis Mariae.

Inter *Academicos* cooptati sunt:

P. **Antonius Minetti,** e Congr.ne Filiorum Imm. Cordis Mariae.

P. **Iosephus Acquarone,** ex eadem Congregatione.

D. **Marius Bondini.**

D. **Eugenius Gerbaldi.**

Ad maius incrementum studiorum liturgicorum, ad quem finem nostra Academia potissimum intendit, sequentia constituta sunt:

1° Praenuntiatur *Concursus*, proposito praemio, sub finem anni academici inter frequentatores sessionum academicarum habendus, cuius materia erit eadem, quae per annum agitata est. Peculiares normas, quorum interest, apud Secretariam Academiae videre queunt.

2° Ad assequendum *Diploma Academici*, praeter quam tribus casuum solutionibus, ut de more, Candidati se subiiciant oportet examini practico, seu actus et exercitationis, sacrarum Caeremoniarum.

Tandem E.mus Praeses *Commissionem* creavit R.morum DD. Angeli Martorelli, Academiae Moderatoris, Petri Piacenza et Philippi Difava, ad iudicium ferendum de solutionibus Quaestionum, pro eo quod attinet praemiorum adiudicationem.

Die 17 Decembris 1915

Habitus est primus conventus academicus anni 1915-1916, in S. Aede SS. Trinitaiis et S. Apolinaris, apud Presbyteros Congregationis Missionis, in quo quaestionem propositam resolvit D. Aloisius Traglia, ex almo Collegio Capranicensi, quam excepit, post Censorum varias animadversiones, Epitome habita per R. P. D. Philippum Difava, Ss. Rituum Congregationis Substitutum ex Censoribus.

Plurimi interfuerunt Sacerdotes aliique clerici ex utroque clero, qui, una cum Censoribus, Em.mo D. Cardinali Basilio Pompilj, Urbis Vicario et Academiae Praesidi, adstabant.

In fine sessionis, locus fuit praemiorum distributioni, hoc est magnorum nusmismatum ex argento, quae ex munificentia SS. D. N. Benedicti Pp. xv, inter eos distributa sunt, qui, anno academico praecedenti, meliores dederunt casuum solutiones ac inter eos pariter, qui maiori assiduitate ac diligentia ad annuales conventus convenerunt.

Opportuno et efficaci sermone, tamquam coronide, E.mus Praeses omnes praesentes adhortatus est, ac praecipue prae-

mio donatos, ut in bene coeptis perseverarent, et zelatores efficerentur apud consortes in sacro ministerio, ut ad sessiones academicas frequentes extarent, desiderio obtemperantes Summi Pontificis, cui maxime cordi est ut clerus universus et in hac nobilissima disciplina eruditissimus evadat, cessante deplorabili negligentia in sacris obeundis, quae haud raro, et in praestantioribus ecclesiis, datur comperiri.

Praemiorum distributio.

Praemio digni, in quaestionum solutionibus, ab apposita Commissione habiti sunt, eoque honestati:

I. Rev. **Paulus Marella,** e Pontificio Seminario maiori ad Lateranum.

II. R. P. **Donnarumma,** ex Ordine Minimorum.

Merito pares inventi, sortiti sunt III^{um} praemium:

Rev.di **Antonius Tani**, e Pontificio Collegio Leoniano, et **Salvator Capoferri,** e Pontificio Seminario maiori. Tulit Reverendus *Capoferri.*

Similiter IV^{um} praemium sortiti sunt: Rev.di **Iulius Chiavoni, Caietanus Perrella** et **Ernestus Cassinari,** e Congregatione Missionis. Tulit Rev. *Cassinari.*

Inter frequentatores, diligentia et assiduitate conspicui inventi sunt, per integrum curriculum: Rev.di DD. **Raymundus Altimiras, Iosephus Aquilina, Petrus Capo, Angelus Ferroni, Dominicus Mollio, Richardus Pasquini** et **Ioannes Traversa.** Ex his, tres sorte designati sunt ut numismate donarentur, scilicet Rev.di *Benvenuti, Capo, Ferroni*; ceteri dono habuerunt « Caeremoniale Parochorum », Auctore D.no Petro M. De Amicis, e Congregatione Missionis.

Quartum praemium sortiti sunt, vix aliqua vice absentes inventi, Rev.di DD. **Thomas Frioni, Iosephus Jarlan, Antoninus Locasto, Casimirus Propopolanis, Stephanus Garcia,** ex his tulit, Rev. *Frioni.*

Consuetudines in functionibus liturgicis

(Continuatio, V. n. 12 praec. anni, pagg. 734-743)

Eadem sententia habetur apud cl. Diclich (*Dizionario sacro* vocabulo *Benedizione*): « Data la benedizione, il sacerdote, deposto sull'altare l'ostensorio, genufletterà tosto con un solo ginocchio, e discenderà all'infimo gradino, dove di nuovo sullo stesso rimarrà genuflesso, e pel cerimoniere, o pel medesimo subdiacono (come dice il Gavanto), gli si leverà il velo dalle spalle » – Cl. Fumagalli (*Promptuar. liturg.* lib. I, Par. IV, c. III, n. 2) ait: « Ostensorio in altari locato, ita ut crucifixi imago in hostia impressa populum respiciat, celebrans, genuflexione facta, in planum descendit, genibusque in infimo gradu positis, medius inter sacros ministros, per subdiaconum vel diaconum assistentem velum ab humeris exuit ». — Idem cl. Favrin (*Prax. solemn. funct. episcop.* pag. 106) docet: « Benedictione impertita, stans, ostensorium diacono reddit et, genuflexione unico genu facta, in planum descendit, et genuflectit loco suo. Deposito velo humerali, recitari possunt preces aliquae ut *Dio sia benedetto* ».

Non dissimilis instructio est cl. Ferrigni Pisone (*Catech. liturg.* vol. I, c, XIV, art. II): « Datasi la benedizione col Sacramento e voltatosi all'altare il celebrante, si alzano i ministri sacri e si accostano al celebrante col quale genuflettono *unico genu*. Quindi il celebrante col suddiacono scendono in piano e s' inginocchiano sull' infimo gradino, ed il diacono resta sulla predella per chiudere il Sacramento

nel tabernacolo. Il celebrante intanto, deposto il velo omerale, etc. ». — In quadam laudabili opella nuper apud Fossanensem dioecesim in Subalpina regione edita, pag. 33 in nota legitur: « Parlandosi della benedizione col Ss. Sacramento nell'ostensorio, si disse non doversi togliere il velo omerale al celebrante prima che questi sia disceso in piano ed inginocchiatosi: è difatti regola generale che un paramento si deve deporre dove si è vestito. Nella benedizione colla pisside però, dovendosi essa riporre nel tabernacolo appena data la benedizione, è meglio togliere subito il velo omerale onde non riesca d'impaccio al sacerdote. E ciò vale pure per la benedizione coll'ostensorio, qualora in qualche chiesa non si reciti il *Dio sia benedetto,* ed il celebrante stesso debba riporre il Venerabile subito dopo la benedizione ». Haec sententia pluries nos evulgavimus in operibus italice exaratis *Il Parroco del villaggio* nec non *il Cerimoniale completo,* et fusius in recentissimo opuscolo, cuius titulus *Normae theoretico-practicae quoad expositionem et benedictionem Ss. Sacramenti iuxta novissimas apostolicas sanctiones* (editio altera emendata et aucta). Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me opportunitas aliorum liturgistarum auctoritatem ferendi, sive recentiorum temporum ex. gr. cl. Le Vavasseur (*Cérémonial selon le Rit Romain,* et *Manuel de Liturg.* revu par le Père Haegy); Victor ab Appeltern (*Manuale Liturg.*); Coppin-Stimart (*Sacrae liturg. compendium*); Erker (*Enchirid. liturg.*), Mach (*Tesoro del sacerdote*); Magana y Seminario (*Sagrada liturgia*); Schober (*Caeremoniae Missarum solemn. et Pontif. et aliarum funct. ecclesiast.*); Solans (*Manual liturgico*); Wapelhorst (*Comp. Sacrae Liturgiae*), etc. etc. Concludendum tamen est insculptis verbis quibus carissimus amicus noster cl. Menghini in sua elucubrata et aurea opella quae inscribitur *De Oratione Quadraginta Horarum in Instructione Clementina* (§ XXX, n. 9) usus est: « Nihil dicit Instructio de velo humerali deponendo, verumtamen conveniens non esset ad sacristiam revertere velo superimposito pluviali. Deponat tament celebrans

postquam ad suum locum redierit; si enim id agat dum genuflectit, *indecora prorsus evadit actio;* faciat igitur celebrans devotissime genuflexionem, manibus, ut praescribitur, super altare positis, ac postea descendat ad infimum gradum, *ubi commode ac decenter dictam ponet actionem* ».

Si ergo eadem semper fuit in hoc omnium auctorum sine ulla varietate opinio, quid dicendum de praxi contraria quae passim, etiam Romae, invalere videtur? Adhortandum est ut hic usus e medio prorsus tollatur, et sacrarum functionum decori consulatur.

Quaer. In functione sacra cum ss. Sacramento, quae vulgo *Laudes vespertinae* vocatur, agenda, non una tantum invenitur praxis. Aliquibus in ecclesiis rosarium B. M. V. nec non preces in ipsius Deiparae honorem aut sanctorum coram ss. Sacramento exposito effunduntur, quae admirationem adstantibus inducit. Quid de hac praxi, quae quotidie paulatim etiam in ecclesiis satis observantibus introducitur, inspectis aliquibus decretis ipsius praxis assentientibus?

Resp. Allata praxis nobis minime arridet, et optandum ut non modo rubrica, sed et illius spiritus, praesertim in casu, diligenter servetur. Ecclesiae spiritus est, imagines reliquiasque sanctorum, exposito Sanctissimo, aut velo cooperiri, aut prorsus ab altari removeri (S. R. C. nn. 3241[4], 3320, 3365). Sed ut enucleatius huiusmodi quaestio solvatur, oportet distinguere tres expositionum species: Prima est expositio solemnis vulgo dicta XL horarum. Secunda est expositio ss. Sacramenti illa, quae fit solemniter per integrum diem, vel saltem per aliquas horas, in throno ad instar expositionis praedictae XL horarum. Tertia est denique illa quae fit tantummodo ad benedicendum populum, aliqua deprecatione praemissa, puta ad petendam pluviam, vel in triduanis vel novendialibus supplicationibus in honorem sanctorum aut b. Mariae Virginis.

Pro prima expositione, non tantum amovendae sunt statuae sanctorum eorumque reliquiae ab altari expositionis, sed etiam velandae sunt aliae quae in ecclesia habentur:

quinimo prohibendae sunt etiam candelae vel lampades ante eas accensas durante ista expositione. — Si vero agatur de secunda specie, tunc sufficit quod in altari et cappella ubi fit expositio, amoveantur reliquiae et imagines sanctorum, et quae in ecclesia habentur discoopertae stare possunt, ac etiam aliqua lampas ante eas ardere potest, non vero in magna quantitate, pro tempore quo manet expositum solemniter ss.mum Sacramentum. Pro tertia vero expositione, quando scilicet ss. Sacramentum extrahitur e tabernaculo et exponitur super mensam altaris, aut etiam supra aliquod expositorium ipsius altaris, tunc sufficit quod veletur imago principalis altaris, si commode id fieri queat, uti quando adest in aliqua aedicula statua, quae apte velo contegi possit per chordulas extendendo. Ratio distinctionis satis ex se patet. In prima enim expositione valent rationes a Benedictio xiv productae, nempe (Instit. 30): **Non licet, Sacramento exposito apertas teneri imagines B. M. V. et sanctorum, quia praesente Domino cessare debet honor qui servo adhibetur, et praesente sole omnia astra splendorem amittunt.** Eiusdem sententiae sunt Bauldry (*Manuale sacrarum caeremoniarum part: 3, cap. 17, n. 2),*·Bissus (verbo « *Expositio ss. Sacramenti* », *n. 232*, § 5), nec non Thiersus *(De expositione ss. Sacramenti, cap. 4, n. 12)*,

In secunda autem illae rationes non omnes urgent, agitur enim de expositione minus solemni. In tertia tandem, inspecta brevitate temporis quo sacrum ostensorium manet expositum in mensa altaris, concludi potest quod necesse non sit ut occludantur imagines et reliquiae, quae forte extant inter candelabra, ac multo minus quod extinguantur luminaria accensa per ecclesiam ante imagines.

Quoniam vero una ex rationibus potissimis ex qua prohibentur imagines apertae durante expositione, illa est, quia ex apertis imaginibus, distrahuntur fideles ab adoratione speciali ss. Sacramenti, quae praecipue instituta fuit in functione XL horarum, ex hac ratione valet illatio, quod eo vel magis prohiberi debeatut ante ss. Sacramentum fundan-

tur preces ad beatam Virginem Mariam vel Sanctos. Sed obiicitur: In oratione XL horarum praescribitur cantus litaniarum Sanctorum; et insuper, praxis canendi litanias lauretanas et legendi preces ad Sanctorum honorem et Deiparae coram Sanctissimo non est a decretis S. Rituum Congregationis nn. 3530[1], 4100[3], approbata et confirmata. Quinimo, exposito Sanctissimo, possunt quoque in novendialibus ad honorem B. M. V. et Sanctorum vulgari eloquio effundi preces: dummodo 1° a legitima auctoritate sint approbatae; 2° non dicantur immediate ante benedictionem (DD. 3157 [8], 3530 [2], 3537 [1]); 3° non sint preces liturgicae (D. 3557 [3]). Post tam ingentem congeriem decretorum circa hanc rem, quomodo quis audebit hanc universalem praxim condemnare?

Litaniae idem sonant ac rogationes et processiones, et fiunt ut Deus peccatis populi sui propitietur, et ab eo flagella irae suae avertere dignetur; pacem et aeris salubritatem concedere, fructus terrae dare et conservare, omnibusque necessitatibus suorum fidelium benigne prospicere dignetur. Dictae fuerunt litaniae Sanctorum non quia ita specialis honor Sanctis tribuitur, sed quia, illorum invocatione, petuntur peculiares gratiae, seu liberatio a malis in litaniis contentis a ℣℣. *Propitius esto*, usque ad *Fili Dei;* et divinum auxilium pro nobis, pro Pontifice, pro benefactoribus, pro defunctis et fratribus absentibus imploratur, Attente structuram Litaniarum Sanctorum examina, et licet in eis invenies preces ad sanctos invocatos, per verba *ora* vel *orate pro nobis,* nihilominus, si res bene attendatur, perspicies quod huiusmodi invocationes ad id sunt factae ut Sancti invocati potius uniantur fidelibus invocantibus, ad obtinendas gratias quae postea a Deo directe postulantur.

Rogationibus occasionem dederunt flagella, caedes, calamitates et omnia mala quae in terris defluunt, et Ecclesia ad pietatem divinam obtinendam hanc peculiarem formulam orationis nobis donavit. Iuxta Rituale Romanum omnes poenitentiales processiones *aguntur ut in Litaniis Maioribus*. Pari modo, adstante aliquo periculo, dum Litaniae Sanctorum

non dicuntur in processione, sed in ecclesia, convenientius est ante ss. Sacramentum expositum illas canere. Quod dictum est de Litaniis Sanctorum non verificatur de Litaniis lauretanis, in quibus enucleantur Deiparae praerogativae, ad illius validam intercessionem implorandam; aliis verbis sunt preces ad opportunitatem populi in versiculos redactae, ad colendam Matrem gratiarum: consultius ergo dicendae sunt ante expositionem.

Sed quid dicendum de congerie illa decretorum supra adducta? Functio, de qua hic est sermo, partim liturgica, partim extraliturgica dicenda est; eaque sensim sine sensu, extra Urbem praesertim, invaluit. Non ideo mirandum si tot varietates in praxi videntur. Quaesita a plerisque ecclesiis proposita, et a sacro Rituum Tribunali indulta, sicuti in authentica decretorum collectione prostant, revelant potius benignitatem Ecclesiae indulgendo filiorum pietati, quamvis non saepe plene illuminatae. Quid pulchrius, si etiam functio haec ad normam plene liturgicam ageretur?

Nonnullis in locis hunc ordinem quoad vespertinas laudes servari magno nostro cum gaudio vidimus. Recte omnibus dispositis, et in altari accensis saltem sex candelis, clericus, superpelliceo indutus, et super infimum gradum genuflexus, recitabat rosarium B. M. V. cum debitis pausis devota expressione, usque ad Litanias lauretanas, quas, comitante organo, iuxta notas liturgicas, in Rituali Romano contentas, partim clerici, partim populus cantabant. Interim clericus sacrista accendebat alias candelas in numero, iuxta prescriptum synodale. Circa finem cantus Litaniarum, procedebant ad altare thuriferarius, clerici deferentes funalia, caeremoniarum magister, expositor et celebrans cum ministris assistentibus paratis. Facta ab omnibus altari genuflexione, singuli locum suum tenebant. Post cantum Litaniarum, ministri intonabant versiculum vel versiculos analogos, et celebrans surgebat, ministris interea genuflexis librum sustinentibus, orationes cantabat. Responso *Amen*, expositor stola indutus, ascendebat suppedaneum et dum in

ostensorio sacram Hostiam ponebat, cantores devotum motetum canebant, ex. gr. *O salutaris Hostia* – *O Sacrum Convivium* – *O quam suavis* – *Panis Angelicus* etc. Exposito et incensato more solito Sanctissimo, celebrans analogas preces, aut honorabiles supplicationes recitabat, post quas intonabat *Tantum ergo,* post versum *Genitori Genitoque* iterum incenso Sacramentum adolebat, etc. etc.

Si vero post rosarium triduum vel novendiale aliquod in honorem alicuius sancti locum habebat, clericus qui rosarium duxerat, statim locum cedebat sacris ministris ad altare accedentibus. Tum debitis reverentiis altari praemissis preces novendiales a celebrante legebantur, post quas preces, stantes omnes hymnum cantabant, deinde, genuflexi, versiculos, et iterum celebrans stans orationem analogam cum collectis concinebat.

Quod si novendiale ad honorem B. M. V. agebatur, post rosarii recitationem, intonabatur antiphona *Salve, Regina,* proindeque celebrans ex abrupto preces legebat; dein omnes stantes hymnum cantabant (manebant vero genuflexi ad primam stropham *Ave, maris stella*), postea ut supra.

Si autem novendiale spectabat aliquod dominicum mysterium; peracto rosario, et immediate cantata *Salve, Regina*, celebrans recitabat, ut diximus, orationem cum aliis collectis; deinde, exposito Sanctissimo, et cantato moteto ex. gr. *O salutaris Hostia,* et incensato Sacramento, celebrans legebat preces Christum Dominum respicientes, et si post ipsas cantus hymni sequebatur, omnibus stantibus cantabatur, etc.

Omnibus debito et liturgico ordine dispositis et distributis, et omni gravitate, gratia et decore peractis, ac insuper cantu liturgico iuxta recentiorem reformationem exacte, sapienter et concinne deprompto, functiones istas, quis merito aliis functionibus, quamvis cum magno apparatus splendore, non tamen cum debito ordine riteque factis, non praeferret?

Concludendum est enim, quod fusius alibi *Ephemerides*

Liturgicae (ann. XVI, pag. 400, et sequent.) exposuerunt: Ante ss. Sacramentum expositum optandum esset quod preces omnes ad illum dirigerentur. Aliae preces b. Mariae Virgini vel sanctis illis exhibeantur antequam ss. Sacramentum a tabernaculo extrahatur. Ad hunc finem, brevi supremam auctoritatem nonnulla declarare optandum est, ut abusus sensim sine sensu oborti tollantur.

Quaer. Quid dicendum de usu exponendi ss. Sacramentum in throno, et quid super altare, occasione solemnis benedictionis? Quaenam insuper fuit mens Academiae liturgicae romanae circa hanc quaestionem?

Resp. In opusculo, cui titulus *Normae theorico-practicae quoad expositionem et benedictionem ss. Sacramenti*, ausi minime fuimus super istam quaestionem mentem nostram candide aperire, praesertim aspicientes libros perplurimos auctorum in re liturgica clarissimorum, nec non consuetudinem fere universalem, indiscriminatim in omni solemni Sanctissimi benedictione cum ostensorio thronum praescribentes. Sed cum in Academia liturgica haec magni momenti quaestio validissimis argumentis inter Rev.mos Censores in sensu infra exposito ventilata fuerit, vehementer gratulantes, Lectores nostros mentem sapientissimi Conventus fidenti animo suscipere exhortamur.

Ignota erat antiquis benedictio cum ss. Sacramento, quae dabatur tantumodo a parocho in regressu ad ecclesiam post delationem sacri Viatici ad infirmos, cum vasculo clauso et velo cooperto, prout hodie quoque adhuc servatur. Vas autem Eucharisticum, quod ostensorium vocamus, nonnisi exeunte saeculo XIV aliquibus locis inductum fuit. Etenim quando instituta est processio in festo Corporis Christi, non statim delatum fuit ss. Sacramentum in ostensorio aperto, sed in vasculo, aut calice clauso et velato, ut clare demonstrat Thiers (Traité de l'Exposition du ss. Sacrament, ed. 1777, vol. I, pag. 234), atque ostensoria seu monstrantiae in quibus sacra Hostia collocatur vitris perlucidis inclusa, tardius, ut diximus, apparuerunt.

Quapropter, cum post processionem consuetudo invecta est benedicendi populum cum ostensorio, prout fit in delatione Viatici, in Rituali Romano, nec non in Caeremoniali Episc., posita fuit rubrica specialis, de modo eamdem benedictionem impertiendi.

In Rituali ergo sequens habetur rubrica in fine processionis ss.mi Corporis Christi: « Peracta processione, et ss. Sacramento ad ecclesiam reportato, et super altare deposito, omnes ecclesiastici qui adsint hinc inde ordine genuflexi, illnd reverenter adorantes, dum de more sacerdos incensat, sequentem hymni partem concinant: *Tantum ergo...* ℣. *Panem de coelo...* Or. *Deus, qui nobis...* », et post orationem, rubrica sequitur dicens: « Tunc sacerdos, facta genuflexione, cum ss. Sacramento semel benedicit populum in modum crucis, nihil dicens; postea illud reverenter reponit ». Item in Caeremoniali Episcoporum (Lib. II, c. 33, n. 24, 25, 26, 27), idem ritus describitur pro episcopo, qui trinam benedictionem impertitur.

Postquam autem ultimo saeculo, paulatim usus coepit dimittendi populum in paroeciis, praesertim ruralibus, cum Eucharistica benedictione, adhibitus fuit ritus, prout in citatis rubricis describitur.

Quo in ritu, clare patet, ostensorium collocandum esse super mensa altaris, non vero in throno, ut ait citata rubrica dicens: « Sacramento super altare deposito..... » ideoque, pro huiusmodi benedictione, minime utebantur parochi throno in altari, sed, recitatis vel decantatis aliquibus precibus, vel hymno ad sanctum, cuius festum agebatur, vel litaniis ad b. Mariam Virginem cum sua oratione, Sacramentum e tabernaculo educebatur, et super altare, quod est profecto thronus Dei nostri, in ostensorio collocabatur, ac posito incenso semel tantum, ut ait praecitata rubrica (1),

(1) Decretum S. R. C. 5 iulii 1907, n. 4202, I, ut in opusculo *Normae theorico-praticae quoad expositionem et benedictionem ss. Sacramenti,* notavimus, circa duplicem incensationem Ss.mi in ostensorio, obligat sine dubio, et vetus consuetudo semel Sanctissimum incensandi prorsus abolenda est.

atque decantato *Tantnm ergo,* cum suis versiculis et oratione, parochus populum benedicebat.

Quod autem mos iste fere ubique invaluerit, saeculo praesertim xviij, testantur quamplurimae leges synodales et dioecesanae; et ipsa S. R. C. eum, non modo non improbavit, sed variis decretis saepius nonnulla, circa ritum benedictionis, declaravit (Cfr. DD. 2464, 2722, 2725, 3058), statuens ut rubrica Ritualis et Caeremonialis adamussim servaretur. Nihil hic dicimus de benedictione cum pyxide, quia exulat a nostra quaestione.

Distinguendum est inter simplicem benedictionem cum ss. Sacramento et expositionem proprie dictam. Simplex benedictio cum ostensorio consistit in repositione ostensorii super altaris mensa (1), in incensatione, in cantu *Tantum ergo* cum suo ℣. et oratione, in ipsa benedictione, et in repositione in tabernaculo, ita ut celebrans toto tempore quo Sacramentum extra tabernaculum manet, altare non deserat, ideoque rubrica tum Ritualis tum Caeremonialis, non in throno, sed super altare collocandum ostensorium praescri-

(1) Habenda est quoque tamquam simplex benedictio, licet praemittantur nonnullae preces in honorem alicuius sancti, aut b. Mariae Virginis, puta in novendialibus vel triduis. Tunc enim, antequam ss. Sacramentum e tabernaculo educatur, possunt recitari preces in honorem sanctorum vel b. Mariae, etiamsi lingua vernacula, a competenti auctoritate rite approbatae, cum versiculo et oratione liturgica. Dein facta expositione in altari, ut supra dictum est, suo tempore benedictionem sacerdos impertitur. Quoad preces vero in honorem vel sanctorum, vel B. M. V., in novendialibus, aut triduis, aut die eorum festivo, aut aliacumque occasione, notandum est utrum ipsae preces ad divinitatem directe effundantur an non; in primo casu possunt et merito coram Eucharistia sive supra altari in ostensorio sive ad ostium tabernaculi in pyxide exposita, recitari, secus ante expositionem; cum ita et debita reverentia, et sensus liturgicus, et pietas rite ordinata satis consulant, orto enim sole necesse est ut alia sidera evanescant. Sed cf. consultationem sequentem.

bunt. Expositio autem consistit in solemniori ritu quo ss. Sacramentum adorationi fidelium per notabile tempus proponitur, scilicet tota die, vel aliquibus horis, quae cousuetudo retineri potest (D. 3124 [5]), ita ut celebrans, facta expositione, ab altari recedat. In casu, tum ratione maioris solemnitatis, tum quia altare manet sine suo ministro, decet ut Sacramentum in throno cum luminibus hinc inde accensis collocetur, non vero simpliciter super altare.

Pro huiusmodi solemnibus expositionibus, extant plures instructiones synodales (1) saeculi xvij, et percelebris Instructio Clementina pro urbe Roma, quae omnes omnino praescribunt, ut in eminentiori loco altaris thronus cum superimposito baldachino statuatur, in quo exponendum est ostensorium. Utrum vero huiusmodi thronus habere debeat suum parvum baldachinum, licet super altare in quo fit expositio, adsit amplum tentorium, seu baldachinum columnis suffultum, quod totum altare tegat, disputant auctores. Vide ad rem hanc ipsam disputationem in *Ephemeridibus Liturgicis* (An. 1910 pag. 145, 290 et 489). S. R. C. interrogata (die 27 maii 1911 ad VI respondit: « Servari posse consuetudinem, quae in locis viget, collocandi, vel non, alium thronum cum suo parvo baldachino, in altaribus in quibus adest magnum baldachinum seu ciborium » (Cf. Acta Apost. Sedis. an. 1911 pag. 279). Sed hoc decreti comma in collectione authentica non fuit insertum.

Procul dubio thronus expositionis in altare permanenter non est retinendus, nam, ut plurimum, impedit quominus suo loco digniori et eminentiori, inter candelabra, crux cum imagine Crucifixi statui queat. Et sane, ut vidimus, nulla

---

(1) S. Carolus Borr. in Synod. prov. IV, anno 1576 celebrata, atque in Instructione de Sacramentorum administratione (Act. Eccl. Mediol. pag. 578), nec non Synod. Placentin. 1646; Bobien. 1673; Ostien. et Veliterna 1699; Avenionen. 1725; Cremonen. 1728; et aliae quamplurimae, ante Instructionem Clementinam, quae anno 1731 promulgata fuit.

lex praescribit appositionem throni pro simplici benedictione cum ss. Sacramento, imo rubrica tum Ritualis tum Caeremonialis illum excludit; thronus enim non requiritur nisi pro solemni expositione per aliquod tempus; ergo cum huiusmodi expositiones raro in eadem ecclesia fiant per annum; liquido patet, quod continua permanentia throni super altare, tempore vesperarum, missarum solemnium, necnon et pontificalium, est verus abusus, omnino removendus a rectoribus et custodibus, et ab ecclesiarum inservientibus ad parcendum labori excogitatum.

Hac de re opportunissime S. R. Congregatio, decreto 27 maii 1911 ad IV, aperte declaravit: Non licere super tabernaculum erigere thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione ss. Sacramenti, sed debere erigi thronum tantummodo propter expositionem, et amoveri post ipsam (Decr. auth. n. 4268).

Ergo, ne rubrica missalis, quae exigit magnam crucem inter candelabra altaris, perpetuo contemptui habeatur, ecclesiarum rectores debent omnino praescribere suis clericis, ut thronnm, peracta expositione, ab altari amoveant, imo ne pro simplici benedictione illud in altari ipso apponant.

Quaer. Testes non infrequenter fuimus praxis haud legi consentaneae quoad vestem a sacerdotibus induendam in sacramentorum et sacramentalium administratione : vidimus aliquando sacerdotes non tantum rochetum, sed et mozettam, et canonicos cappam magnam adhibere; quidnam dicendum de huiusmodi usu in casu?

Resp. Ut ad huiusmodi quaestionem absolutam responsionem demus, fas est ab eruditis decretorum relativis illustratoribus quiddam accipere. Clara et generalis est rubrica Ritualis romani tit. I, n. 7, videlicet: « In omni sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola eius coloris, quam sacramenti ritus expoxit ». Idipsum habetur, ut de aliis Synodis sileam, in Concilio provinciali I Mediolanensi, ubi s. Carolus Borromaeus expresse iubet, « ut sacerdotes in Sacramentorum administratione semper

superpelliceo et stolam adhibeant » ; et in instructione de sacramentorum administratione pariter mandat: « in omni sacramentorum administratione semper superpelliceum decens et stolam adhibebit ». Cum autem lex generalis sit, nulla excipitur persona quavis dignitate praefulgens: hinc fit, ut etiam canonici, usum cappae magnae habentes, sacramenta administraturi eam debeant deponere, et superpelliceum assumere. Quod declaratum video pluries a S. R. Congregatione. Ita in una *Dubiorum. Urbis:* « An canonicis usum cappae habentibus liceat sacramenta administrare cum solo rochetto, et deposita cappa », sub die 12 iulii 1628 responsum fuit: « Sacramenta esse administranda cum superpelliceo et stola, iuxta Rituale romanum ». Neque credas huiusmodi decretum longo temporis decursu obliteratum in desuetudinem abiisse: nam eadem S. R. C. illud instauravit, et ad observantiam revocavit, simili quaestione proposita in Congregatione habita die 19 iunii 1773 a canonicis collegiatae *S. Mariae in Cosmedin de Urbe.* Idipsum dispositum habetur *in Syracusana*, die 2 augusti 1698, et *in Pisauren.*, die 12 decembris 1750.

Benedictus XIII Ravennatenses parochos privilegio insignivit superimponendi mozzettam vel stolam superpelliceo, praesente capitulo; eo autem absente, alterutro vel utraque coniunctim utendi: huic autem et alterum cumulavit Pius VII, dum cottae loco indulsit rochettum in supplicationibus aliisque publicis functionibus induendum, tam in propria quam in alienis ecclesiis. Ast apostolicarum Litterarum fines praetergredientes parochi, eodem nedum in supplicationibus et publicis functionibus, verum etiam in sacramentorum administratione, benedictionibus aliisque functionibus indui posse praesumpserunt; quod cum indultas facultates excederet et rubricarum legibus et S. R. C. decretis adversaretur, metropolitanae capitulo moderandum est visum. Quapropter, proposito in Sacra Rituum Congregatione dubio: An parochi Ravennatenses apostolico privilegio suffulti in ecclesiasticis functionibus et publicis supplicationibus, sive intra, sive extra

eorum curae commissas ecclesias, rochettum loco cottae vel mozzetta violacea et stola auro intexta adhibendi, possint uti rochetto etiam in sacramentorum administratione, benedictionibus aliisque functionibus, in quibus ex rubricae praecepto sacerdos cottam assumere debet? Et S. R. C. respondendum censuit: « Negative; et in casu, solam cottam cum stola esse adhibendam » (Die 17 septembris 1822). Factâque de praemissis omnibus ss.mo Domino Pio VII relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsum approbavit, confirmavit, et ita a parochis Ravennaten. in posterum servari mandavit.

Iure merito querebantur cathedralis Ravennatensis canonici de parochis qui ditati privilegio commutandi sub mozzetta et stola rochettum loco superpellicei, quo prius utebantur in supplicationibus aliisque functionibus publicis, sive intra, sive extra eorum curae commissas ecclesias, arbitrarie ampliantes indultum, illud perperam extenderunt etiam ad sacramentorum administrationem. Non enim ipsis invident honorifici indumenti decus; sed silentio tegere nequeunt abusum privilegii praetextu inductum, famigeratis ecclesiae legibus repugnantem. Parochi igitur Ravannates exuere rochettum, mozzettam dimittere debent, soloque uti superpelliceo cum stola, dum administraturi sunt sacramenta, velut S. R. C. proposito dubio respondit. Indultum quippe ipsis est, ut sub mozzetta vice superpellicei deferant rochettum; haud vero concessum ut eo utantur in sacramentis administrandis; aut rochetto cottam superimponant. Permissum id est canonicis dumtaxat, qui habent usum cappae magnae; nam haec commutatur cum cotta tempore aestivo, vel cum cappa serica absque mustela: quamobrem iidem in propria ecclesia, quum ex praescripto Ritualis et decretorum nequeant cum cappa vel cum rochetto sacramenta administrare, licite possunt, imo debent cottam assumere, quin rochettum dimittant.

Similiter in Bulla erectionis collegiatae ecclesiae loci Cuprae Montanae, vulgo *Massaccio,* intra fines diocesis Aesi-

nae haec habentur: « Canonici rochettum cum suis manicis et mozzettam violacei coloris tam in dicta parochiali ecclesia quam extra eam... quibuscumque actibus et functionibus publicis et privatis.... deferre et gestare.... libere et licite possint et valeant, et quilibet eorum possit et valeat ». Ex illimitata Bullae enunciatione usque ab anno 1778, in quo collegiata erecta fuit, canonici cum rochetto et stola sacramenta Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae administrare coeperunt; et archipresbyter, qui est unica collegiatae dignitas, rochetto, mozzetta et stola indutus domorum benedictionem in Sabbato Sancto perficit. Hisce positis, alter ex canonicis Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit pro declaratione: « An stante illimitata concessione, tum canonici, tunc archipresbyter perseverare queant in invecta consuetudine? » Sacra autem Rituum Congregatio, re mature diligenterque perpensa, rescribendum censuit « Negative ». Et ita praescripsit ac servari mandavit die 16 aprilis 1831, n. 2680. Responsio S. Congregationis responsionibus est conformis alias datis, cum simile hunc dubium fuit propositum, nec diverso potuisset modo respondere. Cum enim accuratae rituum et rubricarum observationi Sacra Congregatio sit praeposita, quidquid abusum vel novitatem redolet, debet reprobare, atque eliminare debet ex ipso suae institutionis fine. Abusum autem et novitatem praesefert consuetudo, quae in medium profertur, quaeque Sacrae Congregationi perpendenda proposita est, administrandi scilicet sacramenta Baptismi et Eucharistiae a canonicis cum rocchetto et stola, et domus benedicendi in Sabbato Sancto cum rochetto, mzzetta et stola ab archipresbytero: praeter quam enim solum rochettum non possit haberi tamquam vestis ecclesiastica, nec in choro quis cum hoc tantum adesse possit, et rochettum cum mozzetta sit habitus choralis tantum; nimis clara est Ritualis rubrica: *De iis, quae ad sacramentorum administrationem generaliter servanda sunt,* quae praecipit, ut sacramenta administrentur cum superpelliceo et stola. Tenentur igitur sacerdotes stolam et

cottam induere dum sacramenta administrant, et id ab hac rubrica praecipitur (demptis casibus ab ipsa rubrica notatis, qui locum in nostro casu nullum habent); quod etiam monitum fuit à S. Congregatione Episcoporum die 8 novembris 1588. Si qui sunt, qui ex concessione usu gaudeant rochetti et mozzettae, his uti nequeunt in administrandis sacramentis pro quorum administratione taxative vestis praescribitur a rubrica, ut vidimus; sed illis tantum uti possunt in choro, in processionibus et functionibus omnibus, in quibus habitum choralem induunt. Hinc enunciatio Bullae, quae illimitata dicitur, suos utique habet limites, nempe *Functiones publicas et privatas* respicit, quae collegialiter sive in ecclesia, sive extra peraguntur, et hic habitus toti collegio, non singulis est concessus, exclusa tamen semper sacramentorum administratione, in qua unusquisque eam debet vestem induere, quae pro hac est a rubrica praescripta. Non igitur illimitata est concessio, sed illimitata potius et nimis libera, et contra rubricae praescriptum illius intepretatio; ex qua abusus est exortus, quem Sacra Congregatio dato decreto, et confirmatis aliis iam super hac re existentibus, eliminandum esse censuit.

Pretium est operis addere et praxim quae in ecclesia primatiali Pisana servabatur. Canonici et cappellani, itemque parochi aliique sacerdotes per dioecesim, occasione ministrandi sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, induere solebant stolam super cappam et mozzettam aut caputium, Hunc abusum censebatur difficile evellere. Quum enim huiusmodi presbyteri ex antiquissimo privilegio pro superpelliceo uterentur rochetto, continuo conquerebantur, praesertim pauperiores, sibi non esse in promptu habendum superpelliceum super rochetto imponendum. Pro ecclesia vero conventuali divi Stephani papae et martyris, quum ab iurisdictione Ordinarii non penderet, nescio quo pacto animadverti potuerit in consuetudinem huiusmodi. Quaesitum proinde fuit: 1. Utrum dignitates, canonici, parochi et sacerdotes, tum ecclesiae primatialis tum aliarum ecclesiarum dioecesis Pisanae,

adigi debeant ad superpelliceum assumendum cum stola in administratione sacramentorum iuxta Rituale romanum, deposita cappa et mozzetta vel caputio? 2. Utrum in ecclesia conventuali sancti Stephani papae et martyris exempta, presbyteri ministrantes sacramenta sine superpelliceo cogi valeant ab archiepiscopo ad servandam recensitam Ritualis romani rubricam? Respondit: « Affirmative, quoad utramque partem ».

Haec praxis, quae in primatiali ecclesia Pisana in administrando fidelibus sacram Eucharistiam servatur, contraria est rubricae Ritualis romani, quae, ut pluries diximus *superpelliceum* et *stolam* in administratione sacramentorum adhibendam praecipit, quod pariter singulari modo praescribit dum sacra Eucharistia est administranda: sic enim praecipit in ordine administrandi sacram communionem: « Sacerdos, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, et desuper stola coloris officio illius diei convenientis ». Iam omnia ordine fieri debent, quemadmodum monet Apostolus, et in Litteris apostolicis sub plumbo Paulus V repetit, confirmatque Benedictus XIV, et eà praecipue quae pertinent ad Ecclesiae Dei sacramentorum administrationem. Insuper, qui in Rituali romano comprehenduntur ritus, S. R. C. monet ut inviolate ab omnibus tamquam Ecclesiae filiis serventur, quia eiusdem Ecclesiae matris et magistrae auctoritate constituti sunt. Qui, quaeso, ordo esset in administranda Eucharistia, quomodo inviolabiliter servaretur quod de habitu, quo hoc sacramentum debet administrari, praescribitur, si superpelliceum quod praecipitur, non adhiberetur? Iam hoc contra rubricae praescriptum esset, ideoque improbandum foret. Esse abusum non denegatur in dubio, sed affirmatur aeque difficile esse illum evellere. Profiteri abusum sufficiens est ratio ad illum tollendum: evelli autem facili potest negotio, si res ad ordinem redigatur, si religiose et inviolabiliter, ut par est, quae praescripta sunt observentur, ut revera ab omnibus servari absque ullo dubio debent.

Neque rubricae servandae sunt aut negligendae pro uniuscuiusque commoditate, quia in promptu ex. gr. non est superpelliceum super rocchettum imponendum. Non agitur sane hic de administranda sacra Eucharistia per modum Viatici infirmo proxime morituro, sed bene valentibus: adeoque nihil officit, aut potest officere communicandis, si parumper expectent: expectent utique donec sacerdos habitu praescripto induatur, et, ut debet, hoc sacramentum administret. Quoad vero ecclesiam sancti Stephani spectat, quae ab Ordinarii iurisdictione non pendet, pro qua, tamquam exempta difficilis et pene impossibilis asseritur animadversio in consuetudinem non adhibendi superpelliceum, velim dicerent num Ritualis rubricae hos illosve respiciunt, hanc ab illa ecclesiam secernunt, hanc vel illam eximunt? An non potius omnes aeque sacerdotes sacramentorum ministros respiciunt et obligant? Quid exemptio ecclesiae ab Ordinarii iurisdictione cum exemptione ab observandis rubricis? Magnum quidem est inter utrumque discrimen. Apostolicae autem Litterae Summorum Pontificum neminem ab oservandis ritibus, et eo, quo praecipiuntur modo, excipiunt, nullam ecclesiam, quaecumque ea sit, eximunt. « Quapropter, *sic habetur in Apostolicis Litteris Bened. XIV, qui aliorum Pontificum mandata refert,* hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, et dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes et alios, ad quos spectat, ut in posterum, tamquam Ecclesiae Romanae filii,... inviolabiliter observent ». Sane quae exemptio in his verbis apparet? quae exceptio? Quis inter Ecclesiae filios per inobedientiam adnumerari recusaverit? Aut hoc nomine per inobservantiam rituum, quos servare debet, voluerit gloriari? Nemo sane, ut arbitramur, reperietur, qui tantam gloriam negligat. Atque hinc quisque intelliget rationem ab exemptione ecclesiae desumptam nihili omnino esse faciendam, ut pariter a servandis Ecclesiae ritibus exemptus quis putetur, et rubricarum praeceptis renuat obtemperare.

Haec autem responsio super allata haud recens est nec unica, ita ut quid novi sit modo decretum. Conferantur quae alias ipsa Sacra Rituum Congregatio edixit, et eadem semper decrevisse apparebit; quippe quae ad tuendos servandosque legitimos et antiquos Ecclesiae ritus fuit instituta. Nulla itaque est ratio cur aliter responderi posset, adeoque servari debet, quod Rituale romanum praescribit; contra quod nulla admittenda est contraria consuetudo, nulla vel personarum, vel ecclesiarum exemptio, nihil habendae sunt in contrarium sentientium querimoniae. Omnes enim Ecclesiae praescriptis obtemperare tenentur, eaque inviolate ac religiose servare.

Ne prolixius hoc responsum evadat, benevolus Lector etiam alia decreta a S. R. C. in posterum edita conferat, praesertim sub nn. 2993 ad 5; 3542 ad 1; 3556; 3779 ad 8; nec non decretum generale (12 iulii 1892, n. 3784 ad 1 et 2), in quo eadem Sacra Rituum Congregatio statuit: 1. « In omni seu sacramentorum seu sacramentalium confectione et administratione, tam in propriis quam in alienis quibuscumque ecclesiis, utendum esse semper superpelliceo et stola: retento nihilominus quod Rituale romanum docet circa sacramentum Poenitentiae (Tit. III, cap. 1, n. 9). 2. Canonicis et parochis quocumque privilegio fruentibus, etiam deferendi rochettum et mozzettam coram Pontifice, in iisdem sacramentis et sacramentalibus conficiendis et administrandis, usum cappae, mozzettae, vel caputii esse omnino interdictum; ii nihilominus, qui rochetti privilegio gaudent, idem retinere, sed in propria tantum ecclesia, privilegio secluso, permittuntur, dummodo super illud superpelliceo ac stola induantur; qui vero superpelliceum super rochettum induere prohibentur, nonnisi cum superpelliceo ac stola, sacramenta et sacramentalia conficiant et administrent ».

Sed antequam expositae quaestioni finem ponamus, opus est aliqua quoad sacramentum Poenitentiae addere. Hoc sacramentum quandoque necessitatis, interdum autem maximae utilitatis causa, permitti potest ut aliter conferatur.

Hinc Rituale, stola et superpelliceo praescriptis, addit, *prout tempus, vel locorum feret consuetudo,* vel: *nisi occasio vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.* Itaque:

1. In confessionibus, quae in sedibus poenitentialibus audiuntur, superpelliceum semper adhibendum a presbyteris saecularibus, regulares enim, sive monachi, sive non, ex consuetudine, quae semper apud ipsos invaluit, eo possunt non uti.

2. Stola in sede confessionali, hoc est in ecclesia, regulariter adhiberi convenit, iuxta decretum n. 3158 ad 2. Immo S. R. C. in una *Societatis ss. Sacramenti* expresse docet: « In ecclesia servetur Rituale romanum » (D. 3426 ad 4).

3. In confessionibus autem virorum extra sedem confessionalem, usus invaluit in pluribus locis ut sola adhibeatur stola, quae etiam adhibenda profecto est, si commode haberi queat.

4. Vix innuendum, in quacumque necessitate, licet non gravi, absque ullo sacro indumento posse hoc sacramentum administrari.

Quoad superpellicei et stolae usum concludere fas est, attendendum esse, an peculiares dispositiones dioecesanae habeantur. In Concilio romano praeceptum est sub poena suspensionis, confessarios nonnisi superpelliceo indutos in ecclesia et sede confessionali fidelium confessiones debere excipere; sed haec poena videtur in desuetudinem abiisse; fere omnes confessarii (quos interrogavimus idem dixerunt) eam ignorant.

Ubi vero consuetudo viget, ut canonicus recipiat confessiones fidelium habitu chorali et stola, ea retineri potest (Sacr. Congr. Concilii, 2 iunii 1860).

Quaer. Quando, quibus in functionibus, et cui, praesenti disciplina inspecta, pileolum licet adhibere?

Resp. Pileolus, uti ex ipsa vocis etymologia ostenditur, nil aliud est quam parvus pileus, seu parvum biretum. Qui ad clericorum usum conficitur formam habet circularem parvi tholi instar, summum caput, seu praecisius clericalem ton-

suram contegere aptus, et constat laneo panno vel serico, coloris communiter nigri. Vocatur, ut diximus in his « Ephemeridibus liturgicis », et *cofia, cuphia, calota, subiretum*, et italice passim *zucchetto, berrettino, solideo*. Pileolus inter sacra indumenta non est recensendus (Bened. XIV, *De Sacr. Miss. Sect. 1, n. 53*).

Paulus II pileolum et rubei coloris principibus s. Ecclesiae concessit, ut ii a ceteris praelatis distinguerentur. Ex Pii IX concessione omnibus orbis episcopis facultas facta est violacei gestandi pileoli: quod et nonnullis abbatibus ex privilegio pariter concessum fuit. Eiusdem coloris pileolum, semper ex privilegio, alii eminentiores ecclesiastici gestant. Summus Pontifex, velut singularem praerogativam, prout fert habitus color, et pileolum albi coloris gestat. Alicubi tamen, inter pontificalia, color diei liturgicus a celebrante archiepiscopo et in pileolo adhibetur, ita ut et albus interdum sit. Coccineo colore (*chermisi*) distinguitur pileolus patriarchae Venetiarum; utitur rubro, in pontificalibus tantum, archiepiscopus lucensis, ex Alexandri II privilegio; eiusdem coloris ab archiepiscopo coloniensi, antiquo electore, defertur. Ita pariter ex privilegio Alexandri VI, ut fertur, ab episcopo derthonensi.

Hisce praemissis, gradum facimus dicendo, quando, quibus in functionibus, et cui, praesenti disciplina inspecta, pileolum liceat adhibere.

Pileolus, ab initio, ratione valetudinis introductus fuit. Hinc s. Carolus Borromaeus in primo concilio mediolanensi pileolum deferre vetuit iis qui optima gauderent valetudine. Sarnellius illius usum generice reprobavit. Labente vero tempore pileoli usus plurimum invaluit, quia forte, cum arctioris evasisset formae et capiti adhaereret, vix consideratus fuerit tamquam verum capitis operimentum. Verum S. R. C. moderandum eius usum existimavit, ac proinde decretis pluribus statuit, nullimode esse adhibendum in celebratione missarum ac in ceteris sacris functionibus; prout et per vias cum Sacramentum infirmis esset deferendum; ac si faculta-

tem interdum, gravibus instantibus causis, concessit, inter missarum solemnia canonis tempus excepit, et in ss. Sacramento deferendo, non nisi acrius hiemale tempus, aut infirmam valitudinem, et quidem extra oppidum aut civitatem, consideravit. Pileolum violacei coloris, ut diximus, saecularibus solemniis recurrentibus ss. Apostolorum Petri et Pauli, Pius IX P. M. episcopis omnibus cum brevi d. d. 17 iunii 1868 concessit tunc existentibus et futuris, cum antea ii tantum qui singulari facultate praediti fuissent eiusmodi deferrent (1), non autem e serico, sed panno laneo, consuetudo autem contraria videtur satis diffusa. Episcopi gaudent privilegio deferendi pileolum violacei coloris a die in qua a Summo Pontifice electi sunt, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint (S. R. C. die 2 maii 1910, n. 4284, III, Declaratio). Cohonestavit S. R. Congregatio usum pileoli deferendi, inter sacras functiones, ab ecclesiasticis assistentibus, non vero in actuali, ut dicitur, ministerio (DD. 167, 2027[7], 2425[10], 2895[5, 6]). Unde contra cl. De Herdt in Prax. Pontificali l. 1, c. 3, n. 32, presbyter assistens pileolum in capite tenere nequit, non tantum cum aspersorium aut incensum episcopo ministrat, ipsum incensat, vel ei assistit ad missale, ex quo episcopus legit, sed et in intervallis. Similiter diaconi assistentes, non solum dum episcopus legit introitum, epistolam etc., sed et apud sedem episcopalem existunt, et non ministrant, ipsi caput pileolo cooperire non possunt; et idem dicendum est de diacono et subdiacono, non solum dum ad altare assistunt, sed et dum ad scamnum in cornu epistolae existunt. Canonici similiter caput pileolo cooperire non possunt in circulis coram episcopo (DD. 1650, 2895[4], 394[2]), neque ad intonationem antiphonarum (D. 2425[10]); neque in danda et recipienda incensatione (DD. 914[2], 1258, 1324, 3428[2]), neque in

(1) Episcopi autem accipere debebant speciale aliud breve pro executione illius concessionis, quod nunc per decretum S. C. Consistor. abolitum est.

recipienda aspersione aquae benedictae (D. 1650 [2]), neque in cantandis lectionibus, passione, precibus aut orationibus (D. 2079 [1]), neque in quibusvis similibus functionibus ecclesiasticis, etiamsi alias pileoli usus permittatur, nisi hoc specialiter indultum fuerit (DD. 2800, 2895 [5, 6]); ita ut pileolus generaliter deponendus sit, quando aliqua caeremonia est exercenda, altare, chorus vel celebrans salutandus, aliquid a celebrante recipiendum, etc. Qui apostolico gaudent indulto utendi pileolo, ait praelaudatus auctor, eo tamen uti nequeunt, cum coram episcopo celebrant, aut coram eo sacras exercent functiones, neque cum episcopo in altari assistunt (DD. 1558, 2800). Pileolus et in ipsis sacris functionibus, servatis servandis, et ministrantibus exceptis, ut supra dictum est, ex universali consuetudine, decretis postmodum firmata, permissus est (D. 2769). In pluribus etiam decretis canonicis permissus supponitur, etiamsi sint parati, modo episcopo non assistant et ministrent (D. 3094 [3]); quinimo etiam beneficiatis aliisque qui canonicis sunt inferiores, licitus declaratur (D. 2039 [3]). Tam canonici quam beneficiati, quam capellani aliive eum deponere debent quando in medium chori prodeunt ad canendum. Ministris autem paratis usus quidem bireti, non vero pileoli permittitur (D. 3002 [2]); item clericis seminarii in choro pileolo, inservientibus autem seclusis, uti licet. Ex dictis concludendum est: tenentur pileolum deponere qui dicunt *a*) invitatorium, *b*) lectiones, *c*) martyrologium, *d*) responsoria brevia, *e*) orationes, in divinis officiis; qui *f*) antiphonas et psalmos intonant aut aliud quid simile; deponere illum quoque debent omnes: *g*) cum genuflectendum est, saltem brevi mora; *h*) cum evangelium dicitur ante homiliam; *i*) initio missae, cum fit invicem confessio; et cum recitatur *j*) *Kyrie, Gloria, Credo, etc.*, seu in choro seu in circulis ante episcopum; *k*) cum aspersio aquae benedictae, thurificatio et benedictio accipitur; *l*) cum datur aut recipitur pacis osculum; *m*) alicubi a praefatione ad communionem, sin minus tempore consecrationis et elevationis, et cum *n*) ss. Sacramentum palam,

etiam in pyxide, expositum est. Prohibetur item pileolus et privilegium habenti *o*) cum aliquis, non episcopus missam coram episcopo canit aut legit.

Episcopus utitur pileolo sub mitra, ut haec commodius capiti adaptetur. In caerem. episc. lib. 2, c. 8, § 3, praescribitur quomodo ab assistentibus diaconis pileolus cum mitra imponendus et auferendus sit. Cum vero brevi citato Pii IX omnes patriarchae, archiepiscopi et episcopi usu pileoli gaudeant, in missis et vesperis sola mitra, non vero pileolus aufertur, excepto tempore incensationis, in altari ubi ss. Sacramentum asservatur, a consecratione usque ad factam communionem, et coram ss. Sacramento exposito. Pileolus ab episcopo celebrante detrahitur in principio praefationis, nempe, priusquam ipse praefationem incipiat, et reponitur sumpto ss. Sanguine.

Si episcopus assistit pluviali indutus, ad cantum evangelii eum deponere debet, iuxta decretum S. C. Caerem. diei 20 maii 1890, quod sic habet: Cardinales et episcopi, sacro assistentes, sive seorsim, sive collegialiter, ad cantum evangelii, et dum thurificantur, pileolum deponere tenentur (Cfr. Nouv. Revue théol. tom. XXIII pag. 350); idem dicendum cum episcopus incensationem recipere debet. Sub finem thurificationis chori, aut saltem canonicorum, vel iuxta alios, in praefationis initio consurgent assistentes episcopo, et secundus diaconus tollet ipsi mitram, ac primus pileolum (1). Similiter episcopus assistens, dicto *Sanctus*, accipit a primo diacono assistente pileolum ac mitram pretiosam; baculo in manu sinistra capto, descendit de throno medius inter diaconos assistentes, et vadit ad medium altaris, sequentibus eum ministris de mitra et baculo, ibique deponit baculum, secundus diaconus assistens, postquam episcopus super genuflexorium genuflexerit, ei aufert mitram, et primus pileolum (Caer. episc. lib. I, c. VIII,

(1) Si celebrans episcopus, ait cl. Menghini, hoc tempore dimittit pileolum, a fortiori illum dimittere debet episcopus assistens.

n. 3); tum diaconi assistentes genuflectunt ad utrumque eiusdem latus, ministri de mitra et baculo retro post eum. Elevatione peracta, surgit episcopus cum assistentibus et dictis ministris, ac genuflectit cum eisdem unico genu versus ss. Sacramentum in altari positum; primus diaconus assistens reponit episcopo pileolum (S. R. C. die 14 iunii 1845 *in Oppiden.* ad 9, n. 2895, et die 5 dec. 1868 *in Nucerina*, n. 3188), et mitram (Martinucci lib. V, c. 13, n. 165, et Meratus t. 1, p. 2, tit. 14, n. 31); et baculo sinistra accepto, episcopus redit ad thronum in medio duorum assistentium. Episcopus, ad thronum reversus, baculum deponit, et, a secundo diacono assistente mitra ablata, stat pileolo retento, si habetur consuetudo (D. 3188), et manibus iunctis conversus ad altare. Ex quo evincitur, ait cl. Menghini, posse illum tenere etiam ante elevationem, iuxta praxim a nobis expositam.

(Continuabitur).

Consultationes.

Quaeritur — In loco N. iam a saeculo XVI extat Ecclesia, coenobio Fratrum Minorum adnexa, sub titulo S. Sebastiani aedificata riteque consecrata. Anno 1866, Regularibus per leges civiles e domicilio expulsis, Ecclesia a quodam privato empta est, ad usus profanos conversa et ad quamdam veluti cellam vinariam reducta. Irreligioso viro defuncto, eius haeredes, pie cogitantes, ecclesiasticum patrimonium Ordinario dioecesano publico instrumento donarunt, interposita tamen conditione in actis relata, ut, cum Ecclesia ad pristinum cultum restitui possit, Immaculatae Virginis Conceptioni dedicaretur. Episcopus alacriter aedificium reparare curavit, et interiori structura aliquantisper reformata, integram dexteram partem, ut Ecclesia latius pateret, de novo extruxit. Omnibus absolutis, Episcopus ad solemnem benedictionem devenit, et iuxta conditionem in actu donationis acceptatam, Ecclesiam Deo dicavit titulo B. Mariae Virginis Immaculatae; cuius facti memoria tabulae lapideae demandata est, quae in Ecclesia collocata omnibus patet. Paucis abhinc annis, Episcopo vita functo, Ecclesia una cum continenti coenobio iterum in dominium Fratrum Minorum devenit, qui ancipites sunt de legitimitate Tituli antiquae eorum Ecclesiae substituti. Alii tenent Ecclesiam neque per profanationem neque per novae partis aedificationem desiisse esse consecratam, ideoque Episcopum, sive scienter sive ignoranter egerit, omni iure caruisse mutandi Titulum. Alii vero contendunt consuetudinem, modo vigentem recolendi novum Titulum tantum, innovandam non esse, quia omne factum praesumitur rite factum. Quid agendum in praxi?

Resp. Ante omnia observandum est, quod non clare patet, ex propositione casus, an Episcopus, post reparationem Ecclesiae, eam benedixerit tantum, vel consecraverit, legitur enim: *Omnibus absolutis Episcopus ad solemnem benedictionem devenit;* et postea additur *Ecclesiam Deo dicavit titulo b. Mariae Immaculatae*. Procul dubio nobis videtur quod in casu agatur de vera dedicatione, licet usus sit Consociatus noster verbo benedictionis, loco consecrationis; eo

quod si revera Ecclesia fuit tantum solemniter benedicta, tunc facilis esset responsio, nimirum, Fratres minores deberent agere festum Titularis s. Sebastiani ritu et octava competenti, ac etiam de Immaculata, quae aliunde ius habet ad ritum I classis cum Octava.

Quod si Episcopus Ecclesiam dedicaverit ex novo, eo quod eam ampliavit, omittens in ritu dedicationis nomen antiqui Titularis, id agere nequibat, iuxta ea quae nos ipsi docuimus in praecedenti Num. *Ephemeridum Liturgicarum*, ideoque habenda est Immaculata Conceptio tamquam Contitularis, et sic de duobus Titularibus agendum est festum, ita ut, in Calendario illius Ecclesiae, die 8 decembris addendum sit: Nostrae Ecclesiae Titularis.

Ratio nostrae conclusionis manet in eo quod revera antiqua Ecclesia destructa non fuit umquam; violata forsan et polluta extitit, non tamen ex hoc consecrationem perdidisse dici potest. Ergo si consecrationem non amisit, si aedificium sacrum esse non cessavit, licet ad usus profanos adhibitum, s. Sebastianus semper servavit iura Titularis.

Nec obstat quod Episcopus in nova consecratione nomen s. Sebastiani non expresserit, quia id factum fuit ex mera oblivione, sive errore, et ideo huiusmodi oblivio vel error privare nequit iura acquisita antiqui Titularis.

Quibus ex causis, Fratres minores qui deserviunt illi Ecclesiae contentiones dimittant, sed simul conveniant in hoc, quod celebrent et antiquum et novum Titularem.

Dr. P. Piacenza.

Quaer. Sacerdos, Missam celebrans in aliquo Oratorio publico vel semipublico Sororum religiosarum, quale Kalendarium sequi debeat?

Resp. Distinguendum est, utrum dictae Sorores legitime habeant aliquod Kalendarium proprium, necne.

Si I, *si nempe illae Sorores legitimae habent Kalendarium proprium,* tunc certum est quod quilibet Sacerdos, in dicto Oratorio celebrans, se conformare debeat Kalendario illarum Sororum proprio, ad normam Decreti S. R. C. *Urbis et Orbis* d. 9 iulii 1895, a Leone Pp. XIII d. 9 dec. eiusdem anni approbati. Missae quae celebrantur in Oratoriis seu Capellis... piarum Communitatum...., respondere debent Ka-

lendario loci, dummodo agatur de Capella principali, quae instar Oratorii publici, ad effectum memorati Decreti, habenda est (S. R. C. 22 maii 1896, n. 3910).

Quenam autem Sorores religiosae ius habeant ad Kalendarium proprium, clare statuitur in Decreto S. R. C. d. 28 februarii 1914 (*Acta Apost. Sed., vol. VI, pag. 118*), in quo sequentia leguntur:

« *I. Ordines Regulares proprium omnino habere debent Kalendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorundem Ordinum* ».

« *II. Congregationes et Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant Kalendarium* ».

« *III. Congregationes et Instituta, quae sive Ordinaria, sive Apostolica auctoritate sint approbata, non tamen comprehendantur paragrapho praecedenti, uti debent Kalendarium dioecesano prouti iacet, additis iuxta Rubricas, Officiis, quae ipsis peculiariter concessa sunt* ».

Hinc iuxta praefatum Decretum ius habent ad Kalendarium proprium:

1° Ordines regulares, et pariter Moniales et Sorores eorumdem Ordinum, seu quae cum illis coniunctae aut illis aggregatae sunt;

2° Ex iis quae non pertinent ad aliquem Ordinem regularem, Congregationes et Instituta utriusque sexus, a S. Sede approbata, quae sub regimine unius praesidis generalis constituta sunt et ad recitationem divini Officii tenentur, in praefatorum Ecclesiis et Oratoriis sequendum est Kalendarium quod est iis proprium. — Aliae Congregationes et Instituta, quae non sunt a S. Sede approbata, vel quae non sunt sub regimine unius praesidis generalis constituta, vel quae non recitant divinum Officium, non habent ius ad Kalendarium proprium; sed hae Congregationes et Instituta, sequantur Kalendarium *dioecesanum*, prout iacet, additis Officiis quae peculiariter eis concessa sunt.

Quaestio nunc est, an pro Monialibus et Sororibus quae ad Ordinem regularem virorum pertinent, ut ius habeant ad Kalendarium proprium Ordinis regularis, quocum connexionem habent, revera requiratur, ut dictae Moniales vel Sorores quotidie recitent Officium Canonicum, uti requiritur pro aliis Institutis religiosis a S. Sede approbatis et sub regimine unius praesidis generalis constitutis?

Resp. Mihi videtur distinguendum esse: si Moniales vel Sorores, ad aliquem Ordinem regularem virorum pertinentes, habeant *privilegium speciale S. Sedis adhibendi Kalendarium proprium istius Ordinis regularis, quamvis non recitent quotidie Officium divinum, sed potius Officium Deiparae parvum aliasque preces, eo in casu ius* habent ad Kalendarium proprium illius Ordinis ad quem pertinent; si secus, negative. In praefato enim numero primo supra memorati Decreti nullimode habetur ista conditio (ut recitent Officium Canonicum) ad habendum Kalendarium proprium, sed solummodo ut dictae Moniales et Sorores habeant connexionem cum primo Ordine regulari. Et nonne haec est ratio, ob quam S. R. C. huiusmodi Moniales et Sorores expresse voluit distinguere ab aliis Congregationibus et Institutis religiosis, quae nullam habent connexionem cum aliquo Ordine regulari virorum? Secus enim S. R. C. omnes istas Congregationes sub eodem numero posuisset. — Consequenter, si dictae Moniales vel Sorores habeant eiusmodi privilegium, hoc per memoratum Decretum d. 28 febr. 1914 nullimode abrogatum censeri potest, ut omnino conforme isti Decreto. Porro in pluribus Ordinibus regularibus existit eiusmodi privilegium, vi cuius Moniales et Sorores tertii Ordinis, necnon Tertiarii *saeculares* in suis ecclesiis et Oratoriis sequi possunt Kalendarium, Missale et Martyrologium illius Ordinis ad quem pertinent, vel cui aggregati sunt, etiam si dictae personae loco Officii Canonici recitent dumtaxat Officium parvum B. Mariae Virginis.

Sic pro Ordine Fratrum Minorum S. Francisci habetur sequens decretum, seu potius declaratio S. R. C. d. 15 aprilis 1904 (n. 4132), quae est sequentis tenoris:

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum SS. Rit. Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum :

I. Utrum facultas adhibendi Kalendarium Romano-Seraphicum, a Summo Pontifice Pio VI, per Bullam *Religiosos Ordines*, sub die 6 septembris, anno 1785, facta « Monialibus... Tertii Ordinis S. Francisci... aliisque... quae vel sint Instituti vel connexionem aliquam seu coniunctionem in sui origine aut progressu cum Ordine Minorum habentis... necnon personis Tertii Status », competat iam, non solum Tertiariis utriusque sexus, divinum quotidie recitantibus Officium, *sed etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus ;* atque in horum Ecclesiis et Oratoriis ?

II. Utrum licentia adhibendi Kalendarium Romano-Seraphicum, concessa per memoratam superius Bullam ab eodem Pio VI « personis Tertii Status Tertii Ordinis S. Francisci, Choro non obligatis », intelligenda sit dumtaxat de Sacerdotibus nullius Ecclesiae servitio canonice addictis : an etiam de Sacerdotibus Tertiariis alicui Ecclesiae canonice mancipatis ? Et quatenus affirmative ad secundam partem :

III. Num iidem Sacerdotes Tertiarii alicui Ecclesiae canonice adiuncti, in Festis Patroni principalis, Tituli ac Dedicationis Ecclesiae, tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus debent Missam applicare pro populo, teneantur in Officio ac Missa sequi Kalendarium Dioecesis, prouti Fratres primi Ordinis : ac deinde, recurrente iuxta Kalendarium Minoriticum aliquo Officio, secundum Ordinem diocesanum iam recitato, utrum se conformare possint Kalendario Romano-Seraphico: an vero habita ratione huiusmodi Officiorum de praecepto, debeant, prouti fit in primo Ordine, impeditorum Festorum repositionem seu translationem disponere (*si translationis iure gaudeat*) ?

Et Sacra eadem Congregatio, relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque diligenter perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam, dummodo Choro non teneantur.

Ad III. Ad primam partem affirmative ; ad secundam partem negative ad primam quaestionem, et affirmative quoad secundam » *(Vide Decret. authent. Congr. SS. Rit., vol. VI, p. 46).*

Omnino similem privilegium concessum fuit a S. R. C. d. 22 ianuarii 1906 Tertiariis utriusque sexus, qui cum Ordine nostro Capuccinorum coniunctionem habent. Illud invenitur in *Anal. Ord. Capuc.*, vol. XXXII, p. 68. — In hac tamen concessione habetur haec clausula (quae, ut patet, valet, etiam pro Ordine tum Fratrum Minorum tum Conventualium): « S. R. C... attentis expositis, benigne precibus annuit: ***exceptis tamen Tertiariis Franciscalibus tam saecularibus quam Regularibus qui Kalendarium Ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in Horis canonicis persolvendis Sacroque litando iam assumpserint*** ».

Ex dictis privilegiis satis constat, etiam Sorores Franciscales, quae solummodo recitant Officium parvum B. M. V. aliasque preces, ius habere ad Kalendarium proprium Franciscanorum in suis Ecclesiis et Oratoriis.

Sed aliquis forsan obiiciet: nonne ratio principalis, ob quam Moniales aliaeque Sorores ius habent ad proprium Kalendarium, sit, quia ibi Missa conventualis omnino respondere debeat Officio divino recitato, quae ratio non existit apud illas Sorores, quae Officium Canonicum non recitant ?

Resp. Concedo hoc principium verum esse generatim ; sed quaestio est, an eiusmodi privilegium S. Sedes concedere nequeat ? — Et insuper nonne Tertiariis Sacerdotibus saecularibus S. Francisci, qui ad Chorum non tenentur, etiam Kalendarium Franciscanum adhibendi in suis Ecclesiis et Oratoriis concessum sit, quamvis ex dispensatione Officium Canonicum non recitent ? Et an Congregationes et Instituta, quae ad nullum Ordinem regularem pertinent et sub regimine unius praesidis generalis non

sunt constituta, quamvis recitent Officium Canonicum, ius habeant ad proprium Kalendarium? — Demum, ubinam habeatur prohibitio, quod solummodo Sorores, quae ad recitationem divini Officii tenentur, ius habeant ad Kalendadarium proprium et si talis prohibitio existat, nonne S. Sedes in hoc dispensare possit? — Quamvis itaque praefatum principium sit generale, huic tamen ad minus admittendae sunt exceptiones. Et consequenter, si S. Sedes eiusmodi privilegium adhibendi proprium Kalendarium in suis Ecclesiis et Oratoriis concesserit Tertiariis Franciscalibus, tum saecularibus quam regularibus, etiamsi loco Officii divini Officium Deiparae parvum aliasque preces recitent, uti S. Sedes illud revera concessit, hoc privilegium per decretum S. R. C. d. 28 februarii 1914 abrogatum censeri nequit, utpote huic decreto omnino conforme, sed potius in pleno suo robore permanet; ideoque quilibet Sacerdos, Missam celebrans in earumdem Sororum Ecclesia seu Oratorio, tenetur se conformare Kalendario Franciscano ab eisdem Sororibus legitime assumpto, huiusque Missale adhibere (1).

Si vero II, *si nempe Sorores religiosae proprium Kalendarium non habeant,* ne quidem ex privilegio speciali S. Sedis, eo in casu iterum distinguendum est, utrum Celebrans Missam in Ecclesia seu Oratorio earumdem Sororum habeat a competente auctoritate directionem seu curam loci seu Oratorii principalis istarum Sororum, necne:

Si 1um, si nempe illa directio seu cura Oratorii princi-

(1) Quinimmo cl. Dr. P. Piacenza (in suo *Commentario super Decr. S. R. C.* d. 28 febr. 1914, apud. *Ephemer. Liturg.*, an. 1914, p. 263), videtur ulterius progredi, dicens: « Quod si ex. gr. in ecclesiis Filiarum Charitatis S. Vincentii a Paulo, quae Officium divinum non recitant, nec ipsum Officium parvum B. Mariae, Capellanus ordinarius esset unus ex presbyteris Congregationis Missionis, procul dubio tunc Missam celebrare posset iuxta Kalendarium suae Congregationis, eo quod Oratoria Puellarum a Charitate fictione iuris, pertinent ad ipsam Congregationem, cuius supremus Moderator est etiam Superior Generalis ipsarum Puellarum ».

palis istarum Sororum a competente auctoritate (nempe sub cuius iurisdictione illae Sorores sunt constitutae) concredita sit alicui Religiosae Familiae, tunc omnes Sacerdotes, in eo Oratorio celebrantes, sequi debent Kalendarium eiusdem Familiae religiosae proprium, eiusque Missale adhibere. Hoc principium clare stabilitum est in Decreto S. R. C. *Urbis*, d. 15 decembris 1899 ad 2 (n. 4051), ubi dicitur: « In Ecclesiis *(et idem dicendum est de Oratorio publico vel semipublico)* alicui Religiosae Familiae concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur sequi Kalendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur ».

Hoc tamen principium limitatur solummodo ad Ecclesiam *(seu Oratorium)*, quae Religiosae Familiae, non vero quae alicui personae privatae, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissa est, uti dicitur in eodem Decreto ad 3.

Perbelle illustratur et explicatur praefatum decretum per ea quae dicunt *Ephemerides Liturg.*, vol. XII, p. 164, ubi sequentia habentur: Si Oratorii publici vel semipublici (seu Ecclesiae) servitium, annuente vel iubente Ordinario loci, ab aliquo Ordine vel Familia Religiosa ita assumatur, ut praefatum Oratorium vel proprium vel tamquam proprium evadat, eo ipso Sacerdos Regularis dicto Oratorio (seu Ecclesiae) addictus, non amplius celebrat in alieno Oratorio (seu in aliena Ecclesia), sed in proprio, adeo ut ibi Missam possit conformem facere Kalendario proprio.

Notandum tamen est, addunt eaedem *Ephemerides* (loc. cit.), quod si aliqua Religiosa Familia onus suscipiat unum vel alterum e suo gremio mittendi ad aliquod Oratorium publicum vel semipublicum alicuius servitii gratia, puta pro Missa celebranda eo inferri nequit dictum Oratorium eiusdem Familiae proprium vel quasi proprium evadere.

Insuper ex Decreto S. R. C. d. 11 februarii 1910 ad 3 (n. 4248) patet, non sufficere quod Sacerdotes Regulares auctoritate Episcopi in aliqua domo Sororum habeant earum curam spiritualem, sed requiritur *ut ipsi habeant, de consensu Episcopi, curam loci seu Sacelli principalis istarum Sororum ad*

utendum Kalendarium Ordinis proprio (Cf. *Ephemer. Liturg.*, vol. XIX, p. 265). Vide etiam S. R. C. Decreta n. 3862 et n. 3910.

Demum, ut aliquod Oratorium publicum vel semipublicum (seu Ecclesia) alicuius Religiosae Familiae evadat proprium seu quasi proprium, requiritur etiam, ut directio seu cura illius Oratorii (seu Ecclesiae) dictae Familiae Religiosae a competente auctoritate sit commissa *modo stabili vel pro tempore indefinito*. Hoc sequitur ex sequentibus S. R. C. Decretis, d. 15 dec. 1899 ad 2 et 3 (n. 4051), 11 febr. 1910 (n. 4248) et 22 april. 1910 (n. 4252).

Si vero 2^{um}, si nempe illa directio seu cura Sacelli piincipalis illarum Sororum resideat auctoritate Episcopi apud aliquem Sacerdotem saecularem, manifestum est ex praecedentibus eo in casu quemlibet Sacerdotem, in illo Oratorio celebrantem, se conformare debere Kalendario *Dioecesis*. In hoc sensu intelligenda est sequens responsio S. R. C. d. 27 ianuarii 1900, data Episcopo Bredano: «... In Oratoriis vero Fratrum et Sororum qui semper idem recitent Officium, ex. gr. parvum B. Mariae Virginis, vel qui pro Officio quasdam preces dicunt, pro Missa celebranda sequendum sit Kalendarium *Dioecesis* », si nempe (*uti explicite habetur in petitione*) cura illius Oratorii sit demandata Clero *saeculari*.

Pariter in hoc sensu intelligendum est Decretum S. R. C. d. 10 maii 1907, quod est sequentis tenoris:

Dubiorum. A SS. Rit. Congregatione nuper expostulatum est:

I. An Sorores tertiariae Ordinum Regularium, Ordinariis locorum subiectae, quae in communitate vivunt, vota simplicia nuncupant et tantummodo Officium parvum B. M. Virginis recitant, teneantur [*intellige extra speciale privilegium S. Sedis* (1)] in propria Ecclesia, seu Oratorio, sequi Kalendarium respectivi Ordinis, relicto Kalendario dioecesano, quo, annuente ac praecipiente loci Ordinario, a diurno tem-

(1) Verba, inter parentheses posita, sunt a me addita.

pore usque in praesens utuntur? — Et quatenus negative:

II. An eadem Sorores praedictum Kalendarium dioecesanum adhibentes participent omnes indulgentias, quae a Romanis Pontificibus directe concessae sunt tantum respectivis Ordinibus eorumque Ecclesiis?

Et S. eadem Congregatio.... attentis Decretis S. C. Rit. et Indulg., ita respondendum censuit: ad I. Negative [si nempe cura illius Oratorii seu Ecclesiae Clero saeculari sit concredita (1)]. — Ad II. Affirmative. Serventur autem decreta, praesertim S. R. C., n. 3862 *Urbis et Orbis*, 9 decembris 1895 et S. C. Indulg. et Sacr. Reliq. « De Indulgentiis Tertiariorum », 28 augusti 1903 (Vide *Acta Pii X*, vol. IV, p. 231, et *Anal. Ord. Capucc.*, vol. XXIII, p. 197).

Notandum est quod praedicta duo Decreta a S. R. C. in sua Decret. authent. Collectione non fuerint inserta; ultimum vero Decretum in *Actis Pii X* legitime fuit publicatum; utrumque tamen magnum valorem habent, si rite intelligantur, ad illustranda principia supra memorata.

P. VICTORIUS AB APPELTERN, O. M. CAP.

BREVIORA RESPONSA

Pro Conventu S. P. — I. Quaeritur an solemnitas externa recte ordinetur in sequentibus Dominicis:

1. Die 23 ianuarii, Dom. III p. Epiph. de ea, etc. — Siculi de *S. Familia I. M. I.* solemnitas externa celebretur, Mss. omnes, praeter Convent. et Paroch. de eadem. *Alb.* Ms. pr. (pro aliquib. locis) cum *Gl.* 2. Or. Dom. 3. S. Emerentianae, *Cr.* Praef. Nativ. Ev. Dom. in fine. In Ms. solemni p. Non. unica Or. om. Coll. et dic. Ev. S. Ioannis in fine.

(1) Haec verba inter parentheses posita, sunt a me addita; dicit enim S. R C.: « attentis Decretis eiusdem S. Congregationis ».

2. Die 19 martii, Dom. II. Quadr. etc. *Sicubi* de *S. Ioseph* solemnitas externa cum extraordinario populi concursu celebratur, de eod. cantari potest (*Ephem. Lit.* 1915, p. 238) unica Ms. p. Non. *Alb.* cum *Gl.*, unica Or., *Cr.*, Praef. Trin., ult. Ev. S. Ioan.

3. Die 2 iulii, Dom. III p. Pent. Visitatio B. M. O. d. 2. cl. etc. *Sicubi* de *Pretios. Sanguine D. N. I. C.* solemnitas externa celebratur, hoc anno fieri potest de eodem tant. com. in omnib. Mss.

4. Die 16 iulii, Dom. V. p. Pent. De ea etc. Si de *Ss. Redemptore* (olim d. 2. cl.) solemnitas externa celebratur, *Veronae ad Coemet.* Mss. omnes, *alibi* unica Ms. solemn., praeter Conv. et Paroch., de eod. *Alb.* ut in Festo, *Gl.*, 2. or. Dom. 3. B. M. V. tant., om. Coll., *Cr.*, Praef. Cruc. Ev. Dom. in fine.

5. Die 15 octobris, Dom. XVIII p. Pent. 3 octobre De ea etc. Sicubi de *Puritate B. M. V.* solemnitas externa cum magno populi concursu celebratur, unica Ms. solemnis post Non. de eadem. *Alb.* Ms. pr. (inter festa mobilia) cum *Gl.*, unica Or., *Cr.*, Praef. *in festivitate,* Ev. S. Ioan. in fine.

Resp. 1° Ante omnia videndum, an S. Familia legitime, usque ad diem 28 octobris 1913, Dominicae illi *perpetuo affixa erat,* quae est conditio a S. R. C. apposita sub praefato die, ut solemnitas externa liturgice continuari queat. Dein videndum an sub ritu 1ae, an vero 2ae classis tunc recoleretur. Tandem videndum an adhuc recolatur idem festum die fixa mensis (19 ianuarii, ex decr. S. R. C. 28 april. 1914). Et sane, supposita conditione de qua diximus, et supposito ritu duplici 1ae cl. recte procedit ordo descriptus, excepta oratione S. Emerentianae, quae dicenda non esset *si festum ipsa Dominica incidisset,* ut ait decretum (sed de S. Raymundo de Pennafort nihil dicitur in Ordinario?): supposito vero ritu duplici 2ae cl., unica Missa solemnis vel lecta permitteretur. Attamen Missa solemnis admitteret commemorationem Dominicae tantum (nisi et locum habent S. Raymundus), quia ita se exprimit decretum: *addita oratione de Officio diei,* et aliis omnibus *quae dicendae essent si festum ipsa Dominica incidisset,* et addendum ei esset ultimum Evangelium Domincae. Collectae vero exularent tam si festum esset 1ae quam si 2ae cl., quia, rursus occurrit eadem ratio: dicendae non essent, *si festum ipsa Dominica incidisset.*

Diximus videndum esse an festum adhuc in Kalendario habeatur, quia secus *dubitamus,* utrum possit nec ne continuari festum *externum,* abolito festo *liturgico;* at, quia agitur de re favorabili,

usque ad contrariam auctoritativam dispositionem, benigne interpretanda lex est, et si *usque ad diem 28 octobris 1913* festum illud recolebatur Dominica illa, poterit continuari externa eius celebratio.

Et reipsa decretum ait simpliciter : *festorum, quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant;* hoc autem verum est, etiam si hodie festum quoad Officium abolitum sit.

2° Ratione solemnitatis externae, quae decreto 28 octobris 1913 gubernatur, nihil fieri posset, in casu, quia de S. Ioseph, etiam in locis de quibus agitur, non supponimus festum fuisse liturgicum perpetuo affixum Dominicae II Quadragesimae. Quod vero attinet Missam solemnem, ex titulo VI rubricarum generalium Missalis usque ad contrariam Auctoritatis dispositionem, adhaereri potest doctrinae *Ephemeridum Liturgicarum* (loco in dubio citato).

3° Decretum 28 octobris 1913 ait : « ...in casu (impedimenti)... in omnibus Missis, quae *alioquin* de solemnitate externe celebrata *permitterentur,* addatur eius oratio sub unica conclusione cum prima ». Quae sunt, nisi occurreret festum impediens, nempe Visitationis B. M. V., Missae quae permitterentur de Pretioso Sanguine? — *Una* tantum, et non *omnes,* quia omnes Missae permitterentur de duplici 1ae classis, non de duplici 2ae classis; si ergo una tantum Missa, solemnis vel lecta permitteretur de Pretioso Sanguine, nisi ageretur, Dominica illa, de Visitatione, *una tantum* erit Missa, in qua oratio sub unica conclusione addatur de Pretioso Sanguine.

4° Cur *Veronae* Missae omnes, si generaliter declaratum est, SS. Redemptorem fuisse *olim* festum duplex 2ae classis? — Cur *alibi* Missa solemnis, si decretum pluries citatum habet *solemnis vel lecta?*

5° Easdem animadversiones facimus, ac pro solemnitate S. Familiae, et si valet ratio solemnitatis, iuxta decretum 28 octobris 1913, superfluum est addere in Ordinario : « cum magno populi concursu »; quia si applicari velit rubrica generalis, tit. VI, Missalis, oporteret ut ageretur de festo *occurrente* de quo fieri nequiret Officium ob impedimentum; sed non est hic casus.

II. Quaeritur an rite ordinentur sequentia festa cum populi concursu celebranda:

1. Die 7 aprilis, F. 6. B. Mariae Crescentiae V. 3. O. d. etc. *Sicubi* de *Pretiosiss. Sanguine D. N. I. C.* olim d. 1. classis cum extraordinario populi concursu celebratur, unica Ms. solemn. de

eod. *Rub.* ut die 1 iulii, cum *Gl.*, un. Or., et *Cr.*, Praef. Cruc. et Ev. S. Ioan. in fine.

2. Die 16 iulii, Dom. V. p. Pent. De ea, etc. *Sicubi* festum *B. M. V. de Monte Carm.* cum extraordinario populi concursu celebratur, unica Ms. solemnis praeter Conv. et Paroch., de ead. post Non. *Alb.* ut in festo, *Gl.*, 2. or. Dom. tant., om. Coll., *Cr.*, Praef. *in commemoratione.* Ev. Dom. in fine.

Resp. 1° Unde venit ius ad hanc Missam solemnem de Pretioso Sanguine? Extraordinarius populi concursus potest permittere Missam de festo transferendo (rubr. gen. Missal. tit. VI), vel etiam de alio impedito, quamvis non transferendo (S. R. C., n. 1421, II); sed si festum Pretiosi Sanguinis non amplius habet locum, quid manet? Nil aliud profecto, nisi facultas illud celebrandi ex devotione, nullo tamen cum privilegio liturgico, scilicet cum Missa, nisi illud, ob peculiares causas, côncesserit S. R. C.; neque invocari potest decretum 28 octobris 1913, quia hoc agit tantum de festis *hucusque alicui Dominicae perpetuo affixis*.

2° Festum B. M. V. de Monte Carmelo bene celebrari poterit, ob confluentiam populi cum Missa solemni, ex decreto supra citato, quod, si valet pro Simplici, a fortiori valet pro duplici maiore simplificato. Sed, ex eodem decreto, non debet addi commemoratio et Evangelium Dominicae.

IV. Quaeritur an sequentibus diebus bene disponantur Officia translata:

Die 2 maii, F. 3. *S. Raphaelis Archangeli* (fuit 16 apr.) d. 2. cl. com. S. Athanasii.

Die 3 maii, F. 4. *Inventio S. Crucis.* In Vesp. com. seq. S. Marci.

Die 4 maii, F. 5. S. Marci Ev. (olim † 25 apr.) d. 2. cl.

Resp. Negative, quia si S. Marcus olim feriatione gaudebat, praeferri debet etiam alii Sancto nobiliori dignitate personali. Insuper, quia festum S. Marci est Ecclesiae universalis, relinquendum est in sede quam hoc anno adeptum est in Kalendario universali, quin etiam a nobiliori, quoad personalem dignitatem, amoveri queat: ita iuxta aliquos, ex applicatione decreti n. 4264, praecipientis, Kalendarium particulare redigendum esse super Kalendario dioecesis, vel Ordinis aut Congregationis, tam si agatur de Kalendario perpetuo, quam si de annuali.

Pro Conventu N. — In domo religiosa monialium (ubi degunt etiam quaedam mulieres et orphanae), quando sacerdos SS. Eucharistiam aegrotis defert. Eum comitantur tres moniales (una cum tintinnabulo, duae cum luminibus) et omnes sacerdotem *praecedunt*. Possuntne mulieres SS. Eucharistiam hoc modo praecedere? In quantum negative, potestne soror quae fert tintinnabulum sacerdotem praecedere demonstrandi viam causa et monitionem dandi? Sufficitne si una monialis tantum SS. Eucharistiam comitatur (cum tintinnabulo et uno lumine) et si sacerdos viam ad cubiculum aegroti cognoscit, sine duce, debetne monialis (vel moniales, si sint plures) sacerdotem *sequi?*

Resp. Si ubique, multo magis in domibus religiosis debet almum Sacramentum deferri cum omni reverentia. Salvo igitur casu urgentis imae necessitatis, adeant clerici, vel qui eorum partes gerunt (Rit. rom., tit., IV, n. 10), moniales sequantur. Quod si necessitas suadeat Sacerdotem accedere solum, monialis cum tintinnabulo praecedat, non uti caremoniae participans, sed viae monstrandae gratia, sequantur vero quae lumina deferant. Necessitate autem compellente luminis admovendi ante Sacerdotis passus, similiter praecedat monialis vel moniales id praestiturae.

Pro Vicariatu Apostolico de « Séoul » (Corée). — I. In Kalendario a S. R. C. recognito et approbato pro Societate Parisiensi Missionuum ad Exteras gentes, die 7 novembris indicabatur Dedicatio ecclesiarum Seminariorum - nempe Epiphaniae (128, Rue du Bac. Paris) et Immaculatae Conceptionis (Bel. Hiv près Bièrres, Seine et Oise) - Societatis, et quidem Dupl. 1ae class. cum octava in Seminariis, extra Seminaria autem Dupl. mai.; cum clausula: « servatis de cetero rubricis et Decretis, praesertim quoad Festa Dedicationis et Titularis ecclesiarum, necnon Patronorum cuiusque loci.

Porro ecclesia quasi Cathedralis Missionis nostrae di Séoul consecrata est, et eius Dedicatio celebratur iuxta rubricas die 29 maii ab utroque clero. Quaeritur utrum Missionarii qui membra sunt praedictae Societatis, insuper teneantur celebrare Dedicationem ecclesiarum Seminariorum Societatis die 7 novembris?

Resp. Affirmative, evidens enim est, iuxta exposita, ecclesias Seminariorum haberi ad instar Basilicarum maiorum Urbis, de quibus ubique fit, secus S. R. C. in Kalendario approbando posuisset clausulam restrictivam. Et sane hoc probat ritus duplex maius, qui numquam locum habet in similibus, nisi ex privilegio. Circa eccle-

siam quasi-cathedralem, se gerant uti fit pro Dedicatione verae cathedralis.

II. Insuper ecclesia Seminarii ipsius Missionis Séoul fuit etiam consecrata, et ex decreto Ordinarii, eius Dedicatio celebranda venit - simplificationis causa - die 7 novembris, eadem scilicet die ac Dedicatio ecclesiarum Seminariorum Societatis: Quaeritur utrum clerus Seminario Missionis addictus teneatur commemorationem facere Dedicationis ecclesiarum Seminariorum Societatis?

Et quid pro utroque casu de clero indigena Missionis qui utitur eodem ac nos Kalendario, quin tamen proprie Societati ipsi pertineat?

Resp. Nequit Ordinarius eiusmodi assignationem facere, nisi in actu consecrationis, sed nequit etiam in hoc casu assignationem facere ad diem iam ab Officio duplici primae vel secundae classis Ecclesiae universalis, aut duplicem primae classis ecclesiarum particularium (S. R. C., n. 3881, V); insuper minus conveniret quod assignatio fieret die quo celebratur anniversarium dedicationis alterius ecclesiae, v. gr. die anniversaria Dedicationis Basilicarum Sanctorum Apostol. Petri et Pauli.

Pro loco T. — Altaria maiora ecclesiarum parochialium suntne ipso iure privilegiata pro defunctis?

Resp. Negative, sed recurri potest ad Rev.mum Episcopum, qui forte gaudet facultate apostolica ad talia privilegia applicanda; est enim praxis S. C. S. Officii novis Episcopis eiusmodi tradere facultatem durante munere.

Pro dioecesi N. — I. In hac Dioecesi ante reformationem Kalendarii celebrabatur die 23 octobris Festum SS. Redemptoris, et in quadam ecclesia curiali eiusdem dioecesis, ex Decreto S. R. C. diei 6 iunii 1902, Dominica ultima Pentecostes, permittebatur Missa votiva solemnis de SS. Redemptore ut in Appendice Missalis.

Quaeritur: an adhuc permittatur in praedicta ecclesia curiali Missa votiva solemnis de SS. Redemptore, cum hoc festum expunctum sit e Kalendario Dioecesano.

Resp. Scrutari oportet utrum haec Missa votiva concessa fuerit dependenter a festo quod celebrabatur in dioecesi, nec ne. Si enim permissa fuerit tamquam ratio celebrandi festum exterius SS. Redemptoris, tunc evidenter hodie cessavit privilegium, quia cessavit fundamentum eius. Si vero independenter a festo Missa votiva data

erat in favorem devotionis populi, tunc indultum perseverare dicendum est.

II. Anno 1917 Litaniae Maiores S. Marci occurrunt in Solemnitate S. Ioseph, Eccles. Univ. Patron. In ecclesiis parochialibus in quibus unica Missa celebratur, haec debetne esse de Rogationibus cum 2 or. S. Iosephi, aut de S. Iosepho cum comm Miss. Rogat. sub unica conclusione iuxta Decr. 2942 ad I et III ?

Resp. Standum decreto citato, quia casus est idem, agitur enimvero de festo S. Ioseph, Patroni ecclesiae universalis, ergo a fortiori.

III. Iuxta Decretum n. 2129, Officium Dedicationis Cathedralis recitari non debet in altera Concathedrali. Quaeritur : An hoc valeat etiam pro Concathedrali cui adlicti sunt Canonici de gremio Cathedrali? Et quatenus affirmative, an hoc valeat quoad recitationem Officii pro Canonicis et mansionariis?

Resp. Distinguendum: aut Canonici cathedralis addicti sunt concathedrali ratione beneficii, quia v. gr. beneficium fundatum est in antiqua ecclesia quae nunc est concathedralis, eo quod nova erecta est, et tunc Canonici tenebuntur etiam ad dedicationem ecclesiae beneficii. Sed forte opportunum esset implorare a S. R. C. ut dedicatio utriusque ecclesiae celebretur eodem die, uti scimus factum esse alicubi in simili casu ; ita ut non fiant in alterutra ecclesia Officia extranea. Si vero vox « addicti » accipienda sit in sensu servitii non ex beneficio, sed tantummodo exercitii ecclesiastici ministerii, tunc Canonici in concathedrali adhaerebunt Kalendario concathedralis, praescindendo ab obligatione qua ipsi tenentur tamquam Canonici cathedralis. Ita v. gr. si celebrabunt in concathedrali die dedicationis cathedralis, Missam celebrent iuxta Kalendarium concathedralis, Officium vero de cathedrali, die autem quo celebratur in concathedrali Officium de propria dedicatione, celebrent de dedicatione istius, sed Officium recitent prout indicatur in cathedralis Kalendario. Similiter dicendum de Mansionariis, qui quamvis capitulum proprie non efforment, tamen in omnibus sequi debent canonicos, quoad divina Officia.

IV. 1° Pro quibus sacerdotibus et laicis defunctis liceat habere sermonem in occasione funeris? 2° Licetne exponere in ecclesia eorum photographiam?

Resp. 1° Pro iis qui id merentur; huius rei autem iudex est Ordinarius, vel si difficilis sit accessus ad eum, is cui res de disciplina ecclesiastica solent demandari.

2° Quoad photograhiam defuncti, si agatur de eius appositione ad feretrum, obstat decretum S. R. C. n. 3898, diei 30 aprilis 1896, in *Senogallien.*, si alibi, quamvis nulla habeatur explicita declaratio, debet servari disciplina ecclesiastica, quae imagines privatorum non admittit in ecclesiis exponi.

V. Iuxta decretum n. 3863 ad 3, Anniversarium Dedicationis Ecclesiae sub ritu duplici I classis cum Octava quotannis per integrum Officium et Missam recolendum est ab omni Clero, qui ad eamdem pertinet Ecclesiam, aut ratione beneficii aut ratione subiectionis, utpote propriam. Quaeritur: An tales censendi sunt qui stricte adscripti sunt Ecclesiae, aut etiam qui non stricte adscripti? Sacerdotes intra alicuius parochiae limites habitantes sunt ne censendi sub subiectione eiusdem, et ideo debentne recolere quotannis eiusdem Anniv. Dedic.?

Resp. 1° Subiectio in casu, vera et iuridica considerari debet, non autem lato sensu sumpta. Haec enim nullam potest producere obligationem. Ita ex. gr. subiectus est clerus saecularis propriae cathedrali, quamvis non sit de gremio illius, et aliqua ratione etiam clerus regularis, inter quos idcirco exstat differentia quoad modum celebrationis. Hoc respicit Officium unius aut alterius ecclesiae; quod enim attinet locum, subiectio amplius patet, v. gr. Officium Patroni loci recitare debent etiam clerici nulli ecclesiae adscripti, quia clericus in casu, sensu lato est subditus, scilicet, non ecclesiae alicuius materialis, sed ecclesiae moralis, hoc est fidelium in loco commorantium, qui gaudent protectione talis Sancti. Quando vero agitur de clero alicui ecclesiae adscripto, cui non ratione beneficii aut subiectionis pertinet, sed ratione legitimae deputationis a Superiore factae, nisi debet, quia de hac obligatione non constat, saltem convenit ut Officium recitet de ipsa ecclesia: sic Rector, non beneficiarius, sic viceparochus, pariter non gaudens ibi beneficio. Hi autem nequirent conformari Officio seu Kalendario ecclesiae, si gauderent vero beneficio in aliqua alia ecclesia. Simplices porro Cappellani, qui videlicet tantummodo ecclesiam frequentant pro celebratione Missae et functionum sine deputatione Superioris, ita ut nequirent dici ullo modo adscripti, varia est peritorum opinio; sunt enim qui dicunt, eos posse Kalendarium illius ecclesiae adhibere, sunt alii qui negant, nisi Officium choraliter recitent, quod omnes admittunt.

2° Applicetur theoria super exposita, Sacerdotes simpliciter ha-

bitantes intra fines alicuius paroeciae non sunt illius subditi, nisi quomodo simplices fideles, ratione Sacramentorum aliorumque iurium, quae nullimode respiciunt ministerium ecclesiasticum, ideoque non tenentur ad anniversarium dedicationis ecclesiae parochialis.

VI. Tumulus seu castrum doloris, potest ne contegi vexillo nationis aut militiae, cooperto velo nigro transparente? Aut potest ne illud, sub quo erit etiam parvus pannus niger, ante infimum gradum altaris extendi, pro facienda absolutione?

Resp. Negative, et stetur communi praxi. Vexillum militiae poterit superponi tumulo, aut panno emortuali, tamquam insigne v. gr. illius, qui curam eius habuerit, vel tamquam tropheum, praelio vicerit. Poterit tamen v. gr. illo involvi arca, quae, de more, cooperietur culcitra nigra, nullimode interloquendo si aliquo momento, videlicet ex gr. dum e curru ad feretrum portatur, et vice versa.

Pro dioecesi Ruraemundensi in Hollandia. — In dioecesi Ruraemundensi in Hollandia, festum proprium dioeceseos scil. S. Amelbergae diem fixum habebat die 21 novembris. Occurrente vero quotannis eadem die feslo Praesentationis B. M. V., festum S. Amelbergae die 26 novembris celebrabatur. Nunc vero in Kalendario perpetuo in usum dioecesis Ruraemundensis, nuper reviso et a S. R. C. approbato, festum S. Amelbergae novam fixam sedem die 27 novembris obtinuit. In parochia ubi prima monasterii abbatissa fuisse traditur, et ubi eius reliquiae asservantur, est Titularis Ecclesiae. Hucusque festum huius Sanctae Virginis in hac parochia continuo die 21 novembris sub ritu dupl. I cl. celebratum est. Arduum sane est pro hac Ecclesia festum, quod a multis annis cum populi concursu festivo modo est actum die 21 novembris, mutato Kalendario dioeceseos, in aliam diem referre.

Quaeritur, utrum liceat etiam in posterum in dicta Ecclesia, festum S. Amelbergae Titularis recolere die 21 novembris, an potius pro omnibus et singulis dioeceseos Ruraemundensis Ecclesiis festum huius Sanctae Virginis sit die 27 novembris celebrandum?

Resp. Pro Regularibus provisum est a S. R. C., die 22 maii 1914. « Si festa Sanctorum aut Beatorum Ordinis vel Congregationis, quae hucusque in die obitus et cum magno populi concursu agebantur, in posterum, ob Kalendarii reformationem, extra eandem diem celebranda sint; poterit Superior Generalis permittere ut in ecclesiis conventuum, monasteriorum aut domorum, in quibus iidem Sancti aut Beati obierunt, vel eorum corpus aut insignis Reliquia asser-

vatur, unica Missa cantata et alia lecta more festivo de iisdem in praefato die obitus celebrentur, dummodo non occurrat festum duplex I classis, aut aliquod ex Officiis, Duplicia I classis impedientibus ».

Non audemus tamen asserere extendi posse eiusmodi dispositiones ad clerum saecularem, relate ad festa ecclesiarum particularium, quod attinet dies obitus Sanctorum vel Beatorum et dies assignatos in Kalendario dioeceseos; sed confidimus fore ut S. Congregatio velit hanc extensionem perficere.

Pro archidioecesi Taeurinensi. — Quaeritur : I. In quibusdam Ecclesiis, ex inducta consuetudine, cum, recitato Rosario in suffragium defunctorum, adduntur Litaniae B. Mariae V., loco ***Miserere nobis***, ponitur ***Miserere ei*** (et si pro pluribus, ***Miserere eis***), item pro ***Ora pro nobis*** dicitur *Ora pro eo* (vel *eis*), ad ***Agnus Dei*** dicitur bis ***dona ei*** (vel ***eis***) ***requiem***, et tertio loco additur etiam ***sempiternam***.

1. An liceat hanc sequi consuetudinem ?

2. An sic recitantes lucrari possint indulgentias Litaniis Lauretanis adnexas ?

Resp. 1. Affirmative, quia immutatio non videtur notabilis, ratione formae precum ; ergo nequit dici consuetudo irrationalis.

2. Negative, iuxta nostram sententiam, quia, ratione intentionis (nota, quod superius diximus : ratione precum, cum ageretur de forma), obiectum restringitur, scilicet, non pro omnibus oratur in casu, sed tantummodo pro defunctis, quae limitatio certe non erat in mente concedentis Indulgentias. Notum est autem, circa Indulgentias non dari locum epikeiae et latiori interpretationi.

II. 1. In quibusdam Ecclesiis dicatis B. Mariae Virgini sub titulo Auxilium Christianorum, ante benedictionem cum SS. Sacramento, decantatis Litaniis Lauretanis, subditur versus ***Ora pro nobis, Auxilium Christianorum***, et Oratio ***Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani etc.*** - Recte ne ? - Et quatenus negative, an praedictus versus et Oratio cantari possint post hymnum ***Ave, maris Stella***, qui loco Litaniarum forte decantetur ante benedictionem SS. Sacramenti.

2. Ulterius, quibusdam diebus, in praefatis Ecclesiis praemittitur benedictioni hymnus ***Saepe dum Christi***, qui habetur in festo B. Mariae V. sub titulo Auxilium Christianorum. Utrum recte id fiat, an contra praedictus hymnus solummodo cantari possit in festo Tituli et per Octavam ?

Resp. 1. Rituale romanum, in Appendice, post « Agnus Dei » Litaniarum B. M. V. dicit : « Pro temporis diversitate sequentia mutantur et quidem : A Purificatione etc. ». Ex universali consuetudine, versus et oratio mutantur etiam pro variis aliis adiunctis, et potissimum in peculiaribus festis Deiparae. Hoc minime videtur contra rubricam Ritualis, aut alias leges, quia, si a Rituali praescribitur, quod a Purificatione ad Pascha ; ab Adventu ad Nativitatem etc., debent versus et orationes recitari prout innuit, sic requirente Liturgia temporis, non prohibet, sed videtur admittere pro aliis adiunctis alias variationes in Liturgia admissas adhiberi posse. Sic dicatur de occasione aliorum hymnorum. Quaestio de Indulgentiis fieri nequit, quia Litaniarum Indulgentiae non respiciunt nisi versiculos a *Kyrie* ad *Agnus Dei*.

2. Ad libitum, cum memoria determinati diei, quae in ipso hymno recolitur, possit, saltem aliquo sensu, quandocumque haberi.

Pro Melita insula. — Sive decretum 28 octobris 1913 inspiciatur, sive instructio super Kalendariis, 12 decembris 1912, sive tandem decretum « Rubricae », 28 februarii 1914, nullibi apparet, utrum praeceptum impositum Moderatoribus Generalibus Ordinum Regularium exhibendi S. R. Congregationi Kalendarium suorum Ordinum reformatum, se extendat ad Kalendaria particularia Provinciarum et Conventuum. Si non se extendit, ergo Provinciae et singuli Conventus non tenentur, imo prohibentur celebrare festa *propria loci* in quo extant (Non est quaestio, ut patet, de festis solemnioribus, de quibus Rubr. I, II, n. 1, sed de his de quibus mentio sub n. 2). Si vero se extendit, teneturne *ex praecepto* quivis Superior Provinciae et Conventus inserere praedicta festa *propria localia* suo Kalendario S. Sedi exhibendo?

Resp. Convenimus, non apparere praeceptum exhibendi S. Sedi Kalendaria Provinciarum, et multo minus Conventuum Religiosorum, et de facto vel nullum istiusmodi Kalendarium ad S. R Congregationem delatum est, vel vix aliquod, ex libertate, quae cuilibet coetui aut ecclesiae inest, proprium Kalendarium subiiciendi, uti fecerunt aliquot Ecclesiae et Capitula almae Urbis. Non tamen praecise ex hoc consequitur, non teneri Provincias et Conventus ad festa propria locorum (sensu in petitione explicato), imo ab eis prohiberi ; hoc esset verum etiam si extenderetur. Festa localia semper et ubique prohibentur, nisi aliqua extet ratio illa retinendi, iuxta novas rubricas. Si tamen aliqua Provincia vel Conventus velit

suum Kalendarium S. Sedi subiicere, utatur iure suo, et stet ipsius S. Sedis decisioni, ita ut si Kalendarium approbetur, reverenter accipiatur, si aliter iudicetur, stetur mandatis.

Pro Lucana archidioecesi. — I. Quatuor Kalendaria pro anno 1916 prae oculis habeo; quorunt tria de Completorio die 29 decembris omnino silent; quartum vero notat *Complet. de Dom.* At, quum Vesperae sint a Capit. S. Thomae (scilicet de S. Thoma, non de Octava; seu, aliis verbis, de praecedenti, non de sequenti) opinor Completorium dicendum esse de feria, uti de feria sumpti sunt psalmi ad praecedentes horas, exceptis Vesperis. Nititur mea opinio Rubricae speciali in novissimo Breviario die 31 decembris, qua praecipitur Completorium de feria.

Resp. Recta omnino est interpretatio Rev. Inquirentis; etenim rationes, quas adducit, sunt in lege fundatae, in ratiocinio et in exemplo diei 31 decembris. Forsan Kalendaria, quae silent, ideo silent, quod non soleant notare nisi cum Completorium sit dicendum de Dominica.

II. Docent *Ephemerides Litturgicae,* anno 1915, pag. 249, Missas de requie non esse summo iure prohibitas in aliis altaribus, dum Ss. Sacramentum solemniter manet expositum, nisi agatur de Oratione XL Horarum. Haec sententia quomodo componitur cum pluribus S. R. C. Decretis, praesertim cum Decreto 3755, I?

Resp. Ita componitur, ut sub nomine expositionis XL Horarum intelligantur aliae quaecumque expositiones, quae ad instar illius fiunt, nempe permanentes et ex publica causa. Et verbum *solemniter*, in Decreto 3755 nequit sumi pro expositione in Ostensorio, quia etiam exposito in pyxide Sacramento, permanenter et ex publica causa, impediuntur Missae de requie; et ex alia parte nequit reipsa dici quod Missae de requie impediantur dum fit ex. gr. Novendiale cum expositione Sanctissimi etiam in Ostensorio, sed transeunter.

III. Die 15 octobris anni 1915, in Vesperis S. Theresiae quinam versus dicendus erat pro commemoratione sequentis, nempe de S. Maria in Sabbato. Haud pauca Kalendaria consului: at omnia silent. Puto *Benedicta,* ex Laudibus.

Resp. Affirmative, viget enim antiqua rubrica, tit. IX, n. 8: « Si in secundis Vesperis S. Angelae Mericiae, aut alterius Sanctae novem lectionum fieri debeat commemoratio B. Mariae, pro eius Officio in sequentis Sabbato celebrando, ne repetatur versus *Diffusa est gratia,* dicatur versus *Benedicta tu,* ex Laudibus ».

IV. Quomodo componuntur S. R. C. Decretum n. 843, II, Missam permittens de Sanctis in Kalendario non notatis, dummodo in diebus quibus illorum solemnitas notatur in Martyrologio (aperte agitur ergo de Missa non votiva) et Liturgicorum virorum doctrina, qua prohibentur Missae festorum e Kalendario expunctorum utrum Bulla *Divino afflatu* Decretum n. 843, II, abrogavit?

Resp. Decretum citatum dicit: « Posse celebrari, servata forma rubricarum »; doctrina ergo Liturgicorum virorum debet accipi eo sensu, quod scilicet agatur de diebus ritus duplici inferioris, permittentibus Missas votivo-festivas; hoc est agere iuxta formam rubricarum, manente vera prohibitione Missarum de festis, vel ubi non habentur dies liberi, vel quando Sanctus non est in Martyrologio.

V. Num rubrica specialis novissimo Breviario adiecta: « *Antiphonae (quae) in toto Officio* parvo (B. Mariae V.) *non duplicantur* », abrogaverit S. R. C. Decretum n. 3572, II, ideoque num sustineri possit quod docet cl. P. Victorius ab Appeltern: « *Antiphonae duplicandae sunt* in festis duplicibus, *quoties tres Nocturni dicuntur* (SAC. LIT. PROMPTUAR., p. II, c. VII, art. I, n. 90, 1)?

Resp. Nequit concipi Officium parvum B. M. V. cum tribus Nocturnis, nisi quadam speciali ratione, ex peculiari indulto, permissum; ubi ergo huiusmodi Officium parvum existit, observetur tum rubrica Breviarii (quae non supponit Officium istud cum tribus Nocturnis), tum Decretum 3572, II, ex quo evidenter deprompsit doctrinam expositam citatus auctor.

VI. Ecclesiae, quarum Anniversarium Dedicationis assignatum est in ipso actu consecrationis alicui Dominicae, qua die deinceps illud celebrare debent, si dies consecrationis non innotescit? Possunt ne assignare *prima die qua occurrere potest Dominica, in qua hucusque celebrata sunt*, idque facere possunt absque ulla superioris auctoritatis licentia, an occurrit licentia S. Sedis aut saltem Ordinarii?

Resp. Datur norma per Decretum S. R. C. 28 octobris 1913: « Festa alicuius loci propria; quae hucusque Dominicis assignata fuerunt, celebrentur die fixa mensis qua in Martyrologio inscribuntur, si haec habeatur (in casu evidenter non habetur); secus prima die qua occurrere potest Dominica, in qua hucusque celebrata sunt ». Posset etiam in actum deduci instructio, quae datur in eodem decreto, inferius: « Festa propria, nisi aliter per apostolicas Litteras dispositum fuerit, celebranda erunt ipsa die natali,

si agnoscatur (in casu non agnoscitur natalis seu dies ipsa Dedicationis); secus, ponatur in aliqua die quae libera sit in Kalendario (V. MENGHINI, *Decreta etc.*, pagg. 52, n. 1; 54, n. 9)». Quod respicit licentiam Auctoritatis, certo non requiritur recursus ad S. Sedem, quae legem, uti exposuimus, absque ulla clausula promulgavit, sed nequit posthaberi consensus Ordinarii, qui ius et onus habet invigilandi, ut omnia rite fiant, praesertim quoad divina Officia.

Pro dioecesi Salutiarum. — I. Missa praesente cadavere in omnibus locis qui subsunt Patronatui alicuius Sancti, prohibetur tam die quo celebratur Officium, quam Dominica in quam transfertur solemnitas externa, prout faciendum est in omnibus festis nupera dispositione suppressis. Si vero festum suppressum fuerat alio praecedenti decreto, tunc prohibitio manet tantum pro Dominica, scilicet solemnitate externa.

II. Missa parochialis, ut rite applicetur decretum S. R. C. 28 octobris 1913, iuxta definitionem ipsius S. C. (Decr. auth., n. 3623, I), illa « appellanda est, quam Parochi, diebus festis, etiam abrogatis, tenentur applicare pro populo) »; absque ulla distinctione, utrum sit in cantu an non. Dubitatur an Missa quam iisdem diebus applicare tenetur Episcopus cadat sub dictione « Missa parochialis », ita ut etiam Episcopus teneatur hanc Missam celebrare de Officio currenti, et non v. gr. de externa solemnitate. Nostra sententia est non esse extendendam talem dispositionem, quia lex restrictiva libertatis accipienda est sensu stricto. Addendum, quod etiamsi finis legis non cadat sub lege, cum tamen non constet de extensione de qua agimus, licet in casu animadvertere, Episcopum non teneri talem Missam celebrare coram populo, et in ecclesia cathedrali.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM

Declarantur et extenduntur concessiones quaedam pro tempore belli.

Die 26 decembris 1915.

SS.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, exhibitis postulationibus satisfacere volens, benigne declarare dignatus est, privilegia et facultates, indulgentias respicientia sive apud omnes nationes, sive apud aliquot earum, occasione diuturni belli hodieque per Europam grassantis, tributa, nimirum: 1° privilegium Missarum, quae ubilibet in suffragium animarum illorum, qui in bello obierunt, celebrantur (S. C. S. Officii, die 28 ianuarii 1915); 2° dispensationem a clausula *De consensu Ordinarii*, circa benedictionem devotionalium pro Sacerdotibus, qui inter milites versantur (S. C. S. Officii, 4 februarii 1915); 3° et 4 facultatem pro Sacerdotibus, militiae adscriptis, impertiendi christifidelibus apostolicam Benedictionem cum plenaria Indulgentia *in articulo mortis*, et applicandi, unico signo Crucis, coronis, crucibus, crucifixis, ss. numismatibus et parvis statuis Indulgentias apo-

stolicas nuncupatas (S. C. S. Officii, die 17 iunii 1915), extendi ad omnes nationes bello dimicantes, usque ad exitum belli valitura. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsessor S. O.*

S. CONG. PRO NEG. ECCL. EXTRAORDINARIIS.

Extensio iurium ac potestatis Ordinarii Castrensis apud Belgarum exercitum.

Ex Audientia SS.mi die 14 decembris 1915.

Cum Reverendissimus Dominus Ioannes Marinis, Vicarius Castrensis seu *Capellanus maior* apud Belgarum exercitum, quaesierit, num vi decreti, lati die 27 augusti vertentis anni a S. Congregatione Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praeposita, praeter sacerdotes et clericos, tum saeculares tum regulares, qui in castris vel nosocomiis, belgicis militibus in re spirituali adsunt, Ordinarii Castrensis auctoritati in re disciplinari subiiciantur ceteri quoque ecclesiastici milites – sive sacerdotes ii sint, sive simplices clerici, sive etiam religiosi novitii – qui deferendis militibus sauciis vel iisdem infirmis iuvandis ex officio dant operam, nullo tamen demandato sibi munere ad rem spiritualem quod attinet, SS. D. N. Benedictus divina Providentia P. xv, referente infrascripto eiusdem S. Con-

gregationis Secretario, respondendum mandavit : *Negative.* Verum Beatissimus Pater, Secum animo reputans si iidem sacerdotes, clerici et novitii, qui stipendia merent, ecclesiasticae gubernationis seu paternae Superiorum ecclesiasticorum vigilantiae subsidio penitus non destituantur, id, cum tuendae ecclesiasticae disciplinae, tum spirituali eorumdem bono provehendo, esse quam maxime profuturum, iura ac potestatem, quibus Ordinarius Castrensis apud Belgarum exercitum ex decreto utitur, quod memoratum est, ita producenda benigne censuit, ut idem Ordinarius possit in omnes sacerdotes, clericos et religiosos milites *cumulative* cum Ordinario dioecesis aut Superiore Ordinis vel Instituti iurisdictionem exercere in iis omnibus, quae ad ecclesiasticam pertinent disciplinam. Verumtamen, si quando contingat – quod absit – ut Ordinarius Castrensis in eiusmodi clericos vel religiosos poena aliqua animadvertat, de patrato ab iisdem crimine ac de irrogata poena Ordinarium dioecesis vel Superiorem religiosum certiorem quam primum facere teneatur.

Contrariis quibuslibet, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno ut supra.

EUGENIUS PACELLI, *Secretarius.*

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 19 ianuarii 1916 in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis habitus est conventus academicus, in quo Rev. D. Ianuarius Moretti, *Ord. Minim. quaestionem enodavit:*

De eleemosyna pro Missa celebrata in loco dissito percipienda.

Post Censorum animadversiones R. P. Victorius *ab* Appeltern *O. M. Cap. epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Maurus parochus, duas regens paroecias, duas Missas celebrat unoquoque die festo, privilegio fruens binationis. Quia vero secundam Missam celebrare debet in alia ecclesia, quae a domo propria distat quinque millia passuum, pro huiusmodi incommodo itinerario ac pro hora serotina, emolumentum accipit quinque libellarum. Nunc vero pro altera ex tribus Missis in die Commemorationis Oo. Fid. Def., quam celebrat in secunda ecclesia, cui inservit celebrans, iisdem ex causis putat posse accipere aliquod emolumentum. Quia tamen vir est timoratus, quaerit:

1. *Quid statuat Ius Canonicum et Liturgicum circa stipendium pro celebratione Missae, ac pro legitima acceptione?*

2. *Quare in die Nativitatis Domini liceat accipere tria stipendia, non vero diebus quibus aliquis binat, nec etiam die Commemorationis Oo. Fid. Defunctorum?*

3. *Quaenam Missa celebranda erit in altera ecclesia, et num Maurus accipere possit emolumentum pro maiori incommodo?*

Solutio.

Resp. ad 1^m^ *quaest.* — Regulae, a iure Canonico et liturgico statutae circa legitimam acceptationem stipendii pro celebratione Missae sunt multiplices; sed, cum solvens de iis sufficienter egerit, volo tantummodo hic praebere quasdam animadversiones circa dictas regulas: et

1.° Non licet accipere stipendium pro Missa, si iure ecclesiastico pro certis Missis est expresse prohibitum, velut in casu *binationis* et *trinationis,* praeter primam Missam, vel unam e tribus Missis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum (S. C. C. 15 oct. 1915, A. A. S. VII, 479), nisi adsit privilegium generale, e. g. in festo Nativitatis Domini, vel indultum speciale Sedis Apostolicae, v. g. in favorem pauperis Seminarii (Cf. S. C. pro Neg. Eccl. extr., 16 decembris 1875; S. C. de Prop. F. 15 oct. 1863).

Hinc parochus, duabus paroeciis praepositus, extra casum indulti, duplicem Missam applicare tenetur pro populo utriusque sibi commissae parochiae, nisi probet unionem duarum parochiarum esse *plenam* et *extinctivam* (Ita S. R. C. 7 sept. 1850 ad 4, n. 2981 et plura decreta S. C. C., ac Const. Leonis XIII, *In suprema,* 10 iun. 1882).

2.° Circa prohibitionem colligendi eleemosynas maioris pretii pro Missis et ex iis lucrum captandi, notandum est cum Wernz (*Ius Decret.*, tom. III, n. 537, III), quod illa prohibitio sibi retinendi partem stipendii accepti non urgeat, quotiescumque *iustus retinendi titulus* adest, v. g. si obtentum fuerit indultum apostolicum, vel consensus oblatorum habeatur, vel Sacerdos, cui onus celebrandi committitur, sponte partem stipendiorum sibi debitam condonet.

3.° Similiter circa prohibitionem colligendi stipendia Missarum, quod est turpe mercimonium, vel saltem speciem habet turpis mercimonii, notandum est cum Card. D'Annibale (*Summula Theol. Mor.*, P. III, n. 191), quod, *seclusa omni studiosa collectione* (et ceteris paribus), non sit illicitum merces, diaria, libros cum Missarum applicatione permutare; ideoque nec clericis, *seclusa quavis negotiatione, vel turpis lucri specie,* ea comparare illicitum est. Ita S. Poenitent. 6 oct. 1862, S. C. C. 24 april. 1857 ad 6 (Act. VIII, 607-659). Eoque magis licet scriptoribus librorum, vel Ephemeridum Moderatoribus, quibus huius rei causa Missae sponte traduntur, sua diaria aut libros sic distrahere, et Sacerdotibus ea comparare; nec licet Episcopis id vetare (Ita S. C. C., 30 aug. 1875, Act. VIII, 659).

4.° Praeterea circa praescriptionem Decreti *Uti debita* S. C. C. (11 maii 1904), *tradendi scilicet in fine cuiuslibet anni propriis Ordinariis Missarum onera, quibus tempore debito non est satisfactum,* notandum est, quod nomine *Ordinariorum* veniant quoque Praelati Regulares (sc. Generales, Provinciales, Superiores locales) pro suis respective subditis S. C. C. 27 febr. 1905, in *Congr. Spiritus Sancti,* ap. Ferreres, *Theol. Mor.*, II, n. 375, q. 17). — Item circa transmittendas Missas manuales superfluas ad alios Sacerdotes *extra Dioecesim* advertendum est, id praestandum esse per suum respectivum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente. Imo Episcopi et Sacerdotes, qui Missas mittere velint ad Antistites vel Sacerdotes Ecclesiarum quae in *Oriente* sitae sunt, id praestare debent per S. C. de Prop. Fide (S. C. C. 22 maii 1907), nisi mittant ad Delegatos Apostolicos, aut Superiores religiosorum ad suos subditos (S. C. C. 9 sept. 1907. Cf. Ferreres, l. c., q. 18).

Resp. ad 2^m quaest. — 1.° *In Nativitate Domini,* Sacerdos, non alio titulo ligatus, potest accipere tria stipendia pro tribus Missis. Ita fere ubique receptum esse testatur Benedictus XIV, in Const. *Quod expensis*, d. 11 oct. 1748 (tom. II, p. 297 Bull. sui, edit. Rom. an. 1754). — Parochus vero et

Beneficiatus, applicata respective una Missa pro populo vel pro fundatione, reliquas duas potest applicare cui volet, et inde stipendia accipere (Cf. Tetam., Not. in 25 dec., n. 40-42).

2.° *Diebus quibus aliquis binat* duplicatum stipendium accipere nequit, uti constat ex repetitis resolutionibus S. C. C., v. g. in *Cameracen.*, 25 sept. 1858. — Potest tamen permitti, prudenti arbitrio Episcopi, aliqua remuneratio *intuitu laboris et incommodi,* exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae. Ita S. C. C., 23 maii 1861, A. S. Sedis, vol. I, p. 15. Et auctor Act. S. Sedis ibi addit: « Quare perspicis *ob rationes tantum extrinsecas,* laboris nempe et incommodi, interdum permitti posse aliquam remunerationem, firma manente prohibitione recipiendi aliquid intuitu eleemosynae pro Missae applicatione » — Item S. R. C., d. 14 iunii 1845 ad 1, n. 2892, iam declaraverat: Missam applicare potest Sacerdos pro se vel pro aliis, si Missae celebrentur sive ex fundatione, sive ex contractu inter Parochos et parochianos *pro horum commoditate,* quin aliquid certum statutum fuerit pro Missae applicatione. — Insuper Em.us Card. d'Annibale (*Summula* Theol. Mor., P. III, n. 405, not. 58) aliam decisionem S. C. S. Off. d. 19 dec. 1866 affert, qua Episcopus permittere potest aliquam remunerationem *intuitu laboris et incommodi.* — Demum S. C. C., 5 mart. 1887. (A. S. S., vol 20, p. 5) decrevit quod per hanc 2^m Missam possit satisfieri obligationi ex charitate, fidelitate, voto et praecepto Superioris, nedum obligationi qua celebrans tenetur vi statuti confraternitatis ad faciendum sacrum pro defuncto sodali.

3.° *In Commemoratione omnium fidelium defunctorum* pro una tantum ex tribus Missis Sacerdos stipendium accipere potest, uti statuit Benedictus XV, Const. *Incruentum*, 10 aug. 1915 (A. A. S., VII, 401). Et S. C. C., d. 15 oct. 1915 ad 3 (A. A. S., VII, 479) decrevit: Sacerdos nequit pro aliis duabus Missis aliquid accipere, ne ratione quidem laboris seu incommodi extrinseci. Advertendum est quod iuxta idem decretum S. C. C. Sacerdos pro Missa, quam libere applicare potest, nequeat exigere maiorem eleemosy

nam quam eam quae ex constitutione synodali vel consuetudine locali statuta est, excepto casu ultroneae oblationis, vetita tamen non sólum petitione, sed etiam qualicunque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur. Hinc, si pro Missa, hora tarda vel in Ecclesia distanti celebranda, a Constitutione Synodali vel consuetudine locali maior eleemosyna statuta non sit, extra casum ultroneae oblationis, Sacerdos etiam pro illa Missa libera eleemosyna ordinaria contentus esse debet.

Resp. ad 3^m *quaest.* — A Mauro Missa celebranda est in altera Ecclesia de die currente, cum haec Missa etiam sit parochialis (Cf. S. R. C. in *Baionen.*, 27 maii 1911 ad 8, 8 iulii 1910 et *Egitanien.* 22 maii 1912 ad 1, A. A. S. vol. II, p. 553, vol. III, 281 et vol. IV, p. 274). Maurus autem de consensu sui Episcopi tuta conscientia accipere potest emolumentum pro maiori incommodo, excepto die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, uti patet ex resp. ad 2^m quaest. nn. 2^o et 3^o.

P. V. ab A.

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis Sandaliis eorumque ornamentis

Caeremoniale S. R. E., cum indumenta praescribit, quibus Pontifex noviter electus induitur, his utitur, verbis: « Electus exuitur vestimentis communibus, induiturque papali habitu, toga scilicet linea albi coloris, caligis rubeis, sandaliis rubeis, aurea cruce ornatis » (1).

Ne tractationis ambitum praetergrediamur, ad novissima verba tantum disquisitionem curcumscribimus. Nolumus etiam de calceis R. Pontificis funditus quaestionem instituere, quod nimis longum ac salebrosum esset (2).

In hoc itaque articulo agemus: *primo*, de sandaliis R. Pontificis, et maxime de ornamento, quod plures crucem putarunt; et *deinde*, de tempore, quo Pontifices *certo*, cruce sandalia ornare coeperunt.

---

(1) *Sacr. Caeremoniarum S. R. E.*, L. I. Cap. VI, edit. citata. chart. 11.

(2) Hac de re consuli possunt: CABROL: *Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne*, T. III, pag. 1229 et ss., pluresque scriptores ab eo citati, quibus adduntur; ANG. ROCCA: *Opera Omnia*, Romae 1719, Tom. II, pag. 374 et ss.; GIORGI: *De Liturgia R. Pontificis*, Tom. I, cap. XIV; MORONI: *Dizionario di erudizione ecclesiastica*. Ad verba: *Calcei, Sandali, Scarpe*; I. POUYARD: *Dissert. sopra l'anteriorità del bacio dei Piedi*, etc. Roma, 1807, pag. 4 et alibi passim.; GARRUCCI: *Storia dell'Arte crist.*. vol. I, Cap. VII, pag. 28, et Cap. XV, pag. 123; H. GRISAR: *Analecta Romana*, Roma, 1889, pag. 549; G. BRAUN: *I Paramenti sacri*, Torino, 1914, pag. 141, et ss,; BALDUINUS: *De Calceo antiquo*, Amstelodamii, 1667, pag. 262.

§ 1.

De Sandaliis R. Pontificis generatim, et de ornamento, quod plures crucem putarunt.

Calcei, quibus saeculorum decursu, RR. Pontifices usi sunt, diversa sortiti sunt nomina, pro diversitate formae, coloris, et temporum. Appellati sunt: *Udones, compagi, sandalia, etc.* (1).

Sacerdotes, et ministri pagani cultus, cum sacra, potissimum erga solem, peragerent, peculiari induebantur vestimento, ad quod calcei spectabant, qui appellabantur « Udones » a lino quo constabant, quamquam et alias ex lana conficerentur. Lineis autem illis udonibus Romani etiam Pontifices, per longa tempora usi sunt, postquam nimirum iis, primum S. Silvester a Costantino Magno, inter alia ornamenta, donatus est. Quod quidem iure factum est; nam congruum fuit, ut RR. Pontifices, tamquam ab iniustis possessoribus id vindicarent, quod gentilium sacerdotes in profanis suis sacris usurpare solebant. Lineus autem ille candor in pedibus non parum, immo maxime decet sacrorum Antistitem, cum in eo animi puritas et candor apte significetur: quae in Sacerdote elucere debent.

Verum: fuerint olim illi calcei, quos Pontifices usurparunt, linei vel lanei, nihilominus, illam consuetudinem, aetate abolitam fuisse, fateri necesse est; cum iam pridem linum illud candidum in sericum purpureum migraverit, et sandalia purpurea, crucis aureae ornamento insignita, propria R. Pontificis calceamenta evaserint (2).

Sandaliorum itaque nomine antiquitus quaecumque sacrorum ministrorum calceamenta indicabantur. Sic vocabantur, ut scribit Durandus, « vel ex herba, vel ex sandali co-

---

(1) Cfr. BALDUINUS: *De Calceo antiquo*, cap. XIV, Amstelodamii 1668, pag. 28.

(2) Id. ib., cap. II, pag. 264.

lore, quo depinguntur » (1). Alcuinus ita ea describit: « Est genus calceamentorum, quo induuntur ministri Ecclesiae, subterius quidem solea muniens pedes a terra, superius vero nil operimenti habens » (2).

Cum tamen necesse fuerit quibusdam ligamentis, seu corrigiis soleam pedi adhaerentem tenere, talia ligamina seu corrigiae diversam et multiplicem formam sortita sunt. Et aliquando etiam, loco ligaminum, calceamentis ex intégro pedem cooperientibus in sua parte superiori quaedam foramina, ad instar fenestrarum, peracta fuerunt, et haec calceamenta vocata sunt: *Sandalia fenestrata*. Talibus autem foraminibus, seu fenestris, deinde suffecta sunt ornamenta acu picta, signa, vel symbola sacra, exprimentia. Talia sunt, ut plurimum, antiqua Summorum Pontificum calceamenta.

Sed nostra proprie non interest, in singulorum RR. Pontificum calceamentorum nomina, formas, colorem, inquirere; tractatio enim nostra, ne nimis in longum abeamus, ad illud ornamentum nunc circumscribitur quod iam multi crucem putarunt, et quod magnam revera cum cruce similitudinem habet.

Nos non primi hanc provinciam ingredimur: alii viri admodum eruditi nos praecesserunt et viam straverunt: hos discipulorum instar, sequemur. Ast talium virorom duae nobis parantur classes: altera antiquior, cuius dux et primipilus est Angelus Rocca, Apostolici Sacrarii Praefectus, qui, potius *oculàtus*, quam *auritus* testis hac in re esse cupiens, ut ipse de se testatur, veteres Ecclesiarum Romae absides, opere musivo decoratas, diligenter perlustravit (3). Is, in fere omnibus monumentis RR. Pontifices repraesentantibus ab Honorio I et deinceps, calceos cruce ornatos vidit.

(1) DURANDUS: *Rationale divinorum officiorum*, L. III, cap. VIII, num. 8.

(2) ALCUINUS: *De officiis diurnis, Quid significent vestimenta*. HITTORPIUS. Parisiis, 1624, pag. 274.

(3) ANGELI ROCCA: *Opera omnia*. In dissertatione *De S. Gregorii eius que Parentum imaginibus*. Romae, 1719, Tom. II, pag. 375.

— Altera classis recentior, cuius antesignanus est P. Iacobus Pouyard, O. Car. crucem in sandaliis tantummodo reperit ab Innocentio VII et deinceps. Utriusque investigationis viam breviter indicabimus.

Angelus Rocca suae perlustrationis ita narrationem exorditur: « Vidi Romae vetustissimam Ecclesiae Sanctae Agnetis absidem, opere vermiculato, circa annum Domini 624, exornatam, in qua Honorius, huius nominis primus, qui Sacram Beatae Agnetis Aedem, via Nomentana costruendam, et Absidem musivo decorandam curavit. ut Anastasius Bibliothecarius testatur, et carmina in Abside indicant; sandaliis alba cruce satis conspicua insignitis, calceatus, et Ecclesiam manu gestans extare cernitur. Hic enim, dum viveret, in Abside ipsa pictus fuit, sicut ea, quae diximus, id nobis facile persuadent » (1).

Monet autem investigator noster, quod crucis absentia in imaginibus, incuriae nonnunquam adscribenda sit Pictorum vel Lapicidarum, vel aliorum, quibus eas imagines pingere, vel effingere demandatum fuit. Quod evenisse putat in imaginibus Honorii III et IV, quae Crucem in sandaliis non referunt. Prior praefati nominis Pontifex, ad S. Bibianam iuxta ianuam Ecclesiae pictus, alter in Ecclesia Aracoeli ex marmore sculptus, suo tempore, conspiciebantur.

« In Oratorio, seu potius Ecclesia S. Venantii prope Baptisterium, sive Fontem Lateranensem, prosequitur egregius Perlustrator, extat absis, opere tessellato exornata, in cuius fornice, praeter aliquot imagines sacras, pictus cernitur Ioannes IV Dalmata, qui, ut Anastasius Bibliothecarius (Liber Pontificalis) et Panvinius testantur, eam struxit Ecclesiam, circa annum Domini DCXXXIX, dictamque Absidem picturis musivis ornavit. Inter alias imagines opere musivo pictas, duo Pontifices Romani, necnon Martyres duo, sandaliis parvula nigri coloris cruce insignitis, calceati conspiciuntur; quorum Pontificum alter ad dexteram, videlicet, postremo loco pictus, est Ioannes IV. Ecclesiam manu ge-

(1) Id. ib., col. 1ª.

stans, quippe qui, eam construendam curavit... Pontifex ad sinistram postremo loco pictus, librumque manu tenens, ut Panvinio placet, est Theodorus, Ioannis successor » (1).

Examinat deinde Dux noster duo sandalia, quae ad S. Martinum in Montibus, inter Reliquias Sancti Martini I Papae et Martyris asservantur. Duo ista sandalia, quorum primum ad eundem S. Martinum, et alterum ad S. Silvestrum I. pertinuisse dicuntur, non proprie et manifesto crucem praeseferunt, sed quaedam opera acu expressa ostendunt, et ita ornantur, ut in eis etiam crux expressa deprehendi possit. Haec ideo non proprie inter monumenta, quae de usu crucis in sandaliis Pontificiis testimonium faciunt, adfert, sed ipse eam sub lineis acu ductis, latere conspexit (2).

Aliam Summi Pontificis imaginem cum sandaliis cruce ornatis vidit in Ecclesia S. Martinae in Foro Boario ad radicem Capitolii. Extabat in huius Ecclesiae abside opus musivum repraesentans Beatam Virginem Mariam, Filium in sinu gestantem, et duos Pontifices, unum a destris, alterum a sinistris. De eo, qui ad sinistram cernebatur, dicit: « Hunc.... sandaliis parvula nigri coloris Cruce ornatis calceatum vidi ». De altero autem qui Crucem in sandaliis non gestabat, ita arguit: « Quare sicut antiquior Pontifex sandaliis Cruce insignitis calceatus cernitur, ita et alterum recentiorem fuisse credendum est; nam calcei opere olim musivo facti, nunc collapsi sunt; quorum loco, calcei rudi arte picti, sine cruce conspiciuntur... (3). Hoc musivum opus, iam a longo tempore periit.

---

(1) Id. ib. — Quod musivum opus accurate impressum reperies in GRISAR, *Analecta Romana*, tabula cromo-phot. ante frontem operis.

(2) Horum sandaliorum reproductio reperitur in operibus ipsi Angelo Rocca inscriptis l. c. pag. 378-379 et etiam apud BALDUINUM, *De Calceo antiquo*, pag. 264; POUYARD ad calcem operis superius citati et novissime in *Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne*, auctoribus CABROL-LECLERCQ, T. III, pag. 1250, v. *Chaussure*.

(3) Id. ib. pag. 376. — De isto opere musivo agunt: DE ROSSI: *Musaici Cristiani delle Chiese di Roma*, Roma, 1889, Tav. IX, fol. 3; *Bullettino di Archeologia Crisliana*, 1886-1889. — GRISAR: *Analecta Romana*, pag. 397.

Apud Basilicam Vaticanam alias Romanorum Pontificum imagines reperit, quorum sandalia sunt cruce insignita. Primo, late narrat de imagine Ioannis VII, extante in insigni excultoque opere musivo, quo Sacellum Ss. Sudarii Salvatoris nostri, supra Portam Sanctam decorabatur. Alias deinde huiusmodi imagines, quas hic illicque reperit maxime sculptas, recenset. Nobis sufficiat Pontificum nomina referre, qui praefatis imaginibus repraesentantur. In Basilica Sancti Petri vel circa, statuas Urbani VI, Nicolai V, Callisti III, Pii II, Pauli II, Sixti IV, Innocentii VIII, Pii III; et aliis in locis statuas Martini V, Eugenii IV, Leonis X se vidisse testatus est. « Horum omnium Romanorum Pontificum et aliorum, his recentiorum, statuas, ait ipse, vidi calceatas sandaliis cruce insignitis. Vidi etiam alios Romanos Pontifices Honorio I antiquiores; sed propter magnam picturarum vetustatem calceos collapsos reperi ». Tres tantum Honorio I recentiores sine cruce deprehendit, quod artificum incuriae adscribit.

Dominicus Giorgi recensitis imaginibus, alias sequentes ex veteribus monumentis adiungit. « Sandalia S. Martini et Gregorii IV in Codice Rabani, *De laudibus S. Crucis*, nigro colore contecta sunt. Variae item Sandaliorum figurae apparent in tessellato opere sub absidem Basilicae S. Mariae Transtyberim ab Innocentio II constructo... S. Cornelius Papa, qui ibidem effingitur, gestat sandalia alba in quibus conspicitur crucicula rubei coloris » etc. (1).

Fratres Macri, in additionibus ad *Hierolexicon* Dominici Macri, semipedem marmoreum in Sabinensi agro repertum memorant, qui tunc apud Card. Brancacium servabatur; in cuius dorso Crux clarissime expressa eminet. Scriptor eo fine eius figuram delineatam exhibet « ut nedum sandaliorum antiquorum forma spectetur, sed etiam ad percutiendos huiusmodi lapide Novatorum latrantium dentes, qui tamquam inventionem recentem, appositionem Crucis in pedibus

(1) GIORGI, *Liturgia Romani Pontificis*, T. I pag. 22.

Romani Pontificis esse fabulantur, dum in hoc semipede, tempore quo nudis vestigiis Pontifices incedebant, clare videtur, quod in eis, Cruces deferre consueverant » (1).

Non obstante tamen tot monumentorum ab eruditis viris adductorum evidentia, quinam fuerit Pontifex, qui statuit et qui primus crucem in sandaliis detulit, incertum adhuc remanebat. Id sensit et manifeste aperuit Stephanus Valentini, qui de antiquitate moris crucem in sandaliis deferendi scripsit: « Quam vero fuerit vetustus hic mos deferendi crucem, certo mihi non liquet, ampliusque pronunciari a viris doctis desiderarem ». Qua praeposita confessione, coniecturam et nonnisi coniecturam exprimere vix audet, dicens: « Coniicere tamen possum vetustissimum fuisse, cum in absidibus et picturis musivis antiquissimis Pontificum pedes cruce insignitos viderim. Inde enim satis firmum argumentum peti posse arbitror, cum picturae nobis quasi vivae imagines eloquantur » (2).

Si extra controversiam positum foret, quod revera « in absidibus et picturis musivis antiquissimis, Pontificum pedes cruce insigniti videntur », non simplex coniectura, sed argumentum haberetur de antiquitate moris, de quo agimus, et difficile non foret, tempus assignare, quo iste mos inchoavit. Ast iuxta plures attentos et eruditos observatores maxime recentiores, illud ornamentum quod in Pontificum sandaliis antiquo opere musivo expressum cernitur, non certo et indubie Crucem refert, quamvis sit Cruci simillimum et ad eam reduci facile possit.

Nec mirum id videbitur, si consideretur, quod etiam

---

(1) MACRI, *Hierolexicon*, Venetiis 1888, Tom. II, pag. 290 ad verbum *Sandalia*. — Figura huiusmodi semipedis reproducitur quoque in *Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne*, Auct. CABROL - LECLERCQ. — IACOBUS POUYARD, asserit hunc marmoreum semipedem ad Bibliothecam Vaticanam nunc pertinere, in eaque se eum vidisse. — Cf. eius citatam opellam *Disertazione*, etc. Roma, 1808, pag. 71.

(2) VALENTINI, *De osculatione pedum R. Pontificis, Romae 1688*, pag. 156.

apud veteres paganos, calceamentorum ligamenta seu corrigiae, ita disponebantur, ut crucem supra pedis dorsum expressam ostenderent (1).

Primus qui dubia movit, imo qui de falsitate reprehendit sententiam, iam post Angelum Rocca inter eruditos communiter acceptam, fuit P. Iacobus Pouyard, Ord. Carmel., qui secundae classis virorum, qui hac in re investigationem peregerunt, caput evasit et magister. Is quoque monumenta omnia hac de re accurate perscrutatus est, et reperit signum, quod alii Crucem putaverunt, non proprie Crucem, sed vel *lilium*, vel *trifolium* exprimere. Ex quo in hanc devenit conclusionem, quod nempe: usus Crucem in sandaliis pontificiis exprimendi, non ea antiquitate gauderet, qua pollet usus pedes R. Pontifici osculandi, sed hic admodum antiquior, et ille admodum recentior esset habendus. Initium usus Crucem in sandaliis pontificiis exprimendi ponit inter saeculum decimum quartum et saeculum decimum quintum, uti infra fusius dicetur.

Circa quam sententiam animadvertimus:

Haud dubium est, plures extare Summorum Pontificum antiquas imagines sive pictas, sive sculptas, sive opere vermiculato expressas, quae si non crucem, quoddam ornamentum cruci simillimum in sandaliis referunt. Res est publica et visibilis, circa quam unusquisque propriis oculis se certiorare potest. Si quis ipsa praecitata monumenta directe examinare nequit, eorum in libris reproductiones ob oculos habere et inspicere valet; accuratiores esse putamus eas, quas Iacobus Pouyard, ad calcem suae opellae exhibet.

Item ad determinandum quid proprie sit signum a praefato ornamento expressum, nempe an sit vera et própria crux, an vero lilium aut trifolium, non opus est libros evolvere, aut eruditos viros interrogare: sufficit ipsa monumenta, quae magna ex parte adhuc extant, propriis oculis inspicere

(1) Cf. Cabrol, *Dictionnaire*, T. III, pag. 1241-1242 ad verb. *Chaussure; et etiam* Montefaçon, *L'Antiquité expliquée*, T. III, tab. 33-35.

et attente examinare. Si eminus et absque ullius instrumenti auxilio inspiciuntur, crux equidem cernitur, aut saltem cernere creditur. Si vero inspiciuntur cominus, aut ope instrumenti, quod opus, seu picturam oculo propinquam facit, uti illo quod vulgo « binocolo » appellatur, tunc clare perspicitur, illud signum non esse crucem, stricto sensu acceptam. Nobis, qui rem veluti tangere potuimus, nullum superest dubium, quominus ratio stet pro sententia et conclusione a laudato P. Pouyard proposita, et tenemus illud signum, seu ornamentum veram crucem non esse, sed lilium, aut trifolium exprimere. An vero dici possit quod saltem crucem significet, expendemus in sequenti articulo.

Praefati signi seu ornamenti frequens repetitio in monumentis, nos arguere sinit, per satis longum tempus eo pontifices usos fuisse, ac illud quasi proprium et exclusivum pontificiae dignitatis habuisse; eo prope modo, quo postea crux in sandaliis, unum ex R. Pontificis distinctivis evasit. Id arguit Valentini, qui scripsit: « Hoc tamen compertum habeo, sandalia R. Pontificis, aliquo ornatu vel signo peculiari, ab aliis omnibus, quibus Episcopi inter missarum solemnia utuntur, fuisse discreta, cum B. Antidius, apud Segebertum anno 411, ex sandaliis, quibus Pontifex R. erat ornatus, ipsum agnovit » (1).

Quamvis a tempore Honorii I, Romani Pontifices, maxime in operibus musivis, frequentius calceati exibeantur sandaliis signo crucem adumbrante ornatis, usus tamen huiusmodi ornamenti in *constantem* et *continuo observatam* consuetudinem non pertransiit. Eius omissio, quam Angelus Rocca artificum incuriae adscribit, non semper tali causae tribuenda est. Quaedam enim extant facta, quae absolute non incuriam, sed *non-usum* supponunt, Praeter imagines Honorii III et Honorii IV, quae nullum crucis signum in sandaliis referunt, facile est alias Pontificum imagines et non paucas, eodem signo carentes ostendere. Praecitatus

(1) VALENTINI, *De osculatione pedum*, cap. XVIII, pag. 148.

Pouyard in sua erudita hac de re dissertatione, talium Pontificum imagines sequentes recenset, nempe: Innocentii III, Innocentii IV, Bonifacii VIII, Nicolai IV et Bonifacii IX. In aperitione insuper sepulcrorum quorumdam Pontificum sandalia, quibus ipsi calceati fuerunt, sine cruce reperta sunt. Adrianus IV repertus fuit « cum sandaliis corii Turcici ad flores margaritis ornatis sine cruce. Item in Bonifacii VIII sepulcro reperta fuere sandalia nigri coloris, acuta cuspide, more gothico et sine cruce (1) ». In sequenti paragrapho quaedam explicabimus, quae rationem reddunt de cruce in antiquioribus musivis expressa.

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) DIONISI, *Cryptae Vat.*, Romae 1773 Tab. XLVIII, pag. 124.

Quaestiones Liturgicae.

I.

De quadam ecclesia bis consecrata, quoad festum titularis celebrandum.

Ecclesia quaedam, cum nullum vestigium aut memoria haberetur praecedentis consecrationis, ab Episcopo rite consecrata est, sub titulo S. Ioseph, sed post aliquod tempus documentum inventum fuit de consecratione facta sub titulo S. Christinae V. M.; quaeritur utrum antiquus titulus tantum recolendus sit, an novus tantum, vel uterque?

Resp. Quaestionis solutio pendet a iudicio quod fieri debet de antiqua consecratione, nova superveniente. Num nova obliteravit veterem? Nullo modo! Num antiqua nullam reddidit et inanem novam? Ita quidem, iuxta nostrum videndi modum. Quod antiqua consecratio subsistat, nemo inficiari potest. Quod sit nulla nova consecratio ex hoc probamus: habentur benedictiones constitutivae alicuius rei, quae hanc reddunt stricto sensu sacram, ita ut nonnisi per destructionem materialem vel formalem rei ipsius, vel per exsecrationem a legitima auctoritate permissam, qualitatem rei sacrae amittant: habentur benedictiones deprecativae, quae sacram non reddunt rem, nisi lato sensu, ita ut, ex rationabili causa, ad communem qualitatem et usum res ipsa reddi possit, vel temporaneam seu occasionalem sanctificationem operantur. Constitutiva erit ex. gr. consecratio ecclesiae vel calicis; deprecativa tantum benedictio loci ad S. Sacrificium transeunter celebrandum, vel altaris ac populi ante Missam conventualem seu parochialem. Si igitur res constituta est omnimode et perpetuo in qualitate sacrae, quomodo validus erit novus actus, qui praesumat facere, quod iam est factum?

Quomodo Episcopus diceret : *consecretur* et *sanctificetur*, quod iam consecratum et sanctificatum est? nonne, ut diximus, inaniter se gereret? Forsan potiorem daret sanctificationem? Et quomodo, si plene ecclesia sanctificata erat? E contrario, bene possunt iterum benedici loca et personae, dum benedictio est deprecativa; ita quotannis benedicuntur domus, qualibet Dominica altare. Et observetur, quod, etiamsi altare iam sit consecratum, rationabiliter benedici potest, benedictione simplici et deprecativa, quasi velint purgari maculae, si quae contaminarint rem iam sacratam; quod fit, forma solemniori, v. gr. pro ecclesia consecrata vel solemniter benedicta, quae profanata sit, eo sensu quo in iure praevidetur, fieri profecto potest alia simplici ratione, pro minori, imo hypothetica, maculatione.

Ergo nova consecratio ecclesiae, quando ecclesia non fuit exsecrata, vel nihil novi molitur, vel aliquid, ad summum, purgaret, quemadmodum purgat ordinaria aspersio aquae benedictae cui superius innuimus. Si autem nihil novi substantialiter affert, consequens est, ut nulla sit, saltem in themate consecrationis.

Quid, quaeso, significat ecclesiae consecratio? Significat loci Deo dedicatio, omnimoda, totalis, absque ulla reservatione; si ergo nova addatur consecratio, quid haec facere potest, quod factum non sit? Esto igitur quod contendat aliquid facere, nihil reipsa facit; ergo actus nullus est. Ita esset v. gr., salva proportione inter Sacramentum et Sacramentale, si quis rebaptizaretur; quid faceret, quid adderet novum Baptisma in baptizato? Nihil, et novum Baptisma est nullum. Quod lotum est, non indiget ut lavetur, sed est mundum totum, in casu autem consecrationis, non est quaestio de simplici lotione, sed de translatione a non sacro ad sacrum. Etiam iterato Baptismate, preces, instructiones, benedictiones, omina, fidei professio erunt significativae eius rei quam significant, sed nihil sunt relate ad collationem Sacramenti; imo, si mala fide huiusmodi collatio intenderetur et fieret, esset damnatum crimen.

Hinc, quemadmodum nomen baptizati, quod respondet titulo in ecclesia, restat quod in primo et vero Baptismate designatum erat, et nullo iure mutari valet (nisi actum fuerit contra n. 54, tit. II, cap. 1, Ritualis romani); ita titulus ecclesiae restat quod erat, et nequit mutari.

Si vero dici posset, quod nova consecratio suam vim et significationem reipsa habuit, consequens esset, ut bis in anno de dedicatione ecclesiae illius agendum foret, et bis item adquiri valerent Indulgentiae anniversarii; quod nescimus an quis, etiam nostrae sententiae adversator, admitteret, quantumvis secum cohaerere satageret.

Consectarium deducitur incontestabile: Titulus ecclesiae consecratae, de qua in casu, est et erit, qui erat ab origine. Neque dicas, S. Ioseph additum esse in nova consecratione, quia reipsa non est additum ratione consecrationis, quae nulla extitit, neque ratione auctoritatis Episcopi, quia Episcopus, in subiecta materia, auctoritate caret. Restat igitur, si velit S. Ioseph tamquam contitularis haberi, ut recursus fiat ad S. Rituum Congregationem.

II.

De modo celebrandi Missas pro defunctis, in Officio post sermonem, quem vocant " de animabus ".

In Missis de requie Officiorum pro animabus defunctorum, lectis vel cantatis, non una est sententia inter sacerdotes ad haec Officia participantes, quoad electionem Missarum et orationum. Nonnulli stant pro Missa quotidiana, alii pro anniversaria, cum illa, inquiunt sint anniversaria late sumpta, celebrantur equidem fere semper eodem tempore. Quod vero orationes attinet, quidam dicunt, unicam esse admittendam orationem, *Fidelium*, alii volunt tres, ut in Missa quotidiana; aliqui demum contendunt, esse reipsa dicendas tres orationes, at primam pro iis qui in coemeterio requiescunt, quia eleemosynam offerentes (eleemosynae colliguntur in sermone animarum defunctorum), maxima ex

parte suos defunctos intendunt adiuvare, quorum corpora in parochiali coemeterio requiescunt, a fortiori autem si Missa in ecclesia coemeterii dicatur; secundam pro pluribus defunctis, quia contingere potest quod nonnulli defuncti, quibus Sacrificium applicatur, alibi sepulti sint; tertiam tandem pro omnibus defunctis, iuxta mentem Ecclesiae. Quid retinendum?

Resp. Perpendemus singulas sententias, post quasdam generales animadversiones. Casus est de Missa vel de Missis celebrandis post sermonem deanimabus defunctornm. Intentio igitur offerentium dependet a modo loquendi sacri oratoris, qui populum invitat ad eleemosynam elargiendam; hinc, si generatim proponit suffragium pro defunctis, pro omnibus erit applicandum Sacrificium, et relativa Missa est dicenda; si alio modo populum alloquitur, standum obvio expositionis sensui. Quando dicitur: « Missa quotidiana », cum sermo est de defunctis, vel intelligitur de formulario Missae, quae ita indicatur in Missali, quae potest sumi ad libitum, praeter orationes, semper dicendas iuxta rubricas et decreta, vel intelligitur de Missis quae nullam habent relationem cum die, v. gr. anniversaria, aut Officio, quod celebratur vel supponitur solenne (cfr. decr. gen. n. 3920, I: « nempe sub ritu qui duplici respondeat »). In casu nostro, evidenter, non agitur de Missis quotidianis in prima significatione, est nimirum ex natura sua solemnis huiusmodi celebratio.

His praemissis, respondemus: Qui stant pro Missis quotidianis, sententiam suam sustinere queunt, quoad electionem formularii quartae Missae, cum unica tamen oratione, ratione solemnitatis, quae reipsa inest hisce in adiunctis. Oportet vero ut non reliquatur ad cuiusque libitum electio unius vel alterius formulae, quia nequeunt huiusmodi Missae considerari ut mere privatae, quia agitur de speciali publico Officio, in quo uniformitas exigenda est. Quod fit in Missa solemni, in casu, debet et in lectis adhiberi.

Qui censent, has Missas esse anniversarias lato sensu

non cohaerent cum decreto S. R. C. de anniversariis late sumptis, n. 3753, V; non agitur enim de religiosa Communitate, Canonicorum collegio, Confraternitate vel Sodalitate, quae Officium celebrent pro confratribus, quibus solis coetibus personarum favet decretum, in celebratione funerum, quae semel in anno fieri solent. Oratio *Fidelium* esset congrua, si constaret, suffragium esse faciendum in favorem omnium defunctorum, secus standum enunciatae a sacro oratore intentioni. Praesumptio debet cedere certitudini, et in dubio, putamus melius esse ad omnes defunctos orationem aptare, quia, etiamsi oretur pro omnibus, quemadmodum fit in ceteris precibus formularii quarumcumque Missarum, applicatio reipsa dirigitur ad eos, quos singuli offerentes intendunt. Fortior tamen praesumptio, semper si dubitetur de intentione, haberetur si Missa saltem solemnis haberetur in coemeterio, sed cumneque in hoc casu certitudo haberi queat, melius etiam tunc putamus pro omnibus orationem sumere.

Locuti sumus promiscue de Missis, tam in cantu quam lectis, quia, si agitur de Officio solemni (Officium dicimus lato sensu, pro liturgica actione in genere, non pro Matutino etc.), etiam extra dies privilegiatos, tertio, septimo etc., decretum generale n. 3920, I, habet: « ... in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus III, VII, XXX et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu, qui duplici respondeat ».

Postremo animadvertere opportunum putamus, non adesse ullum privilegium celebrandi huiusmodi Missas, neque cum cantu, extra dies quibus permittuntur Missae quotidianae de requie, eo quod, uti superius notavimus, occurrentia non est anniversaria aut alia privilegiata. Sed, si caneretur Missa pro omnibus, nonne posset celebrari in duplici etiam maiori, quia revera plurimi illo die defuncti sunt? Nemo, quod sciamus, id hucusque affirmavit; quod nos attinet, non auderemus eos qui id fecerint condemnare, non

obstante decreto S. R. C. n. 2733, quocum ita obsequentes manere censemur. Lex reipsa adest, quae in his duplicibus permittit Missam anniversariam cum cantu, pro iis qui illo die defuncti sunt, nulla autem, e contrario, adest lex, quae prohibeat, hoc casu, *addere* intentionem applicandi Sacrificium etiam pro pluribus aliis, non illo die defunctis. Sed dicetur: In oratione constare debet de occurrentia: *quorum anniversarium...* Respondemus: Ita fiat, quia verum erit: stricto sensu, pro iis qui eo die obierunt, lato sensu (praescindendo a conceptu anniversarii iuridice late sumpti) pro aliis quorum suffragium, ut dicitur in expositione dubii, semel in anno eo circiter tempore intenditur. Ceterum, etiam in anniversariis iuridice late sumptis, improprie dicitur oratio Missae de anniversario. Excluderentur tamen qui durante postremo anno defuncti sunt: sed iterum dicimus, additionem in intentione non prohiberi. At insuper quaerimus: Estne de rigore assumptio orationis propriae Missae de anniversario? In anniversario Sacerdotum, imo, sumi *debet*, ex decreto S. R. C., oratio: *Deus, qui inter apostolicos...*; in anniversario suorum parentum, nonne posset Sacerdos dicere orationem propriam: *Deus, qui nos patrem et matrem...?* Nonne similiter aliis in adiunctis? Salvo meliori iudicio, non videmus, quod, sic agendo, fiat rubricis iniuria; res erit praeter rubricas et decreta, non contra.

M.

III.

Utrum in Dominicis II, III et IV Quadragesimae cantari possit Missa de sancto transferendo iuxta Rubricam VI missalis.

Quoniam ex novissimis Rubricis omnes Dominicae Quadragesimae sunt primae classis, nonnulli putant quod non amplius cantari queat Missa ex. gr. de S. Ioseph in crastinum hoc anno trasferendo.

Dicunt enim: Rubrica Missalis citata *De Translatione Festorum*, permittit quidem, ut *in Ecclesiis ubi Titulus est*

Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debeat, possint cantari duae Missae, una de die alia de Festo ; sed excipit nonnullos dies in quibus Missa cantata de festo transferendo, prohibetur; inter quos recensentur omnes Dominicae primae classis, nempe I Adventus, I Quadragesimae, Passionis, Palmarum, in Albis et SS.mae Trinitatis; ex qua recensione concludit: quia hodie sunt primae classis etiam Dominicae II, III et IV, ergo in eis quoque nefas est canere Missam de festo transferendo.

Primo obtutu huiusmodi ratiocinatio videtur esse solidissima ac bene fundata, ob notum principium: ubi eadem est ratio, eadem quoque esse debet legis dispositio.

Nihilominus nobis videtur aliud esse sentiendum.

Eadem Rubrica VI Missalis a tempore S. Pii V usque ad Leonem XIII, scilicet usque ad annum 1897, quando Rubricae Missalis in aliquibus locis moderatae fuerunt, inter dies prohibentes Missam de Sancto transferendo, non enumerabantur Dominicae Passionis et SS.mae Trinitatis, et tamen huiusmodi Dominicae iam erant primae classis.

Pretium est operis textum antiquum et novum sub oculis lectorum hic submittere huiusmodi Rubricae VI, Missalis Romani.

« *In ecclesiis autem ubi est Titulus est Ecclesiae vel concursus populi ad celebrandum festum quod transferri, debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo, excepta...*

In Missalibus editis ab anno 1570 usque ad 1897.	In Missalibus editis post annum 1897.
excepta Dominica I Adventus, Feria IV Cinerum, Dominica Palmarum cum tota hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis et Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, etc.	*excepta Dominica I Adventus, feria IV Cinerum, Dominica I Quadragesimae* **Dominica passionis,** *Dominica Palmarum, cum tota hebdomada maiori, Dominica Resurectionis cum sequenti biduo ;* **Dominica in Albis,** *Dominica Pentecostes cum duabus sequentibus feriis,* **Dominica Ss.mae Trinitatis,** *die Nativitatis Domini, etc.*

Ergo, iuxta Rubricas Missalis, a tempore S. Pii V usque ad Leonem XIII dabantur Dominicae primae classis, in quibus dicta Missa cantari poterat, nempe Dominicae Passionis, in Albis et Ss. Trinitatis.

Merito quidem inter dies prohibentes a Leone XIII adiectae fuerunt huiusmodi Dominicae nam, sicut inter prohibentes huiusmodi Missam cantatam habebantur Dominica I Adventus et Qaudragesimae, in quibus initium habet tempus speciale liturgicum, ita etiam Dominica Passionis et Ss.mae Trinitatis adiungendae erant, eo quod, in eis quoque principum habet tempus speciale; praecipue in Dominica Passionis, in qua tèmpus sic dictum *Passionis,* quod terminat in Sabbato Sancto ad Missam, initium accipit. Non ergo inscriptae fuerunt Dominicae istae, quia primae classis erant, sed quia et ipsae solemniores sunt.

Huiusmodi porro ratio deficit pro Dominicis II, III et IV Quadragesimae, in eis enim nullius temporis initium habetur, ergo, ipsae bene possunt nunc esse elevatae ad primam classem, quin privilegium excludendi Missam cantatam in casu habeant.

Ut melius huiusmodi restrictio nostra comprobetur, pretium operis est adducere rationem ob quam Dominicae omnes Quadragesimae a novissimis Rubricis primae classis dicuntur esse.

Notum est quod unum ex bonis praecipuis a nova Rubricarum reformatione promanantibus, illud quoque fuit, ut honor diei Dominicae restitueretur, eorumque Missae pulcherrimae omnino essent recitandae, si non in sua die, quando occurrit aliquod festum solemnissimum, saltem infra suam Hebdomadam. Cum autem omnes Feriae Quadragesimae propriam Missam habeant, quando in Dominicis II, III et IV Quadragesimae occurrebat aliquod festum primae classis, Missae earundem Dominicarum recitari omnino nequibant, nec in ipsis Cathedralibus, ubi, si dicebatur secunda Missa conventualis de Feria, in diebus ferialibns ab officio IX lectionum impeditis, de Dominica impedita agi

non poterat nisi commemoratio, cum IX lectione et Evangelio in fine Missae festivae, et infra earum hebdomadam resumi nequibant.

Itaque ne Missae huiusmodi Dominicarum perirent, quando in eis occurrebat aliquod Festum primae classis, in novissima Rubricarum recognitione statutum est, ut ad primam classem elevarentur, ne scilicet Missae earum umquam impediri possent.

Quibus notatis, non videtur mens fuisse Legislatoris, nisi ut huiusmodi Dominicis tribueretur solum et purum necessarium, ad consequendum desideratum bonum, de quo supra diximus, et nil aliud.

Nos ergo putamus quod, non obstante novissima elevatione ad primam classem Dominicarum II, III et IV Quadragesimae, adhuc in eis cantari possit Missa de festo transferendo.

Primo, quia Rubrica VI Missalis nondum fuit moderata, ideoque usquedum non exeat a Vaticana Typographia nova Editio typica Missalis, stare debemus ad dictam Rubricam VI prout nunc iacet et sonat in Missali.

Secundo, quia sicut in eadem Rubrica non omnia Duplicia primae classis recensentur, ita bene possunt non recenseri omnes Dominicae primae classis.

Aliis verbis, citata Rubrica excludit Missam de festo transferendo, tantummodo in diebus solemnissimis, sive ratione maximae festivitatis, uti sunt Pascha et Pentecostes, sive ratione, ut diximus, initii temporis liturgici, uti Feria IV Cinerum et Dominicae I Adventus et Quadragesimae; atqui in Dominicis II, III et IV Quadragesimae huiusmodi ratio exulat, ergo adhuc in eis cantari potest Missa de S. Ioseph hoc anno, et similiter de Sancto Titulari vel loci Patrono, si incidant in unam ex dictis Dominicis.

Ita putamus, salvo meliori iudicio, expectantes editionem novissimam Missalis typici.

Dr. P. Piacenza.

Consuetudines in functionibus liturgicis

(Continuatio, V. n. I curr. anni, pagg. 17-41)

Quaer. Qualis esse debet color conopaei et pallii altaris, quando color officii discordat a colore missae, ut accidit si ritus officii permittat missas votivas et de requie, vel si in festis missa de feria maiori vel de vigilia communi celebrari potest?

Resp. REGULA GENERALIS, a rubrica missalis (P. I, tit. XVIII, n. 6) praescripta, est: « Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis officio et missae diei, secundum usum romanae ecclesiae ».

EXCEPTIONES: 1ª Color *conopaei* tabernaculi semper esse potest *albus*, vel eiusdem coloris cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta pro temporis festive ratione (1); praeter colorem *nigrum*, qui mutatur in colorem *violaceum* in exequiis defunctorum (S. R. C. 21 iul. 1855 ad 10, n. 3035) et in commemoratione fidelium defunctorum (S. R. C. 1 dec. 1882, n. 3562). Utrum vero *pallium* altaris in exequiis, in missis cantatis de requie et in commemoratione omnium fidelium defunctorum esse possit *nigri* coloris ad altare ss. Sacramenti, negandum est, iuxta decretum S. R. Cnis. diei 20 martii 1869 ad 10, n. 3201, ubi dicitur: « Non potest adhiberi pallium *nigri* coloris in solemni commemoratione et exequiis defunctorum ad altare ss. Sacramenti »; iuxta autem decretum n. 3562, *tolerandum* est *in casu* de quo resp.

2ª Color *conopaei* et pallii in publica expositione ss. Sacramenti semper erit coloris *albi* (S. R. C. 9 iul. 1678 ad 7-9,

(1) Nota bene, quod hic non dicatur eiusdem coloris *officii diei*, sed *cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta*, nimirum

n. 1615, 19 dec. 1829, n. 2673. *Missae* vero *defunctorum* omnino celebrandae sunt in paramentis *nigris*, adeo ut *violacea* adhiberi nequeant, nisi in casu quo, die 2 novembris Sanctissimum publice expositum sit pro oratione XL horarum. (Decr. gen. S. R. C. 27 iun. 1868, a Sanctissimo adprobatum 23 iul. n. 3177; decr. gen. 7 iul. 1895, IV, n. 3864; et *Constit.* « *Incruentum* » Bened. XV, diei 10 aug. 1915, 4); et idem videtur dicendum, iuxta Cavalieri (Opera omnia liturg. tom. III, cap. XII, decr. I, n. 8) in commemoratione omnium defunctorum alicuius religionis seu congregationis (1).

3ª Exceptio seu potius quaestio est: quando extra supradictos casus, color officii et missae *discordet*, uti accidere potest in vigiliis infra octavas seu in duplici vel semiduplici occurrentibus, in missis votivis, et in feriis maioribus, in duplici aut semiduplici occurrentibus, utrum tunc paramenta altaris, scilicet conopaei et pallii concordare debeant cum colore officii ecclesiae, an cum colore missae celebrantis?

Cl. Gavantus (P. I, tit. 18, n. 6) cum aliis tenent: Si color officii et missae discordet, color altaris sequitur officium, color autem vestium celebrantis semper esse debet missae conformis: pro missa tamen solemni *decet* ut *pallium* etiam altaris cum colore indumentorum missae conveniat. Gavantus autem pro hac assertione nullum argumentum adducit, et exceptionem facit *de congruo* pro *pallio* in missa *solemni*.

---

celebrantis et ministrorum, cum reliqua paramenta vel nullum colorem exigant, vel sint albi coloris, uti linteamina altaris.

(1) Item in commemoratione omnium fidelium defunctorum, in communione extra missam utendum est stola coloris *violacei* aut albi (S. R. C. 19 april. 1912 ad 10, A. A. S. IV, 323). Insuper notandum est quod si expositio (Processio vel benedictio ss. Sacramenti) immediate post missam vel officium sequatur, ita ut celebrans ab altari non recedat, licet retineri conopaeum et pallium altaris coloris quem exigit officium diei (S. R. C. 1 dec. 1882 ad 1, n. 3559).

Cl. autem Turrinus *(Direct. Sacrific. Pars I, cap. IV)* ait: « Paramenta altaris maioris pro iis diebus dum persolvitur officium, habeant colorem officio correspondentem, pamenta autem minorum altarium correspondeant colori octavae et festi, quia color paramentorum debet esse proportionatus illi officio quod in eo altari celebratur; cum autem ad solum altare maius persolvatur officium chorale, et in minoribus tantummodo missale, hinc est, quod pro eo tempore color officio canonicali maiori, et color missae correspondens in minoribus debet apparere. Ceterum in maiori altari, dum celebratur missa solemnis de vigilia, vel feria rogationum, apponi debet color violaceus prout de votivis solemnibus ».

Cl. P. Paulus M.ª Quarti vero (P. I, tit. 18, dub. 3) docet: Dum cantatur officium in choro, paramenta altaris, coram quo celebrantur divina officia, debent esse coloris *officio* convenientis, cum ea paramenta debeant esse conformia functioni sacrae, quae coram illo altare celebratur. Ita pariter dum in altari chori missa celebratur, praesertim conventualis vel solemnis, pallium altaris debet esse conforme coloris missae. Et eadem ratio est de missis privatis, si plures missae in eodem altari essent celebrandae, completo officio.

Praelaudatus auctor pro sua assertione sequentia argumenta adducit:

a) Paramenta altaris debent esse conformia functioni quae in ecclesia seu oratorio exercetur (1), et si adsit duplex color (scilicet officii et missae), ille color praeferendus est qui est potior et dignior, qui in casu est certe color missae,

(1) Nonne ita agit s. Mater Ecclesia in sabbato sancto et in vigilia pentecostes? Rubrica in sabbato sancto praescribit ut paramenta tum altaris tum celebrantis et ministrorum, ab initio functionis usque ad missam sint violacea (cum exceptione pro diacono qui cantat *Exultet*), et pro missa coloris *albi*; in vigilia autem pentecostes ab initio functionis usque ad missam iterum coloris *violacei* et sub missa coloris *rubri*.

cum missa sit functio multo sacratior et dignior quam officium.

b) Altare primo et principaliter erigitur propter sacrificium et maiorem connexionem habet cum missa quam cum officio.

c) Tempore officii in choro paramenta altaris debent esse conformia colori officii ; ita pariter in missae celebratione ea debent esse conformia colori missae (1).

Sed forsan aliquis obiiciet : Nonne paramenta altaris debent esse conformia colori diei qui in calendario ecclesiae in qua celebratur missa praescribitur; secus enim dicendum est nullum colorem ibi praescriptum esse in illis diebus, in quibus permittuntur missae votivae, de requie, vel de feria maiori et vigilia, seu concludendum est in illis diebus paramenta altaris esse posse arbitraria seu ad libitum, sicut missae.

Respondeo : 1° Diebus quibus color paramentorum celebrantis et ministrorum discrepare possunt a colore officii diei, color in calendario loci praescriptus valet tantummodo pro recitatione publica officii ubi habetur obligatio chori (pro recitatione privata officii, uti patet, nullus color praescribitur) : color autem missae iuxta calendarium loci in illis diebus dependet a qualitate missae quam sacerdos seu sacerdotes ibi celebrant. Porro, quum rubrica missalis praescribat, ut paramenta tum altaris, tum celebrantis et ministrorum esse debeant coloris convenientis *officio et missae diei*, ex eo legitime deducitur quod *si color missae ab officio diei discrepet* et color officii pro missa observari nequeat, nulla pariter obligatio adesse possit ut pro conopaeo et pallio altaris observetur color *officii diei*, qui cum missa nullam conformitatem habet. Quod si non habetur obligatio servandi conformitatem cum colore *officio diei* in praedictis diebus, an eo

(1) De ratione *congruentiae* pro colore Missae, vide etiam Guyetum (*Heortologia* lib. III, cap. XXX, q. 11) et Ephemerides Liturg. (an 1902, pag. 151).

in casu etiam concludendum sit non adesse obligationem servandi pro conopaeo et pallio altaris conformitatem *cum colore missae seu missarum, quae eo die ibi celebrantur?* Hoc affirmare non audeo, cum recta ratio dictet, ut dicit cl. Quarti, ut servetur saltem conformitas cum illo colore qui est potior et dignior, qui in casu est certe color missae.

2° In illis diebus in quibus iuxta calendarium loci permittuntur missae votivae, de requie, vel de feria maiori et vigilia communi, quisnam recte dicere possit, quod color in eo loco praescriptus pro conopaeo et pallio altaris sit *color officii,* et pro celebrante et ministris *color missae respectivae.* Ubinam hoc praescribitur? Certe hoc deduci nequit ex rubrica missalis, vi cuius potius concludi potest colorem pro paramentis altaris esse colorem missae, vel saltem ad libitum, sicuti missae praedictae sunt ad libitum. Nonne igitur potius dicendum sit in casu colorem missae praevalere pro conopaeo et pallio altaris, cum tunc saltem habeatur conformitas cum colore missae?

3° Si patroni assertionis Gavanti excipiant *missam solemnem* et etiam *missam in cantu,* in qua **decet** ut paramenta altaris conveniant cum colore illius missae; quare id pariter non **deceat** si omnes missae vel saltem plures missae privatae in eadem ecclesia seu eodem oratorio cum eodem colore celebrantur, praesertim si color iste cum illo tempore vigenti congruat, verbi gratia color *violaceus* tempore *adventus* vel *quadragesimae?* — Nonne ideo dicitur in decreto S. R. C. diei 21 iulii 1855 ad 10, n. 3035, conopaeum tabernaculi semper esse coloris albi, vel potius eiusdem coloris cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta *pro temporis festive ratione?*

Hinc nostra opinio est et manet quod *deceat,* ut color conopaei et pallii altaris (in quo ss. Sacramentum asservatur) in ecclesiis et oratoriis publicis et semipublicis, *in quibus non habetur officiatura choralis,* correspondeat *colori missae,* vel missarum (saltem si plures sint) quae ibi celebrantur, praesertim si iste color congruat illi tempori, verbi grat. *color violaceus* tempore adventus vel quadragesimae.

Sed forsan aliquis postulabit: qualis color adhibendus sit pro conopaeo et pallio altaris *ante et post* illas missas, sub quibus ea paramenta altaris sunt conformia colori illarum missarum et diversa a colore officii? Item qualis color pro iisdem paramentis altaris ponendus sit in casu durante illa missa quae ibidem dicitur in colore officii recitati?

Si in illa ecclesia vel oratorio nullimode habeatur officiatura choralis, et ibi illo die non fiat alia functio, diversum colorem exigens, nulla ratio adest, ut color conopaei et pallii altaris mutetur, usquedum pro illis color officii et missae, vel solum color missarum alium requirant colorem. Aliis verbis: cum in casu pro paramentis altaris color missae seu missarum sit color diei, ex eo sequitur quod pro mutatione istius coloris eadem regula sequenda est ac quando pro illis paramentis praescribitur color officii. Item nihil importat quod aliquis ibi missam celebret cum colore diverso (v. g. cum colore officii diei vel sancti de quo illo die officium recitatur), modo pluralitas missarum quae ibi celebrantur sint in colore conformi paramentis altaris. Nonne haec diversitas coloris etiam accidat in semiduplicibus et feriis per annum, quae missas votivas et *de Requie* permittunt? Nonne tunc plures Missae celebrantur in eadem ecclesia cum colore diverso a colore paramentorum altaris? Insuper nonne eadem inquirentis postulatio applicari possit illis locis, ubi plures missae *in cantu* celebrantur in eadem ecclesia et eadem die, ac forsan in colore diverso?

In casu tamen, quo color paramentorum altaris est conformis colori quocum missae (si sint plures) in eadem ecclesia vel oratorio celebrantur, et aliquis ibi desiderat missam celebrare in colore diverso, v. g. in colore conformi officio recitato, tunc solummodo consulendum est, ut ipse celebret, non in altari ubi ss. Sacramentum asservatur, sed in alio altari ecclesiae, si habeatur.

Quaer. Revera ne aliud existit decretum S. R. C. tolerans usum pallii nigri coloris ad altare ss. Sacramenti in

tabernaculo clausi, occasione funerum, latum post illud d. d. 20 martii 1869, ad 10?

Resp. Revera in decreto citato 20 martii 1869, quod in collectione prostat sub n. 3201 ad 10 prohibitum fuit « Pallium nigri coloris in commemoratione et in exequiis defunctorum ad altare ss. Sacramenti ». Nihilominus, postquam S. R. C. suo generali decreto, n. 3177, declaravit: « posse in missis defunctorum cum paramentis nigris sacram communionem fidelibus ministrari etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem e tabernaculo », pluribus visum est, quod eo magis pallium nigri coloris adhiberi possit ad altare in quo reconditum in tabernaculo servatur ss. Sacramentum, cum ad illud agenda sunt officia defunctorum.

Verum eadem S. R. C., alio suo decreto dato die 1 decembris 1882, n. 3562, ad quaesitum: « Num prohibitio de qua supra (adhibendi pallium nigrum) respiciat ecclesias ubi asservatur ss. Sacramentum in altari, quod maius et unicum est? » S. R. C. respondit: « In casu, sacri tabernaculi saltem conopaeum esse debet violacei coloris ». Ex quo clare patet, rigorem antiquum S. R. C. moderari voluisse; nihil enim amplius de pallio expresse iubet in suo responso, sed mitiori locutione utens, *saltem* conopaeum desiderat, esse coloris violacei, non nigri. Quod opportunissime declaratum est; aliud enim est ornamentum altaris, aliud ornamentum tabernaculi. In hoc reconditur ss. Sacramentum, cui male aptatur color niger; ornamentum autem altaris, ut est pallium, non ita proxime Eucharistiam attingit; ideoque sicut in missa defunctorum ornamenta sacerdotis nigra non dedecent, sic et de pallio nunc est dicendum. Hoc itaque decreto n. 3562, pro peculiari casu, S. R. C. suam revera moderasse sententiam videtur, quia citato decreto n. 3201 non obstante, *tolerandum* censuit *in casu* contrarium usum: vel utens verbis ipsis in indice generali contentis, **pallium altaris in quo asservatur ss. Sacramentum, si inibi cantetur missa de requie, esse decet** (*in casu*) **coloris violacei.**

Quaer. Multoties de cruce in altari ponenda locuti sumus, sed perperam. Crux in altari passim videtur satis parva et vix adstantibus visibilis! Ordinarius habetne ius ad poenam transgressoribus infligendam?

Resp. Ad dubium, an et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam crucem vix visibilem, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandae inter candelabra, ut rubrica praescribit? S. R. Congregatio respondit: Reprobandum abusum; et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis. Quod si ob aliquam causam removenda sit crux sita inter candelabra, alia tempore sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti quam populo » (D. 2621 ad 7).

Illustrator allati decreti ita ratiocinatur. Si ratio prae oculis habeatur, propter quam rubrica, *tit. de praeparatione altaris,* praecepit, ut *crux collocetur inter candelabra,* facile intelligitur nobiliorem locum ab eadem occupari debere, ac talem esse eius magnitudinem, ut subito in conspectum veniat cum celebrantis tum populi; si vero finis ab Ecclesia intentus consideretur, qui est ut « ab aspectu crucis sacerdoti celebranti passio Christi in memoriam revocetur, cuius passionis viva imago et realis repraesentatio hoc sacrificium est », veluti habet Card. Bona, *Rer. liturg. lib. I, cap. 25, n. 8,* consequitur vix ac ne vix quidem huiusmodi finem parvis illis crucibus obtineri posse, quae, neglecta positiva lege rubricae, superimponuntur vel tabernaculo, vel parvis tabulis alicubi, non ita infrequenter, in medio altarium collocatis. Iam S. R. C. declaraverat in *Rossanen.* 16 iunii 1663, n. 1270 ad 1, « parvam crucem sufficientem non esse, sed poni debere aliam crucem in medio candelabrorum »; nihilominus temporis successu, ut coeperunt multiplicatae minores tabulae in singulis fere altaribus collocari, ita crevit abusus, ut Benedictus XIV illum deprehenderit « in aliquibus ecclesiis nostrae romanae Urbis et aliis pariter, quae episcopis suburbicariis subiiciuntur ». Quamobrem medum huiusmodi abusum reprobavit, verum etiam encyclicam dedit

sub die 16 iunii 1746 ad archiepiscopos, aliosque Ordinarios ditionis ecclesiasticae: De retinenda crucifixi Salvatoris imagine palam et visibiliter exposita super altaribus. « Illud, inquit, permittere nullatenus possumus quod missae sacrificium in his altaribus celebretur, quae careant imagine crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat: id enim alienum est a legibus et institutis Ecclesiae, quae in rubricis aliisque ecclesiasticis sanctionibus continentur... ita ut certissimum sit violari leges Ecclesiae, si exigua solum imago crucifixi praefigatur minori tabulae vel statuae sancti, qui superadditur, ut illum fideles venerentur »; et post plura eruditissime disputata, concludit: « Si iuxta rubricas missalis crux inter candelabra statuenda est... si iuxta sensum S. R. C. non satis esse iudicatur exiguus crucifixus tabernaculo infixus.... nemo est, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam...., esse omnino improbatam; eoque magis, quia ex exiguo crucifixo, qui praefigitur tabulae eius sancti qui altari superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum crucem inter candelabra collocandam decernit ». Hanc encyclicam interesset plurimum, ut episcopi aliique locorum Ordinarii sedulo perlustrarent et tempore sacrae visitationis ubique ad praescriptum rubricae crucis collocationem exigeret, et inobedientes poenis plecterent a iure indictis. Et hoc praesertim evincitur ex gravissimis verbis constitutionis *Accepimus* ad episcopos: « **Vobis praecipimus ut nullo pacto patiamini** (neque in ecclesiis regularium) rem divinam fieri.... nisi crucifixus inter candelabra ita promineat, ut *sacerdos celebrans ac populus,* sacrificio assistens, eumdem crucifixum facile et commode intueri possint: quod evenire nequit, si exigua solum crux minori tabulae defixa fidelibus exhibeatur ». Consulantur auctores liturgici melioris notae, et fere omnes crucis magnitudinem commendant et praescribunt « Crux,

ait cl. Bauldry (*de Rubr. generalibus, tit. XV, n. 4*), super altare apponatur in medio tamquam signum Regis in regia, eleveturque ad tantam altitudinem, ut pes ipsius aequet altitudinem candelabrorum; ac ipsa tota candelabris super emineat»: similiter Turrinus (Direct. sacrif. Part. I, sect. IV).

In Instructione sacrae apostolicae visitationis pro ecclesiis Urbis, suspensae declarantur cruces altarium, quarum hasta longior minor sit altitudine 40, brevior autem 22 centimetris. Exigit praeterea, ut pro altari principe aliisque grandioribus, crux sit semper, cum proportione, maior.

Si per accidens crux praegrandis sit ab altari removenda, alia apponatur tempore missae, sed celebranti semper populoque visibilis; idque ex decreto S. R. C. n. 2621 ad 7, quod Pius Pp. VII adprobavit, *locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant.*

Dicta resumentes, tenendum est, hanc esse Ecclesiae voluntatem, ut crucifixus, post Eucharistiam et reliquiam sanctae Crucis, maximum habeat cultum et honorem. Pro missa celebranda, immo, crucifixus est necessarius, quod de nulla reliquia dici potest, vel imagine. Et nihilominus saepe altaria conspiciuntur, pluribus pictis tabulis ornata, thronis et reliquiis, dum nonnisi difficulter videri potest crucifixus. Hoc autem est accessorium curare, principale negligere, quod non est tolerandum. Imago demum crucifixi, fas est adiungere, pulchra esse debet et decora, ut devotionem excitet: dum interim eiusmodi quandoque videntur, ut risum, vel iram potius provocent, et spretum ecclesiasticae auctoritatis, quae talia permittit. Non est in throno collocanda in quo ostensorium poni solet (D. n. 4136), neque super corporale vel palla (D. 3576, III), neque ante ostiolum tabernaculi (D. cit.). In observantioribus ecclesiis ita locatur crucifixus, ut vel ante vel post thronum elatus appareat. Non est necesse ut, exposito Sanctissimo, tollatur.

Quaer. Non raro invectam hanc consuetudinem observavimus, quod occasione sacrarum functionum, sive publicarum sive privatarum, dignitates et canonici, superiores

regulares, praelati quoque romanae curiae, protonotarii apostolici honorarii etc., tam intra quam extra propriam ecclesiam, utuntur cappa aliisque insigniis iuxta respectivas eorum dignitates. Quid dicendum?

Resp. Praefata insignia citra dubium limitibus quibusdam sunt inclusa seu loci seu temporis; nisi, quoad locum, sermo sit de Protonotariis Participantibus, ac de Canonicis Patriarchalium Urbis, qui insignia pontificalia ubilibet utuntur, de praelatis romanae Curiae, qui saltem praelatitium habitum ubique gestare possunt, deque aliis perpaucis, qui privilegio amplissimo potiuntur; et quoad tempus nulla habeatur limitatio in documentis concessionum.

Sermo sit prius de canonicis. Ad locum quod spectat, stabiliendum omnino est, firmiterque tenendum tanquam canonem, extra propriam ecclesiam, urbem aut dioecesim, privilegiis canonicalibus neminem ex canonicis posse uti. Nunc autem insignia, de quibus sermo est, ad privilegia pertinent, proindeque iis uti non licet, nisi ubi sunt concessa. Quod patet primo ex ratione. Haec enim privilegia, non sunt personalia, sed localia, idest concessa sunt intuitu loci, seu ecclesiae, non vero personae. Hoc autem satis abunde demonstratur ex regula iuris XV, quae docet: *Privilegium personale personam sequitur, extinguitur cum persona.* Nunc autem praefata insignia honoris non amittuntur, si iis decoratus decedat, sed pro eo manent, qui defuncto succedit. Id autem accidit profecto, quia non adhaerebat personae qua tali, sed dignitati canonicali. Secundo probatur ex iure liturgico. Decreta enim S. R. C. assertum nostrum statuunt atque confirmant.

Sane, decretum in *Panormitana*, d. d. 12 martii 1678, n. 1613, supplicante canonico, an extra dioecesim liceat oratori uti insignibus canonicalibus, S. R. C. respondit: « *Negative* ». — Aliud, quod datum fuit d. d. 31 maii 1817, n. 2579, ad dubium, an teneantur canonici cathedralis cappam deponere, tam intra quam extra cathedralem, dum verbum praedicant vel alias quascumque, non capitulariter,

functiones exercent? Respondit : *Negative* in propria ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus, excepta sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo et stola : *affirmative* extra propriam ecclesiam, et detur decretum generale. — Decretum d. d. 12 iulii 1892, n, 3784, II et III, in concionibus, nec non in publicis conventibus sacris, usum cappae, mozzettae vel caputii permissum declarat iis tantum, qui eiusmodi insignibus gaudent, in solis ecclesiis propriis, numquam autem in alienis ecclesis (Cfr. etiam DD. 1613, 3052, 2123) privilegio pariter secluso, nisi in his capitulariter conveniant.

Ceterum privilegia per Bullam vel Breve aut Rescriptum a Romano Pontifice conceduntur. Ibi semper expressos videre est limites, quousque illa extenduntur. Ita ex. gr. in Bulla quae Viterbii canonicis pontificalium usum concedit, legitur : *In dioecesi tantum*. Idem dicendum de aliis. Necessum est itaque documenti verbis inhaerere, sicut S. R. C. declaravit in decr. generali n. 2579: *Non licere dignitatibus et canonicis etc. uti* (insigniis) *nisi servatis modo et forma, et cum limitationibus et conditionibus in apostolica concessione praescriptis*. Quinimo, adhuc si in documento concessionis insignia deferendi privilegium extra dioecesim extenderetur, id tantummodo intelligendum est quando canonici capitulariter incedant, vel assistant et peragant sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum collegium comprehenderet, verum etiam singulariter et distincte ad personas extenderetur (S. R. C. nn. 2579, 3123) (1).

Decretis super allatis usi sumus ad principium tuendum, nec non ad hodiernum ius declarandum, quod post Breve Leonis Pp. XIII, in collectione authentica decretorum sub n. 3817 relatum, nec non Motum proprium Pii Pp. X, diei 21 februarii 1905, in eadem collectione insertum, sub n. 4154, novum robur accepit.

Legitur in Brevi, ad III : « Canonici ad honorem alicuius minoris basilicae vel ecclesiae collegiatae almae

Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivae basilicae vel collegiatae eiusque filialium ecclesiarum ambitum, uti canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius metropolitanae, vel cathedralis, aut collegiatae ecclesiae, seu basilicae minoris extra Urbem canonici sunt ad honorem, privilegiis tantum utantur in dioecesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium ». In Motu proprio vero legitur, n. 80: « ...... nemini ad aliquod ex supra memoratis collegiis (praesertim canonicorum) pertinenti in posterum ampliora suffragentur prilegia... et quidem non ultra propriae ecclesiae, aut ad summum dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites, neque ultra dies iam designatos aut determinatas functiones ».

Quia vero idem Motu proprium, nn. 34 et 50, edixerat, ut qui canonicorum coetui adscripus, cui hactenus protonotariorum privilegia concessa sint, *tamquam privata persona* iisdem uti velit, prius Breve pontificium de sua inter praelatos domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat etc., summus Pontifex Pius X, in alio Motu proprio: « *In litteris Nostris* », diei 22 decembris 1913, hoc indulsit: « Ne privilegiorum diversitas, quae inter homines eiusdem ordinis animadvertatur, christianae plebis admirationem moveat, canonicis, qui cum sint e capitulis modo memoratis (quae scilicet privilegiis seu insignibus et iuribus ad protonotarios apostolicos vel supranumerarios vel *ad instar* pertinentibus ornantur) inter praelatos domesticos relati non sint, damus et concedimus, ut collegialiter quidem omnibus fruantur privilegiis suo ipsorum capitulo ab apostolica Sede tributis, singuli autem, tum praelatitium habitum et pianum, quem vocant, gestare, ut est in illis ipsis Nostris Litteris, ad §§ 16 et 17; tum de speciali mandato Ordinarii, ornatu et more praelatorum, de quo ibidem ad § 31 sermo est, sacrum celebrare possint. Qua duplici potestate non eis licebit uti nisi intra fines dioecesis, cuius erit capitulum ».

---

(1) Ad capitulariter incedendum, sufficere et requiri tres canonicos, sub cruce capituli incedentes, edixit S. R. C. nn. 681, 710.

Circa tempus quoque, huiusmodi insignia sunt generatim intra quosdam limites conclusa, vel scilicet in solis aut quibusdam solemnitatibus, vel bis aut ter, aut pluries in anno, etc. Hoc enim ex forma concessionis perspicere infertur, sicuti in singulis casibus tributum est. Ita Gregorius Pp. XV usum violaceae talaris indulsit decano Bellunensis cathedralis ecclesiae, non tamen semper, sed in solis solemitatibus. Aliis pluribus, ut certa scientia nobis constat, permissum est pontificalem missam agere aliquoties tantum in anno.

Quoad superiores regulares, praesertim loquendum esset de privilegiis abbatum, quia difficile est alios superiores regulares invenire insignibus peculiaribus insignitos. Verum supersedemus et de abbatibus disserere, qui variis gaudent insignium concessionibus, eo quod minus utile foret ad nostrum argumentum ; quia non debet faciliter censurae subiici quod videtur quidem extraordinarium, sed in personis, quae plane supponi debent legitime facere. Quae sunt ordinis generalis, habentur in celebri decreto S. R. C., iussu Alexandri VII vulgato (decr. auth. n. 1131), quod valet etiam pro praelatis saecularibus, et in plurimis decretis S. R. C.; quae sunt particularia, extant in relativis diplomatibus.

De praelatis romanae curiae, item dicimus nostrum hic non tangere scopum, ideoque, cum Motu proprio Pii X, supra citato, dicimus, nihil hodieque detractum esse honoribus, privilegiis etc. quibus ab antiquo exornantur: ideoque, ut superius diximus, ne facile nimis indulgeatur censurae.

Quoad autem protonotarios apostolicos, standum est Motu-proprio Pii Pp. X, 21 febr. 1905. Iste Pontifex novam instituit classem protonotariorum, et statuit nova circa eorum privilegia, insignia et praerogativas. Habentur ergo quatuor ordines protonotariorum:

I. *Protonotarii apostolici de numero participantium;* qui privative hunc perinsignem coetum constituunt, qui inter cetera praelatorum collegia primus dicitur et est in romana Curia.

II. *Protonotarii apostolici supranumerarii,* ad quem ordinem tantum pertinent canonici trium capitulorum Urbis basilicarum, idest Lateranensis, Vaticanae ac Liberianae; et dignitates et canonici capitulorum extra Urbem, quibus privilegia protonotariorum *de numero* apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda.

III. *Protonotarii apostolici ad instar participantium,* ad quos adnumerantur, quibus apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea dignitates et canonici alicuius capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia protonotariorum, cum addito *ad instar,* ubique utenda, fuerint, ab eadem apostolica Sede collata.

IV. *Protonotarii apostolici titulares seu honorarii,* qui sunt praelati extra Urbem, sed non gaudent privilegiis praelatorum Domus pontificiae.

Pius Pp. X, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus suis edita documenta, sublatis omnibus consuetudinibus, exemptionibus, indultis etc., statuit, ut in posterum protonotarii apostolici non alia insignia, privilegia et praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae in Motu-proprio *Inter multiplices,* iam pluries citato, continentur.

Hisce expositis, concludendum est debere summopere commendari, quod qui specialium insignium privilegio utuntur, videant et provideant, ut decet ecclesiasticos viros, ne excessus aliquis admittatur; qui autem spectatores sunt, caritative sentiant, ne scilicet absque causa abusum putent, quod forte singulare est, sed legitimum.

Quaer. In ss. Sacramenti benedictione cum sacris ministris danda, vel sine ipsis, et cum thuriferario et duobus clericis superpelliceo indutis, cum omnes ad altare pervenerint, quaeritur: 1° quo praecise in loco se sistere debeat thuriferarius: non enim unius est ubique locorum hac in re usus, sed varius, imo multiplex. 2° An dum thuribulum apertum ad incensum in illud mittendum celebranti praesentat thuriferarius, stans semper vel genuflexus manere debeat, sive celebrans episcopus sit vel simplex sacerdos.

Resp. Inquirentes monitos imprimis volumus, hic haud dari posse categoricum responsum, quodque tali certitudine gaudeat, ut ab omnibus probari, imo cunctis urgeri valeat; cum de negotio agatur, de quo sive rubricae, sive S. Rituum Congregationis decreta late silent. Ideoque liturgici auctores interrogandi tantum nobis manent, consuetudinesque observantiorum ecclesiarum investigandae.

Hisce ergo positis, auctores liturgici omnes, quos consulere nobis datum est, alii dictant, in benedictionibus cum ss. Sacramento, thuriferarium ad latus epistolae, et praecise ad dexteram diaconi, vel clerici diaconi vices gerentis, recedendum esse, cum in presbyterium perventum fuerit. Honoris gratia contenti erimus citare tantum clarissimos Martinucci (lib. II, c. IV, n. 80), De Herdt (Part. II, n. 26 et seq.) et Menghini (De orat. XL hor., pag. 100). Insuper in nonnullis ecclesiis, praesertim Urbis, thuriferarius haud quidem in medio presbyterii se sistit, statim ac ad altare ventum fuerit pro benedictione cum Venerabili impertienda, sed ad cornu epistolae immediate recedit ad dexteram ministri celebranti inservientis, non genuflexus, sed stans. Alicubi in more positum est ut thuriferarius se sistat genuflexus in medio presbyterii inter ceroferarios exacte retro celebrantem, cui, cum tempus incensum mittendi advenit, thuribulum, quin se transverso quidem ungue sese de praefato loco dimoveat, praesentat etc. Fautores huiusmodi praxis, quae iuxta nostrum sentiendi iudicium, commoditati, nec non et sacrarum caeremoniarum decori non parum favet, numero plures, merito autem pariter laudabiles censemus. Et sane, audiatur cl. Aloisius a Carpo: « Ad altare praecedet thuriferarius cum thuribulo non fumigante, tum duo vel plures clerici funalia gerentes, dehinc assistens, si adsit, ultimo sacerdos cum vel sine diacono et subdiacono. Ubi illuc pervenerint, celebrans et sacri ministri caput detegunt, ac in plano genuflectent; deinde in infimo gradu flexis genibus brevi orabunt, quod et assistens, si adest, praestabit. Thuriferarius vero ceterique intorticia prae manibus habentes

retro post illos genuflexi manebunt » *(Caerem. Pars III, c. XIV, art. II, n. 186)* — Cl. Wapelhorst ait: « Thuriferarius et acolythi seu ceroferarii saltem duo, vel plures intorticia ferentes post illum ad altare procedunt; deinde retro post celebrantem et sacros ministros simulque cum illis genuflectunt » *(Compend. Sacr. Liturg. cap. XXI, art. I, n. 218, 11)*. — Caerem. Romano-Seraphicum ad usum Fratrum Capuccinorum a Sacra Rituum Congregatione revisum, et de licentia eiusdem S. Congregationis editum) docet: « Thuriferarius inter deferentes intorticia cum ipsis in plano presbyterii adgeniculabitur, ceteri ad infimum gradum » (Pars IV, cap. IV, n. 1199). — Cl. Favrin. in sua Praxi solemnium functionum episcoporum (Pars II, cap. I) describens ordinem a singulis ministris **genuflexis** ante altare retinendum, ita tabulam exponit:

Subdiaconus - Episcopus Presbyt. - Caeremoniarius
Expositor.
Acolythus - Caudatarius - Thuriferarius - Acolythus
Minister mitrae - Minister libri - Minister candelae Minister baculi.

P. Paschalis a Perusia in recenti suo Caer. Rom. Seraph. ad usum Ord. Fratr. Minorum, sic habet: « Ad altare praecedit thuriferarius, tum duo vel plures clerici etc. Cum illuc pervenerint, celebrans et sacri ministri caput detegunt, omnesque in plano genuflectunt. Deinde et in infimo gradu genuflexi parumper orant, quod etiam thuriferarius ceterique clerici retro post illos in genua provoluti peragunt » (Lib. III, Pars II, c. I, art. III, n. 656).

Hanc secundam sententiam *in maxima* amplexi sumus; et in libello « Normae theorico-practicae quoad expositionem et benedictionem ss. Sacramenti » pluries docuimus. Diximus *in maxima,* quia laudabilem censemus et praxim auctorum primae sententiae, non vero *absolute* aut *inconditionate.* Si thuriferarius enim cum suo thuribulo non stans, sed genuflexus se habet apud infimum gradum in cornu epistolae, ab initio usque ad finem functionum, praxis nobis satis

arridet. Si vero thuriferarius non permaneat genuflexus, neque thuribulum in functionis decursu apud se retineat, sed quoties eo opus est uti, toties ad sacristiam se recipiat, nobis satis non videtur laudabilis. Re enim vera, ista crebra deambulatio ab ecclesia in sacristiam, et vicissim, nonne erga Sacramentum reverentiae officit? nonne divagationem fidelibus gignit? nonne locum dat suspicandi quod clericus de officio spiritus dissipationem recipiet? Insuper decori caeremoniarum nec non reverentiae ss. Sacramenti videtur parum favere thuriferarius cum thuribulo stans dum aperitur tabernaculum, exponitur Sanctissimum, cantatur ℣. *Veneremur cernui*, quo tempore omnes ministri genuflexi se habent et capite profunde inclinati. Concludimus primam quaesiti partem dicendo: Thuriferarius, in functione de qua est sermo, vel se sistat genuflexus in medio presbyterii inter ceroferarios; vel apud adsistentem celebrantis in cornu epistolae se recipiat, et genuflexus thuribulum dum opus est agitando, vel in plano vel super gradum deponendo.

In pluribus ecclesiis provinciarum septentrionalium, centralium, meridionalium et insularium Italiae nostrae saepius data nobis occasio fuit, ut sacris functionibus ibidem interessemus. Thuriferarium genuflexum cum suo thuribulo observavimus. Solum in Urbe Roma, licet non ubique, eumdem, durante functione stantem vidimus. Quoniam autem praxi Romanae obsequium nostrum scrupulose semper exhibere studuimus, tamen in casu, attenta diversa consuetudine fere generali, opportunum ducimus hanc retinendam, donec legitimum Sacrum Tribunal aliter faciendum non praescribat.

Ad alteram quaesiti partem ita respondemus cum clar. De Herdt: « Thuribulum autem semper stans ministret (thuriferarius), sive expositum sit ss. Sacramentum sive non, et quicumque sit celebrans, nisi sit episcopus proprius » (*Part. II, n. 14 ad 3*). Hanc autem doctissimi viri sententiam in omnibus aliis liturgicis scriptoribus videre est. Et sapienter, genuflexio enim maximum servitutis atque reverentiae

signum est; hinc in sacra liturgia nonnisi Deo aliisque rebus supremo latriae cultu colendis praestatur. Ideoque et in civilibus in more receptum est, ut supremum tantum dominium exercentibus signum istud servitutis venerationisque exhibeatur in loco suae dominationis, et ab iis tantum qui eorum supremae iurisdictioni subiacent.

In casu, thuriferario coram Sanctissimo thuribulum obiicienti semper standum est, *quicumque sit celebrans*, idest etiamsi proprius sit episcopus, idque ob debitam ss. Sacramento reverentiam. Uno verbo, genuflexio, quae proprio episcopo a thuriferario praestanda esset, dum eidem thuribulum offert ad thus in illud mittendum, Sanctissimo exposito, eidem praestanda non est, ex causa reverentiae erga ss. Sacramentum (DD. 2027[8], 4198[19]). Ipso summo Pontifice thus in thuribulum immittente (expositio Sanctissimo) minister thuribuli stat.

Consultationes.

De Missa votiva Ss. Cordis Iesu feria VI quae prima est in mense, occurrente octava Domini.

E. Parisiis. — Missa votiva Ss.mi Cordis Iesu, in 1ª feria VI mensis interdicitur ubi incidat octava ex privilegiatis iuxta decretum S. R. C. n. 3712.

Quid per octavam intelligendum? quaecumque dies infra octavam, aut tantum ipsa octava dies?

Si 2um, applicatio decreti nullam incurrit difficultatem. Si vero 1um, difficultas haec oritur: Si de ipsa die infra octavam Missa esset recitanda, transeat (quia de festo Domini celebratur), sed si Missa de aliquo Sancto occurreret (verbi gratia in octava privilegiata Ascensionis) et dici infra octavam deberet, non videtur cur interdicenda esset Missa votiva Ss. Cordis Iesu, ut dicatur de Sancto, qui praestat diei infra octavam, et qui aliunde Missae votivae Ss. Cordis extra dictam octavam omnino cederet. Quid?

Resp. Iuvat ante omnia decretum super alligatum, die 28 iunii 1889, Urbis et Orbis, editum sub num. 3712, et a Leone Pp. XIII in forma brevis evulgatum, in sua integritate referre: « In iis ecclesiis et oratoriis, ubi feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur, Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat missa votiva de sacro Corde Iesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini, aut duplex 1ae classis, vel feria, vigilia, octava ex privilegiatis: de cetero servatis rubricis ». Ex contextu decreti procul dubio exclusio celebrationis missae votivae non tantum ad diem octavam, sed et ad dies singulos infra ipsam octavam extenditur. Octava Ascensionis, non secus ac octava Nativitas Domini, dicitur privilegiata, in sensu quo etsi ritus officii sit semiduplex et infra eorum octavas missae

sanctorum occurrentes celebrari possint, non tamen in ipsis omittitur commemoratio octavae, et excludunt absolute et missas de requie et votivas privatas, quas missas infra alias octavas dicere, ubi officium fit de festo semiduplici aut de die infra octavam, licitum est. Hisce praemissis, missa votiva ss. Cordis Iesu, de qua in casu, non ideo prohibetur, quia occurrit infra octavam Ascensionis Domini, quae privilegiata est, sed quia haec octava festum Domini merito vocatur, etiamsi de ipsa simplex commemoratio fiat.

Et sane, missa votiva ss. Cordis, de qua est sermo, haud privata, sed solemnis merito censenda est (et revera in ipsa dicitur *Gloria, Credo* et unica oratio) et ideo recurrendum est ad sensum decreti S. R. C. diei 17 maii 1912 in *Lauretana*. Ad dubium: « An infra octavas festorum, atque in ipsis festis B. M. V., etsi de eis sola commemoratio vel nulla commemoratio in officiis classicis fiat, praefatae missae iam concessae debeant esse votivae, vel potius festivae, de festis vel octavis, et quidem cum *Gloria* et *Credo?* » Respondit: « Negative ad primam partem et affirmative ad secundam, iuxta alias decreta ac decretum generale, n. 3922, *de Missis votivis,* 30 iunii 1896 ad V, nn, 1 et 2 ». Ad rem recte cl. Menghini ait: « In sensu huius decreti accipienda videtur exceptio posita in concessione missae votivae ss. Cordis Iesu, primis feriis sextis mensium: *dummodo non occurrat festum Domini;* quo in casu, non excluditur privilegium, sed diversimode est applicandum, ita ut, scilicet, occurrente v. gr. festo duplici II classis, quod ad solam commemorationem reducit festum Domini duplex maius, missa quae celebratur loco votivae de ss. Corde, dicatur de ipso festo non de festo dupl. II cl., et quidem more solemni, scilicet, cum unica oratione, ne imminuatur privilegium quod missae de ss. Corde in casu tributum est. Quod similiter intelligendum, etiam si festum vel octava de quibus fiat officium sit ipsius Domini. Ita in aliis similibus » (Decreta S. R. C., ab anno 1911 vulgata; Romae, Desclée). Ex dictis concludendum est: occurrente in prima feria sexta mensis aliqua die infra octavam Ascensionis Domini, *celebretur missa de infra octavam, more votivo solemni.* P. D. A.

BREVIORA RESPONSA

Pro archidioecesi Tourinensi. — Quaeritur:

I. Utrum orationes, quae in Rituali romano (Editione typica anni 1913) Tit. VI, cap. 4 (post Vesperas), dicendae assignantur pro defuncto Episcopo, Sacerdote, etc., dici debeant solummodo in Anniversario, an possint vel debeant etiam in die depositionis, septimo aut trigesimo?

Resp. Iuxta decretum S. R. C., n. 2417, VIII: « Una vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris vel in Anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo pro eo oratio *Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur ». Quod tamen dicitur de Missa, non item obligat pro Officio; in Officio enim Defunctorum non est de rigore regula de conformitate orationis cum oratione Missae, uti videre est in Rituali romano (edit. typ. tit. VI, cap. IV), in die depositionis defuncti, in qua ad libitum proponitur oratio *Absolve... ut defunctus,* et *Deus, cui proprium est* (Missae respondens). Unde concludendum est, tam in depositione et in Anniversario Sacerdotis, quam in tertio, septimo, trigesimo etc., ad libitum dici posse, in Officio alterutram orationem: *Deus, qui inter apostolicos,* vel *Praesta;* pro Episcopo: *Deus, qui inter apostolicos.* Ceterum, quod orationes pro Summo Pontifice, pro Episcopo, pro Sacerdote, etc. ponuntur in Rituali post aliam in Anniversario, hoc non debet accipi quasi titulus communis sit locutio *in Anniversario,* et ex eo dependeant, quasi differentiae eiusdem Anniversarii, orationes quae subsunt.

II. Vi decreti S. R. et U. Inquisitionis, diei 1 augusti 1907, in oratoriis religiosorum Institutorum, Sacras Species asservandi facultatem habentibus, licet nocte Nativitatis D. N. I. C. tres Missas vel unam tantum celebrare, cum facultate ministrandi sanctam communionem omnibus pie petentibus.

Quaeritur: 1° Licetne eodem uti indulto in ecclesiis Religiosorum, publicis vel etiam parochialibus? Et quatenus affirmative; 2° Licetne huic sacrae functioni fideles quoque admittere, quin tamen ecclesiam foribus ordinariis, quae clausae maneant, ingrediantur, sed potius foribus internis et, ut ita dicam, privatis, iisdemque fidelibus sanctam comunionem ministrare?

Resp. In praefato S. Congregationis S. Officii decreto, dicitur quod Summus Pontifex indulsit: « ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis, clausurae legi subiectis, aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, *publicum* aut *privatum* Oratorium habentibus, cum facultate sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari sanctaque communio *omnibus* pie petentibus ministrari queat ». Hoc decreto evulgato, haec dubia fuerunt proposita: « I. An indultum importet facultatem tres Missas, vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi, *etiam apertis oratoriorum ianuis?* II. An indultum *oratoriis* concessum extendi possit ad *ecclesias* Religiosorum, quae *publico* fidelis populi *usui* inserviunt? » Et eadem S. Congregatio rescripsit, Summum Pontificem, die 26 novembris 1908, respondisse: « Ad I. *Negative.* Ad II. *Negative,* salvo tamen Religiosorum privilegio, in media nocte Missam celebrandi ».

Hinc patet, 1° quod prohibitio, pro *ecclesiis* Religiosorum, datur *tantum*, si ecclesia *publico usui* inserviat: in dubio enim, studio posita est illa indicatio, ut comparatio institueretur inter *ecclesias* et *oratoria publica,* quae in iure aequiparantur *ecclesiis.* Cum tamen declaratum sit, oratoriorum publicorum ianuas debere esse clausas, ita etiam ecclesiarum, in casu, ut *publico usui non inserviant.* Difficultas, quae oriri potest ex facili fidelium ingressu per aliam viam, nequit attendi, quia idem esset de oratorio, quamquam clausa ianua, intellige principali et absque custodia; nunc autem pro

oratorio nulla est difficultas, ergo neque pro ecclesia, dummodo secretior ingressus custodiatur ut fiat delectus personarum. 2° Quod vero fideles admitti queant, clarissime patet ex verbis decreti : « S. communio *omnibus pie petentibus* ministrari queat ».

Porro, cum habeat decretum : « Salvo Religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi », eveniret, ut finita hac Missa, pro aliis duabus deberent fideles arceri, quanam cum confusione et periculo, non est qui non videat : satis erit tunc ianuas claudere. Rursus dicimus, si inconvenientia non timentur pro oratoriis publicis, neque pro ecclesiis sunt timenda ; nihil obstante magnitudine ecclesiae, quia saepe ecclesiae habentur angustiores oratoriis ; sed ut quid hae quaestiones, quas potius dicimus sophismata? De reliquo, si quis habeat probabiliores rationes pro contraria sententia, cupimus ut manifestentur ; insuper, quin dicamus, auctoritati semper obsequentissimi erimus, si secus sentiat.

Confirmatur haec sententia ex declaratione S. C. Consistorialis, 14 martii 1910, circa competentiam Congregationis pro concedenda facultate tres Missas celebrandi hac nocte, in qua habetur : «.... sacellis publicis et *ecclesiis*, quae ad hoc privilegio ingent » ; ergo extant ecclesiae, quae privilegio *non indigent*.

Pro « Einsiedeln ». — I. In decreto S. R. C. diei 28 februarii 1914, dicitur quod: « Ordines regulares proprium omnino habere debent Kalendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorundem Ordinum ». Quaenam sunt hae Sorores? Iuxta decretum 15 aprilis 1904, n. 4132, I, posset concludi agi etiam de Sororibus, quae Officium dicunt parvum B. M. V. Sed decretum 10 maii 1907 (apud *Ephemerides Liturgicae*, 1914, pag. 263) videtur eiusmodi opinioni contradicere; ait enim: « Sorores tertiariae ...tantummodo Officium parvum B. M. V. recitantes non tenentur sequi Kalendarium respectivi Ordinis ». Quaeritur ergo: *a)* Quinam est verus sensus decreti generalis 28 februarii 1914, et *b)* Agiturne ibi de Sororibus Tertiariis variorum Ordinum?

Resp. Circa decretum diei 10 maii 1907, quamquam dicendum est ipsum nullam vim habere iam usque ab evulgatione sexti voluminis decretorum authenticorum, a. 1911, ibi enim non invenitur, tamen non contradicit decreto 1904. Et ratio ob quam non fuerit insertum in dicta collectione, putamus fuisse, non quod non cohaereret decreto an. 1904, sed quia non semper dici potest, Sorores Tertiarias non teneri sequi Kalendarium respectivi Ordinis. Et re sane vera, contradictio non aderat, quia decretum 1904 habet: « Facultas adhibendi Kalendarium Romano-seraphicum... facta Monialibus... Tertii Ordinis S. Francisci... aliisque... quae sint Instituti vel connexionem aliquam seu coniunctionem in sui origine aut progressu cum Ordine Minorum habentis... competit iam non solum Tertiariis utriusque sexus, divinum quotidie recitantibus Officium, sed etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus, atque in horum ecclesiis et oratoriis ». Attamen non semper verum est Sorores huiusmodi *non teneri*, ita ut nimirum numquam facultas possit converti in obligationem, v. gr. ex longaeva consuetudine.

Tota igitur ratio dispositionum S. R. C. quaerenda est non in modo quo Sorores Officium recitant, sit nempe divinum, sit parvum, sed verius in relatione quam habent cum Ordine, cui quomodocumque adhaerent, attamen cum vera dependentia a Superioribus Ordinis primarii. Et hac in re potest videri aliqua diversitas inter antiquam concessionem, factam per bullam Pii VI, diei 6 septembris 1785, et novissimum decretum, diei 28 februarii 1914. Sensus enimvero huius est, quod agatur de Sororibus *eorundem Ordinum*. Quomodo autem dici possent eiusdem Ordinis, quae tantum institutae fuerint, vel connexionem *aliquam* in origine *aut* progressu habuerint? Sed in decreto anni 1904 hoc invenitur tantum in eius expositione historica, dum, in eo quod est obiectum dubii et responsionis, sermo est tantummodo de Tertiariis, ergo de iis quae sunt Ordini subiectae. Si igitur agatur de Sororibus Ordini subiectis, etiamsi non sint Tertiariae, sive agatur de Tertiariis etiam

non subiectis, ab iis Kalendarium proprium Ordinis adhibendum est.

Neque obstat dispositio paragraphi III decreti 28 februarii pluries citati, quia ibi dicitur generatim a Congregationibus et Institutis in paragrapho praecedenti non comprehensis, scilicet, non eiusdem Ordinis stricte regularis, neque sub regimine unius praesidis generalis, esse adhibendum Kalendarium dioecesanum; sed non excluditur quod exceptio sit facienda pro iis qui ex privilegio seu facultate alio Kalendario uti possunt. Et neque cum littera istius paragraphi adest contradictio, quia in locutione: « non tamen comprehenduntur paragrapho praecedenti » excipiendi sunt qui, ut diximus, peculiari gaudent indulto; quod ceterum subintelligi debet etiam pro Congregationibus in paragrapho II enumeratis, quia inter eas possunt haberi quae privilegio simili gaudeant, quod profecto non obliteratur ex novissimo decreto 1914.

II. Sacerdos celebrans in aliena ecclesia, in qua fit de feria Quadragesimae, absque ulla commemoratione alicuius Sancti, potestne Missam celebrare de Sancto simplici, cuius ipse commemorationem fecit in proprio Officio?

Resp. Quum agatur de Sancto in Kalendario ecclesiae illius non descripto, negative; quia, si alias probavimus in hisce Ephemeridibus, posse celebrari Missam de Simplici in feriis Quadragesimae, quia talis Missa esset votivo-festiva, non potest aeque probari quod sit in casu eiusdem generis Missa de Sancto non inserto in Kalendario loci. Quomodo enim diceretur agi festum de Sancto ob solam rationem quod describitur in Martyrologio? Neque dici potest, satis esse quod sit dies propria illius Sancti, qua ex causa, die ritus permittentis votivas Missas, possum celebrare de Sancto Martyrologii, etiam non descripto in Kalendario, more festivo, scilicet cum *Gloria*. Casus enim est diversus: in hoc postremo est ius celebrandi Missam votivam, quod mihi tribuit facultatem illam celebrandi de Sancto quocumque, dummodo sit in Martyrologio; in alio, de quo inquirimur, deest hoc ius, et tunc tantum possum Missam

votivo-festivam celebrare de Sancto, etiam simplici, cum festum indicatur in Kalendario. Nemo umquam dixit in tali vel tali ecclesia celebrari festum alicuius Sancti, eo quod de illo mentio fit in Martyrologio diei.

Pro dioecesi Placentina. — Die septima decembris fit Officium et dicitur Missa de S. Victore Episcopo Placentino et Conf. dupl. mai. cum com. S. Ambrosii E. C. D., dupl. in perpetuum simplificati.

Quaeritur: In Missa de S. Victore, qui non habet ius ad Symbolum, dicendum est ne Symbolum ratione S.E.C.D. commemorati: qui in sua Missa habet ius ad Symbolum?

Resp. Affirmative, iuxta decretum S. R. C. diei 21 iunii 1912, ad IV.

Pro Willington in Anglia. — Aliqua die, occurrit festum proprium dioecesis C. P.; eadem die, fit in universali parte Breviarii de C. P. D. In Laudibus vero antiphona ad *Benedictus* sumenda est de communi: ℣. *Iustum*, antiphona *Euge, serve bone et fidelis;* pro comm. C. P. D. autem, adhibeo ℣. *Amavit,* ex I Vesp., sed pro antiphona dubito utrum adhiberi debeat antiphona *Sacerdos,* ex I Vesp., an *O Doctor.*

Resp. Standum regulae a rubrica praescriptae (tit. IX, *De Commem.*, n. 8), ut antiphona pro commemoratione sumatur de I Vesperis eiusdem Communis, scilicet de Doctoribus, in casu; quia assumptio antiphonae de alio Communi scilicet de C. P., esset arbitraria; non desunt autem exempla eiusdem antiphonae in utrisque Vesperis et Laudibus (v. gr. die 21 decembris in festo S. Thomae Ap.).

Pro Gallia. — I. Censenda ne est dispensata abstinentia anno currente, pro festo Conceptionis Immaculatae, occurrente feria VI^a; et pro festo SS. App. Petri et Pauli, occurrente item feria VI^a, anno 1917; et tandem etiam aliquando pro festo Circumcisionis Domini, quae tria in Galliis legitimam feriationis abolitionem subierunt?

Resp. Quaenam sit extensio tribuenda dispensationi ab abstinentia et ieiunio concessae a S. P. Pio Papa X, in Motu Proprio dato Romae die 11 iulii 1911, pro festis in paragrapho primo eiusdem Motu Proprio enumeratis, scilicet:

festa Nativitatis, Circumcisionis, et Epiphaniae et Domini, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae V., Ss. App. Petri et Pauli, ac tandem Omnium Sanctorum, non satis constare videtur. Alii tenent, dispensationem ab abstinentia et ieiunio esse necessario connexam feriationi dictorum festorum, ita ut ubi cessat, ex consuetudine aut indulto, obligatio feriationis, dispensationis simul cesset ius et usus. Alii vero tenent contrarium, et censent, dispensationem etiam valere in festis, quibus ex indulto aut consuetudine feriatio adimitur: 1° ex principio: « odia sunt restringenda »; 2° quia, cum Pius Papa X, in numero IV expressam mentionem agat de abolitione legitima feriationis in uno aut altero dictorum festorum, tamen in numero immediate sequenti, V scil., dispensationem largissime concedit omnibus et unicuique festo, cum una tantum limitatione pro Patronorum festis.

Prior interpretatio magis obvia est et tutior apparet; altera non sustinetur, ex eo quod principium allatum non quadrat, quia *lex* possidet, usque dum non constet de *privilegio*, quod ita interpretandum est, ut limites non excedantur quibus reipsa continetur. Nulla porro intercedit relatio inter nn. IV et V, quia quartus non subit influxum qninti, sed ad praecedentes tantum refertur: « nihil innovetur », scilicet: non est in feriatione constituendum; de abstinentia ac ieiunio *nihil* adhuc dictum est. Quod vero dispensatio largissime concedatur, verum est, sed pro festis tantum quae servant suam feriationem. Exceptio pro Patronis tandem, potius quam iuvat, nocet quidem thesi contradicentium; quia, si festum Patroni, quamvis non feriatum, gaudet dispensatione, ratione solemnitatis et concursus, hoc significat, non gaudere cetera festa abolita, etiamsi celebrentur solemniter et cum concursu, quia exceptio firmat regulam. Ceterum, si non favet privilegium *in se* spectatum, neque favet *ratio* et *finis* ipsius privilegii, cuius rei tota vis invenitur in his verbis: « aliquod ex festis, *quae servata volumus* »: sunt ergo extra causam festa quae Pontifex certissime noluit restituere, et idcirco nullimode sunt obiectum privilegii.

II. Numquid principium n. 4, tit. 1, rubricarum ad normam Bullae « Divino afflatu », ubi dicitur, « lectiones reponendas vel anticipandas cuiusvis Dominicae semper recitari debere *cum suis responsoriis* », omnino sit absolutum et quocumque casu valiturum, etiam si, v. gr., responsoria dictae Dominicae non pro prima vice, sed iam antea fuere recitata, hebdomada praecedenti?

Resp. Procedamus per exempla:

1.) Dominica IV post Pascha lecta sunt, supponitur, responsoria *Si oblitus; Viderunt te*; *Narrabo nomen,* cum suis lectionibus. Dominica sequenti, festo duplici II cl. occurrente, suppono lectiones I Nocturni *Incipit Epist. 1ª B. Petri Ap.* esse reponendas in feria sequenti. Numquid et supra dicta responsoria, iam bene recitata Dominica praecedenti cum suis lectionibus, repetenda erunt cum lectionibus Dominicae V repositae?

2.) Ita de responsoriis *Praeparate; Deus omnium; Dominus, qui eripuit,*quando bene recitata sunt cum suis lectionibus in Dominica III post Pentecosten, numquid repetenda sunt (potius quam responsoria feriae occurrentis), si quando reponenda sunt initia librorum II,[1] III,[1] et IV[1] Regum, posita in Dominica V, VII et IX post Pentecosten?

3.) Item quaeritur pro quinque Dominicis augusti, in quibus, cum iisdem responsoriis, de quatuor libris legitur *Incipit* in Dominicis I, II, III et IV?

4.) Item, pro Dominicis octobris?

5.) Ita tandem, pro Dominicis novembris, in quibus incipit quaque hebdomada lectio novi Prophetae, cum iisdem semper responsoriis?

In his omnibus casibus, lex de repetendis lectionibus Dominicae cum suis responsoriis, *semper* valet, quia id reipsa significatur per locutionem peremptoriam: *semper recitari debere.* Poterat quidem legislator id praevidere, et certe praevidit, non enim agitur de quodam casu, raro eveniente, et tamen, non solum usus est locutione generali, sed neque exceptionem ullam posuit. Ergo...

III. Ordo cuiusdam dioeceseos notat recitandam nonam lectionem B. Gregorii X, die 10 ianuarii, in Officio de die IV infra octavam privilegiatam secundi ordinis, sc. Epiphaniae. Nonne error est? Non admittitur 9ª lectio Sanctorum infra octavas privilegiatas secundi ordinis.

Resp. Pro octava SS.mi Corporis Christi, habetur in Breviario rubrica, proprio loco, excludens nonam lectionem alicuius Sancti; nulla vero pro octava Epiphaniae; unde concludendum, non adesse legem generalem excludentem nonam lectionem simplicis vel simplificati per omnes octavas secundi ordinis. Exemplum carentiae nonae lectionis de sancto Hygino P. M. die 11 ianuarii est merum argumentum negativum, quod quaestionem non resolvit favore sententiae extendentis ad omnes octavas secundi ordinis privilegium octavae SS. Corporis Christi, quia id evenire potuit, vel ex defectu certae historiae Sancti Pontificis, vel quia cogitatum est de sola commemoratione, per antiphonam, ℣ et orationem. Quod mirum esse nequit; etiam v. gr. de S. Valentino, simplici, de S. Georgio, semiduplici, nulla habetur lectio historica. Usquedum ergo non habeatur nova rubrica generalis pro omnibus octavis secundi ordinis, vel saltem pro octava Epiphaniae, potest et debet enunciari nona lectio simplicis lectionem habentis.

Ceterum putamus quaestionem, de qua in casu, in praxi esse otiosam. Etenim notandum est quod Kalendarium et Proprium dioecesis, a S. R. C., uti antiqua lex erat, et nova in decretis diei 7 iunii 1914, *Decretum seu Declaratio;* 24 iunii 1914, sub eodem titulo, et 24 item iunii 1914, *Dubium,* revisa, auctoritative iam debuerunt quaestionem solvere; ac proinde, si Proprium approbatum fuit cum 9 lectione B. Gregorii, haec dici debet, sin vero, nequaquam.

Pro dioecesi Mutinensi. — I. Redeunte processione Rogationum ad ecclesiam, potestne Missa celebrari ad altare minus, ad quod conclusio precum facta est cum cantu antiphonae Sancti Titularis altaris eiusdem? Et quid si altare

illud adhaereret quidem ecclesiae, sed sacellum distinctum constitueret, clathris et ianua habitualiter clausis?

Resp. Non esset interloquendum circa electionem altaris ecclesiae pro Missa celebranda, quia etsi regulariter functiones solemnes celebrandae sint ad altare maius, et quidem ex quo, in casu, supplicatio initium sumpsit, potest ex rationabili causa aliter fieri; neque prohiberi potest antiphonae cantus ex consuetudine. Etiam in Urbe consueverunt antiphonae decantari, etiam infra Litanias, v. gr. de S. Michaele Archangelo ante Mausoleum Hadriani, coram statua aenea ipsius S. Archangeli, in festo S. Marci; ac post orationes de SS. App. Petro et Paulo ante altare Confessionis in eorum Basilica, ad quam terminatur processio, ecdem die S. Marci. Similiter de SS. Salvatore ante altare SS. Sacramenti, et de SS. Principibus Apostolorum ante pinnaculum in quo capita eorundem asservantur, in Archibasilica Lateranensi, secunda die Rogationum.

Sed neque obstare dicendum est, quod functio finem habeat in separato oratorio. Etiam Romae processiones huiusmodi in una incipiunt ecclesia et terminantur in alia. Id tamen non fiat secundum arbitrium, sed secundum consuetudinem, si adsit; secus stetur generali regulae, de reditu ad eandem ecclesiam, in qua initium habuit processio.

II. Uno ex diebus Rogationum, in paroecia X, solet processio dirigi ad publicum oratorium, a parochiali ecclesia unum chilometrum distans. Consuetudo est, ea occasione, integre canendi Litanias, versus et orationes, durante processionali itinere. Id vero ne fiat iactura temporis, ac ne Litaniae interrumpantur, ut Rosarium et Litaniae recitentur. An recte?

Resp. De processione terminanda in alia ecclelsia, diximus in responsione ad I. De cantu versuum et orationum in itinere, non possumus consuetudinem probare. Est enimvero haec irrationalis. Sane cuiuslibet supplicationis conclusio debet fieri in ipso termino, non enim concipitur sup-

plicatio materialiter perdurans, scilicet per incessum, et formaliter conclusa, nempe per orationes. Ceterum, quaenam necessitas, imo vel convenientia pro recitatione Rosarii et Litaniarum B. M. V. infra supplicationem, legibus ecclesiae dispositam ? Nil dicimus autem de male asserta iactura temporis. Standum igitur Rituali, ex quo: « Si processio sit longior, vel repetantur Litaniae, vel Litaniis absolutis usque ad preces exclusive, dicantur aliqui psalmi ex poenitentialibus seu gradualibus ». Ad summum, cum Rituale prosequatur: « Hymni vero vel cantica laetitiae in his (Litanis maioribus) vel in Rogationibus aut aliis poenitentiae causa institutis processionibus, non dicantur », et hac locutione videatur admittere additionem aliarum precum, quae poenitentiali supplicationi non adversentur, posset servari consuetudo Litanias Lauretanas adiiciendi, loco a Rituali indicato, eo quod hae Litaniae possunt quasi considerari evolutio, et amplificatio invocationum quae initio Litaniarum maiorum habentur: « Sancta Maria - Sancta Dei Genitrix - Sancta Virgo virginum ». Attamen semper caveatur, ne novitati studeatur, et solummodo indulgeatur, si qua extaret, consuetudini.

III. Defectu cantorum, possuntne legi, et non cantari, Missae Rogationum et vigiliae Pentecostes, ad benedictionem fontis, omissis precibus *Ave, Maria*, etc., quae dici debent in fine Missarum quae legantur ?

Resp. Necessitas profecto excusat ; sed si haec habitualis sit, deferatur res ad legitimam Auctoritatem, ne quid fiat minus consonum legibus Ecclesiae, etiam data necessitate, nisi vidente et probante Superiore. Quod omissionem attinet precum, alias Missis lectis addendarum, favet decretum S. R. C., diei 20 iunii 1913, scilicet, preces in casu possunt omitti.

IV. Licetne in Vigilia Pentecostes, ad benedictionem fontis, cereum paschalem deferre absque quinque granis incensi ?

Resp. Negative, deesset enim aliqua pars, quae si fuit

necessaria ad constituendum cereum in sua formali ratione cerei benedicti symbolo paschali, est etiam necessaria ad illum prouti talem servandum.

V. Die 3 maii benedicuntur in parochiali ecclesia cruces ex arundine confectae, quae in agris apponi solent. *a)* Quaenam benedictionis formula adhibenda? Num novae Crucis, ex Rituali romano, mutato singulari numero in pluralem? *b)* Possuntne benedici cum planeta, Missa finita, vel pluviali rubri coloris, subsequente benedictione cum reliquia ex ligno S. Crucis?

Resp. a) Adhiberi potest formula praedicta; sed si agatur de publica benedictione, Sacerdos praeditus esse debet speciali facultate. *b)* Affirmative: regulariter tamen, pro iis quae immediate Missam subsequuntur, quin planeta dimittatur, Ordinarii licentia est requirenda.

VI. Potestne in exequiis puerorum adhiberi pluviale?

Resp. Quamvis Rituale illud non indicet, prout neque thurificationem, quae sunt indicia solemnitatis, non esset tamen illius usus *contra*, sed potius *praeter* rubricas, et similiter thurificatio, quae videretur congrua, si adhiberetur vestis solemnitatis; tunc autem fieret et aspersio et thurificatio feretrum circumeundo.

VII. Sacra olea in baptisterio coagulantur, et ad obstandum inconvenienti plurimarum formicarum, quae illa aggrediuntur, ibi moriturae, parochus olea ipsa tollit et proiicit in sacrarium. Quid ad haec?

Resp. Extremum huiusmodi remedium perditionis non probamus. Potius formicarum aditus occludatur opportunis mediis, quae industriae et studio parochi et artificum certe non deerunt.

VIII. Quodam die mensis iunii cantantur Litaniae Sanctorum pro messium conservatione; possuntne tunc, vel etiam debent, in omnibus assumi ex Rituali romano « Preces ad repellendam tempestatem »?

Resp Nostra opinio est, non satis aptari preces antedictas, quia, ex contextu illarum, apparet, eas esse usurpandas

dum urget tempestas. Quid significaret, nimirum, illud tertiae orationis: « post noxios ignes nubium et vim procellarum »? Nonne, potius quam petitur impedimentum ne veniat tempestas, videtur implorari remotio iam saevientis? Similiter, in quarta oratione: « hoc signo Sanctae Crucis omnis discedat saevitia tempestatum », de qua tempestate dicitur, de ventura? At quomodo discedere potest, qui nondum venit? Praestat igitur ut post Litanias recitetur « Benedictio communis super fruges et vineas (Rit. rom., tit. VIII, cap. 10) ».

IX. Cum Sacerdos publice recitat Rosarium vel alias preces, vel exercitium peragit s. Viae Crucis, debetne stolam induere, maxime si dicta exercitia sequatur benedictio cum SS. Sacramento in pyxide clauso? Aut induenda est tantum ante expositionem? Et quatenus affirmative ad primum, cuius coloris esse debet stola pro Via Crucis, rubra an violacea, et nigra si fiat pro defunctis?

Resp. Cum non agatur, in casibus expositis, de actibus proprie liturgicis, ad libitum stola indui potest. Si vero adhibeatur, color congruere debet circumstantiae saltem praecipue determinantis actionem. Pium exercitium Viae Crucis aequiparari potest functioni votivae Passionis D. N. I. C., ideoque color adhiberi poterit violaceus ut in paramentis Missae votivae de Passione. Feria sexta maioris hebdomadae erit ad libitum etiam nigra, quia, in benedictione cum ligno s. Crucis, S. R. C. n. 2769, X, 2, edixit, servandam esse consuetudinem, quoad colorem paramentorum. Praeter diem sanctum Parasceves, non putamus conveniens nigro colore uti ad Viam Crucis peragendam, neque die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quia exercitium est principale, fructus autem applicatio accessorium; secus etiam alia exercitia, si admitteretur principium, quod color sequatur applicationem indulgentiae vel fructus, etiam Rosarium aliaeque preces, Dominum, B. Virginem et Sanctos respicientes haberi possent cum stola nigra; quod nemo certe probaret.

X. Quodnam erit festum titulare pro ecclesiis Circumcisioni Domini et Depositioni a Cruce dicatis?

Resp. Pro Circumcisione habentur exempla; v. gr. in ecclesia Ss.mi Nominis Iesu de Urbe, Societatis Iesu, et infra octavam fiat Officium, quod iam approbatum invenitur; pro Depositione, casus singularis est, et cum non agatur de mysterio in sensu proprio, dubitamus an possit sumi pro titulo ecclesiae. Si tamen id factum reipsa est, cum Crucis et Passionis D. N. titulus admittatur, poterit sumi Officium de Passione, vel forte de S. Sindone; verum, quia etiam haec Officia non habentur in corpore Breviarii, oporteret ad S. R. C. recurrere, quae quid faciendum decerneret.

XI. Si Officium fiat pro defunctis v. gr. magni terraemotus, potestne Missa respondens celebrari, ut in die obitus seu depositionis, cum oratione ibi notata, variando formulam in numerum plurium: «... pro animabus famulorum famularumque tuarum, quas hodie, etc. », tamquam prima vice post acceptum nuntium?

Resp. Potest, proculdubio. Quaestionem de *prima vice* post obitum, vel eius acceptum nuntium quaenam videlicet haec dies sit, omittimus, de qua fusius agetur in his *Ephemeridibus,* quando agetur de casu proposito in primo conventu Academiae Liturgicae romanae huius anni, Lectores intentos volumus ad verba decreti generalis S. R. C., diei 2 decembris 1891, n. 3755, III: « Denique eadem Missa (exequialis pro die obitus) celebrari poterit *pro prima tantum vice post obitum etc*..... quo etiam in casu, Missa dicenda erit *ut in die obitus* ». Cum autem liberum semper sit assumere epistolam et evangelium Missarum pro defunctis de una pro alia, restat ut differentia habeatur tantum in orationibus; unde, cum dicitur adhibenda Missa ut in die obitus, idem est ac dicere, posse in casu proposito assumi orationem « Deus, cui proprium est... pro animabus... quas hodie etc. » Posset alicui dubitationem ingerere verbum illud *hodie,* sed cum S. C., decretum praeparans, prae oculis certe habuerit hanc

orationem, et tamen nihil mutandum in executione praeceperit, nihil videtur mutandum, interpretanda enim est locutio, de hoc *qui recolitur* die, quod semper in exequiis fit, cum numquam vel raro accidat, exequias fieri eodem die quo quis mortuus est. Si vero quis pressius litterae adhaerere vellet, putamus impune posse vocem illam adimere.

XII. Quaenam Missa eligenda est in Officio quod fiat in suffragium militum praelio defunctorum? Quot orationes in ea erunt dicendae? Num unica, et quidem quae n. 5 habetur, in plurali?

Resp. De formulario Missae vide supra. Circa orationem videndum utrum Officium fiat solemne, quod scilicet duplici respondeat, necne; si enim esset solemne, etiam in Missa retinebitur ritus solemnis, videlicet duplex, ac proinde cum unica oratione. Haec vero erit, vel ut in praecedenti solutione dictum est, vel ut nn. 11 et 12 Missalis, demptis verbis « famularumque », et mutato « tuarum ». Si autem habeatur sub ritu semiduplici, stetur regulae Missae quotidianae, nempe: tres dicantur orationes, quarum prima pro iis quibus Sacrificium applicatur; secunda ad libitum; tertia pro omnibus fidelibus defunctis: « Fidelium Deus etc. ».

XIII. Potestne linteolum deponi, non super capite, sed utcumque supra corpus infantis?

Resp. Servandum est Rituale romanum, dicens; « ...et imponit capiti eius linteolum candidum, loco vestis albae ».

XIV. Quum expositum est SS. Sacramentum, potestne dici *Dominus vobiscum*, v. gr. in precibus post *Te Deum?*

Resp. Affirmative, iuxta regulam quae in Instructione Clementina pro oratione quadraginta horarum habetur: nempe, dicitur *Dominus vobiscum* etiam quando SS. Sacramentum manet expositum, dummodo non immediate post orationem, quae illam salutationem sequitur, impertienda sit benedictio cum eodem SS. Sacramento, quo in casu servanda sunt decreta S. R. C. n. 1265, VII, et 1548, quibus correcta sunt antiqua Ritualia.

XV. Parochus, adultum baptizans, quin Rituale prius

consulat, plures committit errores: ipse loco patrini signat in fronte catechumenum; non indicat illi ut genuflectat ad *Pater noster;* omittit verba: « Ora, electe, flecte genua, etc. » et quidem bis. Teneturne parochus illas formulas repetere, adultum et patrinum denuo ad templum arcessens?

Resp. Principium generale est, parvas res parvi esse faciendas, et ideo parvas omissiones, parvas in se et in sua significatione, posse derelinqui; multo magis quando, ut in casu, res principalis terminata est, et supplementum non amplius quid moraliter unum efficeret. Si vero ageretur de re gravioris momenti, tunc sine dubio esset supplenda. Ceterum nobis videtur fere impossibile quod reipsa parochus, etiamsi non legerit Rituale antequam processerit ad Baptismum conferendum, non viderit verba citata. Forsan Rev. Inquirens hypothetice locutus est; at etiam hypotheses debent esse verisimles.

XVI. Patrinus Baptismatis, infantem supra fontem debetne pronum tenere, an supinum, dum aqua infunditur?

Resp. Communis praxis et naturalis sensus volunt ut infans pronus teneatur. Est enim obvius et naturalis actus ut Crux signetur versus occipitium incipiendo, lineam usque ad frontem producendo, et linea transversa producatur a dextera ad sinistram obiecti, in casu, infantis; alio modo inverteretur consuetus ordo.

M.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I.
DECRETUM

De lampade coram Sanctissimo Sacramento.

Instantibus pluribus Ordinariis locorum, in quibus ad nutriendam lampadem coram SS.mo Sacramento ardentem, ob peculiares circumstantias, sive ordinarias sive extraordinarias, oleum olivarum non habetur vel ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate, comparari potest, S. Rituum Congregatio, inhaerens decreto n. 3121, *Plurium Dioecesium*, d. d. 14 iunii 1864, aliisque subsequentibus declarationibus etiam recentioribus, rescribendum censuit: « Inspectis circumstantiis enunciatis iisque perdurantibus, remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram Sanctissimo Sacramento, nutriatur, in defectu olei olivarum, aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus, aut cera apum pura vel mixta, et ultimo loco etiam luce electrica; si Sanctissimo placuerit ».

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sa-

crae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, quoad lampadem accensam ad SS.mum Sacramentum debite honorandum praescriptam, in casibus et modis superius expositis, rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 februarii 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf. *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II.

De sacerdotum et sacrorum ministrorum numero in benedictione et consecratione sanctorum oleorum.

Quum ob praesens immane diuturnumque bellum sacerdotes et sacri ministri, qui ad benedictionem et consecrationem sanctorum oleorum peragendam iuxta Pontificale Romanum requiruntur, utpote militiae addicti et obstricti ita deficiant, ut pauci tantum sacrae caeremoniae interesse possint, nonnulli sacrorum antistites SS.mum Dominum nostrum Benedictum Papam XV suppliciter exorarunt, ut in hisce circumstantiis a praescripto sacerdotum et sacrorum ministrorum numero, in casu et ad effectum enunciatum, dispensare dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatas peramanter excipiens, indulgere dignatus est, ut R.mi Archiepiscopi et Episcopi intra fines nationum belligerantium, tum hoc anno, tum durante

clericorum defectu proveniente ex hoc bello, consecrationem sanctorum oleorum conficere valeant eo presbyterorum et sacrorum ministrorum numero, qui pro loci rerumque adiunctis reperiri poterit; dummodo tamen minor non sit ternario numero ex quolibet gradu, cum facultate deficientibus subdiaconis substituendi acolythos. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 februarii 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf. *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

III.

DUBIA

A Sacra Rituum Congregatione expostulata fuit sequentium dubiorum solutio; nimirum:

In decreto S. R. C. diei 28 octobris 1913 (tit. I, n. 2) legitur: « Ubi solemnitas externa festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, *in ipsa Dominica* celebratur, de solemnitate festi duplicis I classis *permittuntur* Missae omnes;..... de solemnitate vero festi duplicis II classis *permittitur* tantum unica Missa solemnis vel lecta »; quaeritur:

I. An solemnitas externa cum enunciato privilegio recolenda in Dominica cui prius affixum erat festum, intelligi possit celebranda tam in praefata Dominica quam in altera Dominica diversa festum insequente?

II. An in Ecclesiis ubi praefata solemnitas ex-

terna agitur, Missae a memorato decreto concessae de ipsa solemnitate celebrari tantum possint, vel etiam debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I et II *affirmative* ad primam partem, et *negative* ad secundam, seu standum terminis Indulti. Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 12 februarii 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf. *S. R. C. Pro-Praef.*
L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Die 1 decembris in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis habitus est conventus academicus, in quo Rev. D. Aegidius Lari *Congregationis Concilii Officialis, quaestionem enodavit:*

De onere recitandi Officium divinum pro militibus ordinatis in Sacris.

Post Censorum animadversiones R. D. Alphonsus *can.* Carinci *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Liberatus, iuvenis Sacerdos ad militiam vocatus, angitur scrupulis quia nescit an semper rationes sufficientes habeat pro omittenda recitatione divini Officii in totum, vel ex parte.

Scit quidem quod Episcopus Castrensis edixit Sacerdotes milites extra casum necessitatis teneri semper ad recitationem Officii divini, quia in ordinaria vitae militaris ratione una hora numquam desit pro eiusmodi recitatione; nihilominus commutationem exquirere debere, qui laboribus frequenter gravatum se sentit. Dubitans tamen an revera possit vel omittere recitationem Officii, vel opus commutatum explere, Liberatus quaerit:

1. *Quando tam in graeca quam in latina ecclesia originem habuit onus recitandi, sive publice, sive privatim, divinum Officium?*

2. *Quales causae excusantes a recitatione quotidiana Offici divini, et quis dispensare possit ab huiusmodi recitatione?*

3. *Quid dicendum de Liberato, et quomodo se gerere debeat in casu.*

Solutio.

Ad I. Divini Officii originem, ad Apostolorum aetatem esse referendam docet card. Baronius qui (ann. 34) ait: « Quod spectat ad antiquum certis horis orandi ritum, ab Apostolis in Ecclesiam deductum. Apostoli enim ab Hebraeis accepere horas orandi, et ora tertia orantes erant in Pentecoste (Act. 2); hora sexta Petrus orabat (ib., c. 10), ad horam nonam ascenderunt in Templum Petrus et Ioannes (ib., c. 3). Media nocte orabant Paulus et Silas (ib., 16); quare easdem horas praescripsere fidelibus ». Hinc S. Augustinus (*Ep.* 1119, c. 18) ait: « De psalmis et hymnis canendis, ipsius Domini et Apostolorum habemus documenta et praecepta ».

Si autem Officium consideremus sub ratione laudis divinae, originem longe augustiorem habere fatendum est. In aula enim caelesti iugis laus Deo omnipotenti extollitur in ore Angelorum, iuxta illud: « Seraphim stabant...: et dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius » (*Is.* VI, 3): quod passim in visionibus prophetarum, sicut et in Apocalypsi b. Ioannis Apostoli invenimus confirmatum. Ita Ecclesia Christi a canticis sanctorum civium, exemplum sumpsit divinarum laudum, quae nobis in terris agendae sunt, sicut eximie se exprimit in praeclara imagine hymni, quem canimus in festo Dedicationis.

Sed illa sedes caelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unicum
Iugi canore praedicat:
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli.

Christus Dominus, Deus et homo, lapis ille angularis est, qui Ecclesiae triumphanti iungit militantem, ideoque laudes Deo optimo maximo sublatae, nihil aliud sunt, quam aliqua imitatio Caelitum laudum, quibus ex communione Sanctorum iungimur exultantes.

Porro Officium divinum, iuxta Bellarminum (*De bonis operibus,* l. 1, c. 10) definitur: « Officium est certa ratio laudandi precandique Deum, mente simul ac voce, auctoritate praesulum Ecclesiae instituta ». Congruit etiam cum Angelici doctoris documento (2, 2, quaest. 83, art. 12) ubi ait: « Respondeo dicendum, quod duplex est oratio; communis et singularis. Communis quidem oratio est, quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur, et ideo oportet quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur; quod non posset fieri, nisi esset vocalis; et ideo rationabiliter instituta est, ut ministri Ecclesiae huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire ».

Hoc autem vocabulum Officii divini, quo hodie communiter utimur, etiam antiquitus invenimus fuisse commune; ait D. Hieronymus in vita Hilarionis, « psallamus, reddamus Domino Officium, et sic ad vitam properabitis ». Et Concilium Aurelianense (an. 570), praecipit: « ad celebranda divina Officia ordinem, quem Metropolitani tenent, provinciales observare debebunt ».

Aliis vero nominibus maiores hanc precandi rationem vocare consueverunt. Psalterium nuncupatum est, quia maior pars ex psalmorum recitatione constabat. Cursus quoque dicitur in regula 47 S. Columbani († 598) et apud Gregorium Turonensem (l. 1, *De gloria Mart.*), propter solis cursum, qui Officii divini dirigit horas.

Canon etiam vocabatur, ideoque Rufinus (in *Vitis patrum,* l. 3, c. 5) scribit, quod hisce verbis conquerebantur monachi cum iis, qui eos in solitudine invisebant: « Non possumus propter vos omnem Canonem psallere, ideoque repausate modicum, quia de itinere fatigati estis ». Ex hoc

canonis nomine manavit vox illa *Horarum canonicarum*, per quam adhuc significatur Officium divinum.

Bäumer (*Hist. du Bréviaire*, p. 2), in veteribus scriptoribus sacris Officium divinum nomine *Missae, synaxis, sacrificii, agendae, collectae, psalmodiae* et *Pensi servitutis* vocatum se invenisse tradit; attamen aliud nomen suavissimam redolens pietatem ei tribuitur in regula S. Benedicti; in qua passim vocatur *Opus Dei;* et cap. 43 solemniter decernitur: *Nihil operi Dei praeponatur.*

Oleum et operam perderet, qui apertum praeceptum clericis impositum, recitandi divinum Officium, in antiquis canonibus inquireret. Habetur quidem in iure (dist. 91, cap. *Clericus*) canon 49 concilii IV Carthaginensis, anni 398: «Clericus qui absque corpusculi sui inaequalitate vigiliis deest, stipendiis privatus excommunicetur»; quo loco doctores subintelligi volunt Officii praeceptum (Cf. Billuart, *De Relig.*, art. 8, § 2, concl. 5). Item in iure (dist. 91, cap. *Eleutherius*, et cap. *Presbyter.*) citantur canon concilii Agathensis, anni 506, et epistola Pelagii II Papae (579–590), in quibus praecipitur clericis *Vigiliis vacare*, et *pensum servitutis canere*. Praeterea item citari potest canon 7 concilii Tarraconensis II, anni 517, in quo legimus: «De clero id placuit definire... ut omnis clerus diebus omnibus vesperas et matutinas celebret»; at non aperte in his canonibus, sicut et in aliis plurimis, saeculo XIII anterioribus, comperitur, an praeceptum illud recitationem in communi tantum, vel etiam privatam et singularem spectet.

Luculentius, ad rem nostram, sancivit Lateranense concilium anni 1216 (c. 9 *Dolentes*, t. *De Celebr. Miss.*), ubi expresse clericis praecipit: «in virtute sanctae obedientiae ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote»; sed nec in hoc de privata recitatione apertam mentionem habemus.

Porro concludendum est, concilia et constitutiones monasticas, in quibus divinum Officium a clericis et monachis

recitandum esse praescribitur, non verum et explicitum praeceptum continere, sed antiquum et immemorabile praeceptum supponere.

Cum enim Redemptor noster, omnibus fidelibus orandi praeceptum imposuerit, ita antiqui patres, ex Apostolica traditione, tam in graeca quam in latina ecclesia, clericis statis horis et forma publica orandi praeceptum dedisse, sensus Ecclesiae nos docet. Et sane Ecclesia Christi vivit eadem vita sui institutoris, « qui in diebus carnis suae preces supplicationesque offerens semper vivens ad interpellandum pro nobis », ideoque per suos ministros quotidianas preces depromit. Hinc nemo est qui non videat dignitatem nobilissimam eorum, quibus Ecclesia munus imposuit fundendi preces pro populo, ideoque clerici in hoc etiam officio successerunt Apostolis qui dixerant: « Nos vero orationi et ministerio verbi instanter erimus » (*Act.* VI, 4).

Quod tamen non tantum in communi, sed et singulariter clericis praecipiebatur antiquitus, saltem pro latina Ecclesia; citari potest Toletani concilii IV (anno 661) canon: « Quisquis ergo Sacerdos, vel subiacientium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico aut *in privato* Officio praeterierit... mulctetur ».

Cum enim primis Ecclesiae saeculis, clerici omnes vitam communem ducerent, prout postea monachi tantum retinuerunt; hinc est quod raro de privata recitatione Officii divini mentionem tunc invenimus.

Quando vero Presbyteri, ad pascendum gregem Domini in pagis et villis singulatim missi fuere, quibus in locis soli habitabant, tunc certo certius et illi privatim Officium recitare tenebantur. Super quod aliud perspicuum testimonium habemus apud Reginonem (*De Eccl. disciplina*, c. 26), qui inter plures inquisitiones, quae ab Episcopis Ecclesias visitantibus faciendae erant saeculo VI, hanc quoque invenisse testatur: « Inquirant si Clericum habeat Presbyter, qui cum eo psalmos cantet. Si nocturnis horis ad matutinas laudes persolvendas surgat ».

Porro obligatio divini Officii, quod substantiam spectat, oritur ex praecepto Apostolico, in prisca traditione implicito; circa formam vero hodiernam, pro latinis romani ritus, ex praecepto s. Pii Papae V, qui in sua Bulla *Quod a nobis* d. d. 9 iulii 1568 haec habet: « Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc Nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam, in omnibus universi orbis Ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, etiam exemptis, in quibus Officium ex more et ritu dictae Romanae Eeclesiae dici debet, aut consuevit... *praecipimus observari* ».

Haec autem obligatio ex triplici titulo derivat, iuxta communem sententiam (Ferraris, voce *Offic.*, 18; Billuart, l. c., § 3; Ligorius, *Op. mor.*, l. 4, n. 140), nempe Ordinis sacri, Professionis religiosae et Beneficii.

Ex titulo *Ordinis sacri,* tenentur ad Officii recitationem, etiam privatam, omnes clerici in maioribus Ordinibus constituti. Quod probatur ex constanti et universali traditione Ecclesiae latinae, quae legem supponit Apostolicam. Iugiter enim et ubique haec lex observatur, etiam cum non levibus incommodis, ab omnibus Subdiaconis, Diaconis et Sacerdotibus; pessimeque habentur apud omnes ii, qui hoc pensum negligunt, gravisque culpae rei communiter iudicantur. Sententia est communis; et Basileense concilium (sess. 21) ad rem habet: « Quoscumque *in sacris constitutos* cum ad horas teneantur, admonet Sancta Synodus etc. ».

Titulo *Religionis professae* obligantur ad recitandum divinum Officium, non tantum in communi, sed etiam privatim singuli Regulares utriusque sexus, qui profitentur Religionem Choro adstrictam; exceptis tamen Tyronibus, Laicis et Sororibus conversis. Tyrones enim utriusque sexus nondum Religionem professi sunt. Laici autem et Sorores conversae, licet professi, per professionem tamen, non ad Chorum, sed ad exercitia corporalia et servitium monasterii recipiuntur et deputantur. Hanc sententiam communiter tradunt Theologi (V. Billuart, Ferraris et Ligorium, l. c.).

Quae obligatio oritur ex regula cuiusque Religionis, ad quam observandam voto se adstringunt professi, proindeque sub gravi ad eam tenentur.

Et sane, ad hoc Religiosi saeculum aufugerunt, ut a mundanis curis liberi, Deo magis adhaereant, et laudes persolvendi in Religione munus praecipuum habeant.

Titulo *Beneficii*, quilibet Beneficiatus, sive in sacris constitutus sive non sub gravi ad Officium recitandum tenetur, aut in choro, aut privatim, ex praecepto ecclesiastio, et ex iustitia: ita ut culpabiliter Officium omittens, sit restitutioni obnoxius, etiam ante iudicis sententiam. Sic communiter omnes doctores (V. Billuart, Ferraris, Ligorium, loc. cit.).

In concilio enim Lateranensi V anni 1517 (sess. 9) statuitur: « ut quilibet habens Beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio, divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissione recitationis Officii; sed eos tamquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi Beneficiorum vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, Beneficio privetur, *cum propter officium detur Beneficium*. Intelligatur autem Officium omittere quoad hoc, ut Beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit ». Item in Bulla S. Pii V, *Ex proximo* expresse dicitur: « Qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii vel Beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat... »

Ex quibus decretis sequitur, Beneficiatum teneri ex iustitia ad Officium recitandum, etiamsi Beneficium sit tenue, dummodo tamen sit vere Beneficium stricto sensu in iure ac-

ceptum, quamquam nondum fructus percipiantur, cum spe tamen percipiendi, vel etiam sine spe, ob consensum vel culpam Beneficiati.

Obligatio autem Officii recitandi incipit ab hora suscepti Ordinis Subdiaconatus, quoad Clericos; emissae professionis quoad Regulares; et possessionis adeptae quoad Beneficiatos, quam proinde citius procurare debent, ne cum culpa differatur. Ita omnes Canonistae (Gavantus, sect. 1, c. 4).

Quae obligatio omnes Clericos et Regulares quoque afficit, etiamsi degradatos, suspensos, excommunicatos, interdictos, fugitivos et apostatas, nec non carceri mancipatos, iuxta illud Iuris (cap. intelleximus, 7, *de iudiciis*): « Ne videatur de sua malitia commodum reportare » ; quia in eis fundamentum remanet huiusmodi obligationis.

Ad II. Breviter respondere possumus, quia, quemadmodum de aliis Ecclesiae praeceptis, ita et de recitatione Officii dantur causae legitime excusantes, quae tres a doctoribus adsignantur, nempe: *Impotentia physica, impotentia moralis,* et *legitima dispensatio.*

Impotentia physica, ex. gr. oblivio naturalis, carentia Breviarii, caecitas, dummodo partem notabilem memoriter recitari non possit, a recitatione excusat.

Impotentia moralis iuxta doctores habetur, ex. gr. quando non potest recitari Officium absque gravi damno proprio vel alieno, aut periculo gravi. Huiusmodi est infirmitas, si, ex. gr., infirmus timeat quod recitatio ei nocebit: item gravis metus iniuste incussus, ut si Sacerdos in terra degens haereticorum, timeat ne cum Breviario prae manibus deprehensus, quid mali patiatur. Ita similiter gravis ac necessaria occupatio, quae absque scandalo vel damno proximi omitti nequit: infirmorum cura, maxime grassante contagione; vel auditio confessionis magnae turbae poenitentium tempore missionum vel Paschatis. Hae causae legitimae sunt, ut quis ab Officio recitando excusetur; nihilominus in dubio, aiunt doctores, requiratur votum prudentis viri.

Dispensatio legitima, quando summus Pontifex aliquem

dispensat; nam Episcopus iure suo ordinario non potest, quia est lex superioris, a S. Sede tamen delegatus iure optimo potest. Attamen per modum actus transitorii, Episcopus quoque, et etiam Superior Regularis, pro aliquibus diebus et horis dispensare potest, non praecise, sed quasi indicans in casu clericum sibi subiectum non teneri ad Officii recitationem.

Ut autem dispensatio Episcopi vel praelati inferioris sit valida, iusta causa intercedere debet, quae pro dispensatione papali non requiritur, nisi quando in rescripto dispensationis contineatur clausula, *iusta intercedente causa*, vel simili; Papa enim, ex plenitudine potestatis etiam sine causa dispensare potest (Cf. Billuart, loc. cit.).

Ad III. Procul dubio Subdiaconi, Diaconi et Sacerdotes qui ad militare servitium praestandum vocantur in bello, scilicet in hospitalibus viatoriis, quae vicinissima sunt bellantibus in repagulis, multum tempus non habent, ob sollicitam curam quam gerere debent militibus pugnatibus et vulneratis, et etiam mortuis, ne corpora insepulta maneant; hi procul dubio non semper, imo raro, tempus habent ad recitandas horas canonicas, ideoque iuxta monita theologorum, videntur in eo esse statu, quo legitime a divini Officii recitatione excusati considerantur. Ii vero ecclesiastici in Sacris, qui degunt in hospitalibus remotis a bellantibus, scilicet quae sunt in civitatibus, raro ita censentur occupati ut recitare nequeant Officium.

Hinc est propterea quod Episcopus Castrensis optime retinuit quod ordinarie milites quotidie habent horam liberam pro recitatione Breviarii, ideoque edixit ne facile ac sine causa ordinati in Sacris ab eadem recitatione se dispensatos exi stiment.

Liberatus ergo, si degit in hospitalibus castrensibus, pluries ab Officio recitando excusatus erit; licet enim aliquando aliquam horam liberam habeat, ipsa inservire debet ad naturalem quietem ac somnum capiendum, viresque reficiendas, ut denuo ulilis esse possit in servitium,

tum vulneratorum, tum eorum qui ante pugnam Sacramenta sumere petunt. Porro in casu exposito, scrupulum amovere debet, et dirigere decet ad Deum opera caritatis quae in favorem fratrum exercet, loco divini Officii. Si vero degit in aliis militum hospitalibus, quae in civitatibus habentur, tunc ratio agendi diversa est omnino, ideoque, nisi extraordinariae extent rationes, a recitatione ut plurimum excusari nequit, et hoc sensu se gerere debet Liberatus noster.

Ceterum Liberatus videat quae ad rem ediderunt Congregntiones Romanae, et praecipue Respons S. Poenitentieriae d. 18 martii 1912, in cuius 3° paragr. dicitur: « Durante bello, eiusque proxima praeparatione, clericus in sacris constitutus ab Officii divini lege liber erit ». Cum autem Congregatio Consistorialis, suo Decreto d. 1 iun. 1915, in constituendo Episcopo Castrensi, illi tribuerit facultates omnes, tamquam Ordinarius proprius, « clericorum et sacerdotum omnium, sive saecularis, sive religiosi ordinis, qui in praelio aut in castris aut in castrorum hospitalibus seu in navibus hoc bello perdurante operam suam praestant »; et cum « ab eo pariter si quae dubia in sacro ministerio exercendo occurrant, consilia et directinem postulabunt », dictam facultatem amplam a S. Poenitentieria concessam circa officii recitationem, applicare debet Liberatus noster, cum consilio Episcopi Castrensis.

SPECIMEN
KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS
PRO ANNO DOMINI 1917

Paschate occurrente die 8 Aprilis.

TABULA TEMPORARIA

Aureus Numerus	18	Indictio Romana	15
Epacta	6	Littera Martyrologii	f
Cyclus Solaris	22	Dom. post Epiphaniam	4
Littera Dominicalis	G	Dom. post Pentecosten	26

FESTA MOBILIA

Dom. Septuages.	4 Febr.	Dom. Pentecostes	27 Maii
Dies Cinerum	21 »	Fest. SS. Trinitatis	3 Iunii
Pascha Resurrect.	8 April.	Fest. SS. Corp. Chr.	7 »
Ascensio Domini	17 Maii	Dom. I Adventus	2 Dec.

QUATUOR ANNI TEMPORA

In Vere	28 Febr. 2, 3 Mart.	In Autumno	19, 21, 22 Sept.
In Aestate	30 Maii 1, 2 Iun.	In Hieme	19, 21, 22 Dec.

NUPTIARUM SOLEMNIA

Nuptiae solemniter celebrari possunt a die 7 Ianuarii ad 20 Februarii; et a die 16 Aprilis ad 1 Decembris, semper inclusive.

MENSE IANUARIO.

✠ 1. Fer. II. *Alb.* **CIRCUMCISIO DOMINI ET OCTAVA NATIVITATIS** *dupl.* 2. *class.* — In Vesp. nulla com.

2. Fer. III. *Alb.* **SS. NOMINIS IESU** *dupl.* 2. *class.* — Com. Oct. S. Stephani in Laud. et Miss. privat. — In Vesp. nulla com.

3. Fer. IV. *Alb.* **Octava S. Ioannis Ap. et Ev.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

4. Fer. V. *Rub.* **Octava Ss. Innocentium Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. com. S. Telesphori P. M. *Alb.*

5. Fer. VI. *Alb.* **Vigilia Epiphaniae** *2. class. semidupl.* — Com. S. Telesphori in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. sine com.

✠ 6. Sabb. *Alb.* **EPIPHANIA DOMINI** *dupl. 1. class. cum Oct. priv. 2. ord.* — In Vesp. com. seq. Dom.

Cras aperitur solemnitas Nuptiarum.

✠ 7. **Dom. infra Oct. et I. p. Epiph.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. – In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Fest.).

8. Fer. II. *Alb.* **De II die infra Oct** *semidupl.* — Vesp. de Oct.

9. Fer. III. *Alb.* **De III die infra Oct.** *semidupl.* — Vesp. de Oct.

10. Fer. IV. *Alb.* **De IV die infra Oct.** *semidupl.* — Vesp. de Oct. com S. Hygini P, M.

11. Fer. V. *Alb.* **De V die infra Oct.** *semidupl.* — Com. S. Hygini in Laud. et Miss. — Vesp. de Oct.

12. Fer. VI. *Alb.* **De VI die infra Oct.** *semidupl.* — Vesp. de seq. die Oct. (ut in I. Vesp. Festi or. pr.).

13. Sabb. *Alb.* **Octava Epiphaniae** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq. Dom. S. Hilarii E. C. D. ac S. Felicis M.

✠ 14. **Dom. II. p. Epiph.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Hilarii et S. Felicis in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.: S. Hilarii et S. Mauri Abb.

15. Fer. II. *Alb.* **S. Pauli primi Erem. C.** *dupl.* — Com. S. Mauri in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

16. Fer. III. *Rub.* **S. Marcelli I. P. M.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*

17. Fer. IV. *Alb.* **S. Antonii Abb.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. S. Pauli Ap., praec. et S. Priscae V. M.

18. Fer. V. *Alb.* **Cathedra S. Petri Ap. Romae** *dupl. mai.* — Com. S. Pauli et S. Priscae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Pauli, seq. ac S. Canuti R. M.

19. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Marii et Soc. Mm.** *simpl.* — Com. S. Canuti in Laud et Miss. — Vesp. de seq. sine com.

20 Sabb. *Rub.* **Ss. Fabiani P. et Sebastiani Mm.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Agnetis V. M. *Alb.*

✠ 21. **Dom. III. p. Epiph.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Agnetis in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Agnetis.

22. Fer. II. *Rub.* **Ss. Vincentii et Anastasii Mm.** *semidupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Emerentianae V. M. *Alb.*

23. Fer. III. *Alb.* **S. Raymundi de Penafort C.** *semidupl.* — Com. S. Emerentianae in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec. *Rub.*

24. Fer. IV. *Rub.* **S. Timothei E. M** *dupl.* Vesp. de seq. com. S. Petri Ap. et praec. *Alb.*

25. Fer. V. *Alb.* **Conversio S. Pauli Ap.** *dupl. mai.* — Com. S. Petri in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Petri et seq.

26. Fer. VI. *Rub.* **S. Polycarpi E. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. *Alb.*

27. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis Chrysostomi E. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Agnetis secundo.

✠ 28. **Dom. IV. p. Epiph.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Agnetis in Laud et Miss. — In Vesp. com. seq.

29. Fer. II. *Alb.* **S. Francisci Salesii E. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

30. Fer. III. *Rub.* **S. Martinae V. M.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*

31. Fer. IV. *Alb.* **S. Petri Nolasco C.** *dupl* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. *Rub.*

MENSE FEBRUARIO.

1. Fer. V. *Rub.* **S. Ignatii E. M.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*

† 2. Fer. VI. *Alb.* **PURIFICATIO B. M. V.** *dupl. 2. class.* — In Vesp. nulla com.

3. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Com. S. Blasii E. M. in Laud. — In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. S. Blasii — Vesp. de seq. Dom. com. S. Andreae Corsini E. C. *Viol.*

✠ 4. **DOM. SEPTUAGESIMAE** *2. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Andreae Corsini in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Andreae Corsini.

5. Fer. II. *Rub.* **S. Agathae V. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Dorotheae V. M. *Alb.*

6. Fer. III. *Alb.* **S. Titi E. C.** *dupl.* — Com. S. Dorotheae in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

7. Fer. IV. *Alb.* **S. Romualdi Abb.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

8. Fer. V. *Alb.* **S. Ioannis de Matha C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Apolloniae V. M.

9. Fer. VI. *Alb.* **S. Cyrilli Alexandrini E. C. D.** *dupl.* — Com. S. Apolloniae in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
10. Sabb. *Alb.* **S. Scholasticae V.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et Apparitionis B. M. V. Immaculatae. *Viol.*
✠ 11. **DOM. SEXAGESIMAE** *2. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. Apparitionis B. M. V. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et Apparitionis B. M. V.
12. Fer. II. *Alb.* **Ss. Septem Fundatorum Ord. Servor. B. M. V.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
13. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*
14. Fer. IV. *Rub.* **S. Valentini Pr. M.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
15. Fer. V. *Rub.* **Ss. Faustini et Iovitae Mm.** *simpl.* — Vesp. de feria sine com. *Viol.*
16. Fer. VI. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*
17. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. com. S. Simeonis E. M. *Viol.*
✠ 18. **DOM. QUINQUAGESIMAE** *2. clas. Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Simeonis in Laud. et Miss. — In Vesp. nulla com.
19. Fer. II. *Viol.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de feria sine com.
20. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de feria sine com.

Hodie clauditur solemnitas Nuptiarum.

21. Fer. IV. **CINERUM** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. S. Pauli Ap. et fer. *Alb.*
22. Fer. V. *Alb.* **Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae** *dupl. mai.* — Com. S. Pauli et fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Pauli, seq. et fer.
23. Fer. VI. **Vigilia S. Matthiae Ap.** (de qua nihil in Off.) *Alb.* **S. Petri Damiani E. C. D.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. — In Miss. 2. or. fer. 3. Vigil. — Vesp. de seq. com. praec. et fer. *Rub.*
† 24. Sabb. *Rub.* **S. Matthiae Ap.** *dupl. 2. class.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. Dom.

Incipit Pars Verna Breviarii.

✠ 25. **DOM. I. QUADRAGESIMAE** *1. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — In Vesp. nulla com.
26. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

27\. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
28\. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** Vesp. de fer. sine com.

MENSE MARTIO.

1\. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
2\. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** Vesp. de fer. sine com.
3\. Sabb. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De eo** — Vesp. de seq. Dom. com. S. Casimiri C. et S. Lucii I. P. M.
✠ 4. **DOM. II. QUADRAGESIMAE** *1. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Casimiri et S. Lucii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Casimiri.
5\. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer. *Rub.*
6\. Fer. III. *Rub.* **Ss. Perpetuae et Felicitatis Mm**. *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer. *Alb.*
7\. Fer. IV. *Alb.* **S. Thomae de Aquino C. D.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.
8\. Fer. V. *Alb.* **S. Ioannis de Deo C**. *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.
9\. Fer. VI. *Alb.* **S. Franciscae Romanae Vid.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et fer.
10\. Sabb. *Rub.* **Ss. Quadraginta Mm**. *semidupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. *Viol.*
✠ 11. **DOM. III. QUADRAGESIMAE** *1. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — In Vesp. com. seq.
12\. Fer. II. *Alb.* **S. Gregorii I. P. C. D**. *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer.
13\. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
14\. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
15\. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
16\. Fer. VI. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer. *Alb.*
17\. Sabb. *Alb.* **S. Patricii E. C**. *dupl.* — Com. fer. in Laud et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Cyrilli Hierosolymitani E. C. D.

✠ 18. **DOM. IV. QUADRAGESIMAE** *1. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Cyrilli in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. Dom. et S. Cyrilli *Alb.*

† 19. Fer. II. *Alb.* **S. IOSEPH SPONSI B. M. V. C.** *dupl. 2. class.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer.

20. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer. *Alb.*

21. Fer. IV. *Alb* **S. Benedicti Abb.** *dupl. mai.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer.

22. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

23. Fer. VI. *Viol.* **De ea** Vesp. de fer. sine com.

24. Sabb. *Viol.* **De eo** — Vesp. de seq. Dom. sine com.

De Annuntiatione B. M. V. fit die 26 huius.

✠ 25. **DOM. PASSIONIS** *1. class. Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. Dom. *Alb.*

26. Fer. II. *Alb.* **ANNUNTIATIO B. M. V.** (f. 25 huius) *dupl. 1. class.* — Comm. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et fer.

27. Fer. III. *Alb* **S. Ioannis Damasceni C. D.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et fer.

28. Fer. IV. *Alb* **S Iosnnis a Capistrano C** *semidupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer.

29. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer. *Alb.*

30. Fer. VI. *Alb.* **Septem Dolorum B. M. V.** *dupl. mai.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer.

31. Sabb. *Viol.* **De eo** — Vesp. de seq. Dom. sine com.

MENSE APRILI.

✠ 1. **DOM. PALMARUM** *1. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — In Vesp. com. S. Francisci de Paula C.

2. Fer. II. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Francisci de Paula in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Francisci de Paula.

3. Fer. III. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — In Vesp. com. S. Isidori E. C. D.

4. Fer. IV. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Isidori in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Isidori.

De S. Vincentio Ferreri C. hoc anno nihil.

5. Fer. V. **IN COENA DOMINI** *Viol. in Off.* — *Alb. in Miss.* — **De ea** *dupl. 1. class.* — Vesp. de ea sine com.

6. Fer. VI. **IN PARASCEVE** — Nig. in funct Praesanctificat — **De ea** *dupl. 1. class.* — Vesp. de ea sine com.

7. **SABB. SANCT.** *Viol. in Off.* — *Alb. in Miss.* **De ea** *dupl. 1. class.* — Vesp. pr. loc.

Incipit Tempus Paschale.

✠ 8. **DOM. RESURRECTIONIS** *Alb.* — *dupl. 1. class. cum Oct. priv. 1. ord.* — Vesp. sine com.

† 9. **FER. II. PASCHATIS** *Alb.* — *Dupl. 1. class.* — Vesp. sine com.

† 10. **FER. III. PASCHATIS** *Alb.* — *Dupl. 1. class.* — In Vesp. com. S. Leonis I. P. C. D.

11. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. S. Leonis in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Leonis.

12. Fer. V. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — In Vesp. S. Hermenegildi M.

13. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. S. Hermenegildi in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Iustini M., S. Hermenegildi ac Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.

14. Sabb. **In Albis et Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. S. Iustini ac Ss. Mm. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. S. Iustini.

✠ 15. **DOM. IN ALBIS** *Alb. 1 class.* **De ea** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.

Cras aperitur solemnitas Nuptiarum.

16. Fer. II. *Alb.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

17. Fer. III. *Rub.* **S. Aniceti P. M.** *simpl.* — Vesp. de fer. sine com. *Alb.*

18. Fer. IV. *Alb.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

19. Fer. V. *Alb.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

20. Fer. VI. *Alb.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

21. Sabb. *Alb.* **S. Anselmi E. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. ac Ss. Soteris et Caii Pp. Mm.

✠ 22. **Dom. II. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. Ss. Soteris et Caii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. ac Ss. Soteris et Caii.

23. Fer. II. *Rub.* **S. Georgii M.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

24. Fer. III. *Rub.* **S. Fidelis a Sigmaringa M.** *dupl.* — Vesp. de seq. sine com.

De S. Marco Ev. fit 26 huius.

25. Fer. IV. *Alb.* **SOLEMNITAS S. IOSEPH Sponsi B. M. V. C. et Eccl. Univers. Patr.** *dupl. 1. class. cum Oct. comm.* — In Vesp. com. seq. ac Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm.

26. Fer. V. *Rub.* **S. MARCI EV.** (f. 25 huius) *dupl. 2. class.* — **Litaniae Maiores** — Com. Ss. Cleti et Marcellini in Laud. et Miss. — In Vesp. com. Ss. Cleti et Marcellini.

27. Fer. VI. *Alb.* **De III. die infra Oct. S. Ioseph.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. Oct. ac S. Vitalis M.

28. Sabb. *Alb.* **S. Pauli a Cruce C.** *dupl.* — Com. Oct. et S. Vitalis in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec., S. Petri M. et Oct.

✠ 29. **Dom. III. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Petri et Oct. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq., S. Petri et Oct.

30. Fer. II. *Alb.* **S. Catharinae Senen. V.** *dupl.* — Com. Oct. in in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec. *Rub.*

Consultationes.

Pro dioecesi Neritonensi. — I. In ordinationibus generalibus solemnibus, estne incipiendum Officium a cantu Horae tertiae, in cathedralibus; an potius hic cantus potest omitti ?

II. In ordinationibus, item generalibus et solemnibus, quatuor temporum et ieiunii, excepta octava Pentecostes, Diaconus, Subdiaconus et Diaconi assistentes Canonici, quibusnam paramentis indui debent, assistentes Episcopo durante Pontificali: utrum dalmatica et tunicella, respective, an planetis plicatis coloris violacei ?

III. In ordinationibus extra Tempora, tam in Missa solemni cum cantu, in cathedralibus, quam in Missa lecta, Tonsurandi quonam Missae momento ordinandi sunt, seu initiandi? Quando promovendi clerici ad quatuor minores ordines? Quando Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri? Ex Pontificalis Rubrica haud clare patet.

IV. In ordinationibus, interdictio: « Ne quis accedat irregularis etc. », facienda ne est per Archidiaconum an potest fieri per alium (« per unum ex suis », ait de Herdt)? Huiusmodi interdictio, in ordinationibus extra Tempora, legi debet post lectum Indultum apostolicum, an prius? Si unus tantum tunc ordinandus est, vel in minoribus, lectio fieri debet uti iacet in Pontificali, an aliquid immutandum est ?

V. Psalmi *Quam dilecta* etc. suntne praeceptivi pro Episcopo, sacra paramenta suscipiente, in ordinationibus, an vero possunt omitti, praesertim in ordinationibus, quae fiunt in sacello Palatii, vel ubi, ob cleri defectum, nequit Tertia decantari ?

VI. In traditione instrumentorum ordinandis, praeterquam Presbyteris, potestne actio fieri simultanea, scilicet, pluribus uno eodemque tempore agentibus, quum formula Pontificalis in numero prostat singulari, an non ?

VII. Rituale romanum, in absolutione ad tumulum *absente corpore*, praescribit esse a *Libera* incipiendum; absolvente Episcopo, potestne incipi a *Non intres*, prouti innuit Pontificale; an potius, etiam hoc in casu, standum Rituali?

Ad I^{um}. Ordinationes generales ac solemnes ab Episcopo in sua Cathedrali coram Capitulo regulariter habentur in Sabbatis quattuor Temporum, in Sabbato « Sitientes » et in Sabbato Sancto (SS. Concil. Tridentinum, sess. XXIII, cap. 8, de reformatione). Iamvero in praefatis diebus Missa pro Ordinatione debet esse ferialis (Decr. 2179^{1}; 2294^{1-4}; 2375^{2}; 3576^{9}; 3642^{3}). Et cum Missa conventualis, de feria, in Adventu, Quadragesima, quattuor Temporibus et Vigiliis quae ieiunantur dicenda sit post Nonam (D. 2067^{1}), consequitur quod Missa pro Ordinatione in praefatis diebus, quae est Missa conventualis pontificaliter celebrata, canenda est post Horam nonam et non post tertiam.

Et hoc pro Ordinatione Sabbati Sancti eruitur etiam ex Caeremoniali Episcoporum (Libro II, capite 27, n. 12 et n. 19), in quo dicitur quod Episcopus in fine *Nonae*, benedictionem novi ignis, fontis baptismalis, etc. peragit, et deinde Ordinationem tenet.

Apertis verbis autem idem legitur in celeberrimo opere Martinucci « Manuale SS. Caeremoniarum a R.mo D. Io. Bapt. Menghini nuper aucto et emendato » (Parte altera, vol. 2°, pag. 58, n. 4): « Celebrabitur (Missa pro Ordinatione) *semper* post Horam nonam ».

At quando SS. Ordinationes solemniter *extra Tempora* cum Apostolica dispensatione peraguntur, scilicet in Dominicis et festis de praecepto, a populo, saltem de iure, colendis iuxta catalogum Urbani VIII, Missa conventualis, quae celebratur, est de Officio diei currentis, et proinde, mihi videtur, salva reverentia praestantissimi citati auctoris, tunc Missa celebrari debere, secundum Rubricas generales Missalis, XV, 2, post Horam tertiam et non post nonam (1).

(1) Hoc non negat A., et verius illud *semper* (Pars II, pag. 58, n. 4) refertur ad Ordinationes de Tempore, quia dicit *Missam su-*

Cantus Horae nonae vel tertiae omitti potest solummodo in Ordinationibus per Episcopum privatim habitis.

Ad II^{um}. Diaconi adsistentes, praefatis diebus uti debent planetis plicatis. (Martinucci, opere citato (Parte altera, pag. 64, n. 55), haec scribit: « Diaconi assistentes supra rochetum aut superpelliceum induent amictum et dalmaticam rubri coloris (scilicet in quattuor Temporibus Sabbati Pentecostes), vel (in aliis) planetam plicatam coloris violacei ». Patet etiam quod Diaconi adsistentes, in Sabbato Sancto, utuntur planetis plicatis violaceis usque ad *Peccatores* Litaniarum, postea assument, sicut ceteri ministri, dalmaticam et tunicellam albi coloris.

Ad III^{um}. In SS. Ordinationibus *extra Tempora,* quae sive solemniter sive privatim habentur, ordo, qui sequitur, servari debet in functione. Duplex casus distinguendus: si in Missa non dicitur *Gloria in excelsis,* tunc idem est ordo procedendi ac in Sabbato « Sitientes », scilicet: 1. Introitus Missae; 2. Tonsurae; 3. « Kyrie, eleison »; 4. Omnes Ordines minores (si conferri debent); 5. Orationes et Collectae; 6. Subdiaconatus; 7. Epistola; 8. Diaconatus; 9. Primus Versiculus Tractus vel Sequentia usque ad penultimum Versum; vel Graduale usque ad *Alleluia;* 10. Presbyter.

---

pradictam, et non Missas, et eam supponit convenire cum Officio feriali; sed, evidenter, feriale Officium non esset dicendum (Hora nona), nisi occurrente duplici vel semiduplici, Temporibus statutis. Verba praecedentia (pag. 57, n. 3, in fine): « Si habebitur extra Tempora statuta, legetur Missa de Officio currente », habenda sunt uti incisum extraneum, in quo nihil dicit A. de Officio, quia reipsa nequit supponi esse de feria, quum extra Tempora Ordinatio solemnis nequeat fieri nisi in *Dominicis* vel festis de praecepto. Hinc etiamsi fiat v. gr. in festo Annuntiationis in Quadragesima, Missa, cum Hora respondente, non esset de feria, sed de festo, ac proinde Hora esset tertia, non vero nona. Auctori tunc non erat occasio de hac loquendi.

REDACTIO.

Si autem in Missa dicatur «Gloria in excelsis», idem est ordo ac in Sabbato Sancto, scilicet: 1. Introitus Missae; 2. «Kyrie»; 3. Tonsura; 4. «Gloria»; 5. Omnes Ordines minores, 6. Orationes et Collectae; 7. Subdiaconatus; 8. Epistola; 9. Diaconatus; 10. Prima pars Tractus, vel Sequentia usque ad penultimum Versum, vel Graduale, usque ad *Alleluia;* 11. Presbyteratus.

Hic ordo deducitur ex Pontificali Romano «De Ordinibus conferendis». Nam ibi legitur: «Si Ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam de Passione, quia unica tantum dicitur Lectio, Tonsurae debent fieri immediate post Introitum. Omnes Ordines minores post *Kyrie, eleison,* Subdiaconi immediate post Collectam, Diaconi post Epistolam, Presbyteri ante ultimum Versum Tractus.

«Idem, subiungitur, servetur quandocumque dantur Ordines sacri *extra* Tempora, ex dispensatione Apostolica». Notetur quod in Sabbato ante Dominicam Passionis seu «Sitientes» *Gloria* non dicitur; sed quid si in Missa dicatur *Gloria?* In Appendice ipsius Pontificalis: «De clerico faciendo», haec habentur: «In Missa de Sabbato ante Dominicam Passionis et iu aliis Missis in quibus non dicitur *Gloria in excelsis,* post *Introitum* Tonsura conferri debet», et in eadem Appendice «De minoribus Ordinibus uni tantum conferendis»: «In praefatis Missis post *Kyrie, eleison* omnes minores Ordines conferantur».

In Missis vero de quattuor Temporibus, de Sabbato Sancto, et in aliis Missis in quibus dicitur *Gloria in excelsis,* dicto *Kyrie, eleison,* ad Tonsuram proceditur (loco supra citato et alibi).

«In Missis vero de Sabbato Sancto et in aliis Missis in quibus dicitur *Gloria in excelsis Deo,* eo dicto, ad quattuor minores Ordines proceditur, et ita porro de aliis SS. Ordinibus».

Proinde ex comparatione rubricarum circa Ordines conferendos, quae sive in corpore Pontificalis sive in Appendice continentur, ordo functionis, quem superius tradidimus, statui potest.

Ad IV^{um}. Pontificale Romanum non bene determinat eum per quem in SS. Ordinationibus fit *interdictio* « Reverendissimus in Christo Pater... sub excommunicationis poena, etc. », sed genericis verbis utitur, nempe: « palam interdicit (Pontifex) per unum ex suis (scilicet ministris) ».

Quae verba adamussim a clarissimo De Herdt referuntur. Iuxta romanam praxim haec *inhibitio* in Ordinationibus solemnibus ab Archidiacono legitur, in aliis Ordinationibus ab eo qui vice Archidiaconi fungitur.

Martinucci proinde in suo opere (Parte altera, pag. 70, n. 122, edit. 3^a) recte scribit: « Deinde Archidiaconus, conversus ad ordinandos, vel *alius, ad quem spectat* de *more* uniuscuiusque ecclesiae, leget elata voce ex Pontificali inhibitionem seu mandatum nomine Episcopi etc.

In Ordinationibus extra tempora *haec inhibitio* legenda est post mandatum Apostolicum.

In Pontificali enim dicitur: « Et si fuerit extra Tempora, antequam ad collationem Ordinis procedatur, legitur mandatum Apostolicum, sive supplicatio, cuius vigore eidem Pontifici facultas conceditur ordinandi » (Appendice de Ordinatione Subdiaconi). Proinde, solummodo supposita hac facultate, Pontifex potest ad S. Ordinationem procedere.

Et revera in Pontificali, post verba interdictionis, rubrica dicit: « Demum ad Ordinationem procedat (Episcopus) ». Ceteroquin inhibitio vel interdictio est actus iurisdictionis, quod sede plena fit nomine Episcopi Ordinarii, sede vacante nomine Vicarii Capitularis (D. 3593[1]). Iamvero haec iurisdictio, in Ordinationibus extra Tempora, licite nequit exerceri, nisi post obtentam facultatem, quae datur per mandatum Apostolicum.

Quamvis Liber Pontificalis, in Appendice: « De Ordinibus uni tantum conferendis », taceat de facienda interdictione, tamen, secundum Decretum 3006[4] S. Rituum Congregationis, non est omittenda, ne in Ordinibus quidem conferendis in privato sacello, etiam quando unus tantum ordinatur, interdictio praescripta in Pontificali.

Sed dici potest: in hoc casu, quando scilicet unus tantum est ordinandus, verba interdictionis debent mutari in numerum singularem, vel legenda sunt sicut iacent?

Mihi videntur esse mutanda in singulari, hoc modo: « Rev.mus in Christo, etc., sub excommunicationis poena praecipit et mandat *tibi* pro suscipiendo (vel suscipiendis Ordinibus) Ordine hic praesente, ne forsan irregularis, aut alias, etc., sine licentia *tui* Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto *audeas* ad suscipiendum (os) Ordinem (es) accedere. Et quod non *discedas* nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta ». Rubrica ipsius Pontificalis, tribuit in casu hoc ius, ceteroquin legitimum, mutandi verba. Nam in libro Pontificali statuitur: « Advertat quoque Pontifex quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque Ordinem promovendus, illum admoneat, et alloquatur non in plurali, *ut textus* dicit, sed in singulari ».

Interdictio revera fit nomine Episcopi.

Ad V^{um}. Iuxta Missalis rubricam, Sacerdos celebraturus, Orationi « aliquantulum » vacare debet; et psalmi « Quam dilecta, etc. », qui in Missali leguntur pro praeparatione Missae, non sunt de praecepto dicendi, sed pro opportunitate seu commoditate Sacerdotis.

Hoc in Missa privata, sed aliud dicendum in Missa Sacrae Ordinationis.

Pontificale Romanum distinguit quando Pontifex extra Missarum solemnia promovet aliquos ad Tonsuram vel ad minores Ordines, tunc Episcopus non accipit paramenta pontificalia, sed tantum stolam supra rochettum vel superpelliceum (si regularis) et mitram simplicem; et quando est celebraturus pro Sacris Ordinibus conferendis, tunc habere *debet* sandalia et omnia paramenta pontificalia, et dicere Psalmum « Quam dilecta, etc. », ideoque saltem in hoc casu est *praeceptiva*.

Dum Episcopus psalmos privatim recitat, induitur caligis et sandaliis: nec psalmi omittendi sunt ob speciosam

rationem inopiae cleri, qui cantet Tertiam seu Nonam; non enim iste cantus necessario requiritur, nec praesentia cleri.

Pontificale ait: « Episcopus stat ad faldistorium, ubi sedens accepit omnia paramenta pontificalia coloris temporis convenientis et mitram simplicem, dicens psalmum « Quam dilecta », etc.

Ad VI^{um}. Utique plures Ordinandi possunt simul tangere instrumenta ab Episcopo porrecta, dum ipse verba formulae profert, quin Pontifex formulam pro singulis repetat.

Et revera Pontificale in traditione instrumentorum generatim utitur formula in plurali: Sic agite, etc.; Accipite, etc.; Videte, etc.

Unica exceptio est in formula qua traditur Diaconis liber Evangeliorum; ista formula est in singulari: « Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis ».

Sed etiam in hoc casu plures Diaconi possunt tangere simul librum Evangeliorum, et tunc Episcopus loco dicendi « Accipe » deberet dicere « Accipite ». Nam, sicut Pontificale, in Ordinatione unius, advertit quod Pontifex illum admoneat et alloquatur, non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari, ita a pari in plurium Ordinatione, debet uti formula plurali. Rubrica Pontificalis enim non docet Diaconos debere singillatim tangere librum Evangeliorum, sicut in Ordinatione Presbyterorum.

In hoc secundo casu, rubrica dicit: « Pontifex tradit *cuilibet* successive Calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia ».

Ceteroquin hoc confirmatur a praxi romana Sacrosanctae Basilicae Lateranensis et a doctrina auctorum. Martinucci, in opere citato, pag. 86, n. 297, haec habet:

« Tum duo tresve Ordinandi (Diaconi) ascendent ad altare, genua flectent ante Episcopum qui manum dexteram libro imponentibus dicit: Accipite potestatem, etc. Post primos ascendent alteri ac tangent librum ».

Notandum quod tunc, ad praefatam praxim aliquo modo iustificandam, in Ordinatione Ostiariorum, Acolythorum et Subdiaconorum, verba rubricarum Pontificalis: « quas successive » — « quod successive » — « quem successive », referri deberent, non ad Ordinandos, sed ad *claves*, ad *candelabrum* et candelam extinctam, ad Calicem vacuum et Patenam vacuam superpositam, respective.

Sed melius Pontificalis rubricae observarentur si *formulae*, quibus instrumenta traduntur, in plurali vel in singulari, prout in ipso Pontificali iacent, legerentur. Igitur Episcopus, quando *formula* est in plurali, semel tantum eam dicere deberet pro omnibus illius Ordinis promovendis, et deinde singuli istorum successive instrumenta ab Episcopo porrecta tangere deberent.

Etenim in Rituali habetur analogum exemplum. In Ordine baptismi adultorum, quando plures baptizandi sunt, Sacerdos signat *singulos* in exorcismo, quin, iuxta rubricam, pro unoquoque baptizando repetat verba: « Et hoc signum Sanctae Crucis, quod nos fronti, etc. ». Sufficit quod haec verba semel in plurali dicat; quamvis aliud statuatur in baptismate *plurium infantium*.

In Diaconatu, cum formula qua traditur liber evangeliorum « *Accipe*, potestatem legendi », in singulari sit, manifesto apparet quod pro singulis Diaconis repetenda est, qui proinde successive debent tangere librum Evangeliorum. Igitur, quando fieri potest, semper standum est verbis rubricarum, ne arbitraria praxis invalescat.

Ad VII^um^. Rituale Romanum (Tit. VI, cap. 5) et Missale (Rubr. Gen., Ritus, celebr. Miss., tit. VIII), in exsequiis absente corpore defuncti, dicit quod absolutio Tumuli incipiatur cum cantu Responsorii: « Libera me, etc. ».

Sed quando Episcopus dat hanc absolutionem, debet ne idem servari? Generatim utique.

Caeremoniale enim Episc., libro II, cap. XI, n. 12, hoc aperte docet: « Interim, dum extenditur pannus vel portatur lectica, Episcopus sedet, et cantores incipiunt Responsorium " Libera me, Domine, etc. " ». Proinde Caeremoniale Epp.

concordat cum Missali et Rituali. Nec videretur diversitatis ratio.

Verum est quod in Pontificali Romano (De officio quod post Missam solemnem pro defunctis agitur) legitur: « Stans (Episcopus) ante suum faldistorium in capite lecti dicit orationem: " Non intres iniudicium cum servo tuo, etc. „ in tono praedicto, qua finita sedet, et chorus cantat Responsorium « Libera me, Domine », et *Kyrie*, ut supra.

Sed Pontificale Romanum loquitur taxative sicut ex toto contextu patet, de exsequiis anniversariis specialium defunctorum, scilicet: alicuius Summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, Episcopi proprii, seu Imperatoris, vel Ducis magni, aut Domini loci, pro quibus in primis exsequiis fiunt quinque absolutiones.

Et quod ita interpretari debeamus Pontificale patet ex ipso Caeremoniali Episcoporum, loco citato, n. 13. En eius verba: « Si aderit in ecclesia lectus mortuorum, seu castrum doloris, et *Missa celebrata sit* pro anima alicuius Summi Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis, etc. », uti supra « conveniens est ut fiant absolutiones... tam ab Episcopo celebrante, quam ab aliis quatuor Episcopis vel Praelatis ». Notentur verba: et *Missa celebrata sit*.

Sed notat Pontificale quod non in omnibus istis exsequiis convenit fieri quattuor vel quinque absolutiones, sed tantum in primis exseqiis post obitum; in aliis exsequiis seu in anniversariis sufficit (quasi ad supplendas alias absolutiones) dicere orationem: Non intres, etc.

Ergo solummodo in istis casibus Episcopus dicere debet orationem: « Non intres » ante cantum Responsorii « Libera me », etc.

Ceteroquin, si adesset consuetudo contraria, eam admitti posse arbitramur.

I. C.

Pro S. Iacobo de Chile. — A tempore inmemoriali, consuetudo viget apud totam Americam Latinam, collocandi in celebratione Missae privatae duas candelas in mensa,

non prope corporale, sed circa extremitatem ipsius mensae. Quaeritur: 1° Utrum talis consuetudo observari debeat; 2° aut saltem possit tolerari?

Resp. Rubricae Missalis (tit. XX) ita de re loquuntur: « Super altare collocetur Crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis, hinc et inde in utroque eius latere ». Non est ergo corporale habendum uti centrum candelarum, sed Crux. Quanta vero possit aut debeat esse distantia inter ea, nequit pendere nisi a structura altaris, ab eius et candelabrorum cum Cruce magnitudine, numero candelabrorum, quae cum possint esse plura, etiam extrema duo inservire possent pro Missa. Neque ergo mensa est attendenda in statuendo loco candelabrorum pro Missae celebratione; et reipsa, ex decreto S. R. C., n. 3759, I, si Crux cum candelabris sint posita in superiori gradu altaris, non requiruntur duae aliae candelae super mensam, tempore Missae. Saepe tamen, maioris commoditatis et utilitatis gratia, praeter candelabra maiora ad latera Crucis posita, duo minora candelabra super mensam vel inferiorem gradum collocantur, quae ita ad latera Crucis nonnisi aliquantulum improprie dicerentur. Attamen, sive ex parvitate rei, sive ex fere universali consuetudine, non esset hoc in casu interloquendum. Exemplum dat Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XII, n. 12), celebrante Episcopo solemniter, tunc enim candelabra, ex eodem Caeremoniali, sunt omnia, et non unum tantum, collocanda post Crucem. Acquiescat igitur rev. Inquirens istiusmodi consuetudini.

Pro dioecesi Laudensi. — I. Translatio Officii Sancti Titularis facienda est super Kalendario dioecesis, etiamsi, quod habeantur in eo translata Officia minus nobilia, longius amandari contingat (S. R. C., n. 4264).

II. Octava communis alicuius festi, festo ipso translato post octavam, nihil habere potest (cfr. Rubr. ad normam Bullae « Divino afflatu », tit. IV, n. 8).

Pro Neapoli. — I. Sabbato IV Temporum orationes quae interponuntur lectionibus nequeunt computari in nu-

mero earum, quae collectas imperatas excludunt, quemadmodum Rubrica Missalis non excludit tres orationes, ante epistolam, quarum imo tertia est interdum ad libitum eligenda, sed omnino dici debet. Ita usquedum secus forte habeatur in novis Rubricis, quae parantur.

II. Oratio pro defuncto in Missa de feria maiori et vigilia non excludit ullam ex orationibus de tempore, sed ipsis est addenda penultimo loco, et non excludit collectas imperatas, quia non praescribitur, sed est tantum permissa. Ita salvo, ut supra.

III. Lectiones I Nocturni propriae, cum suis responsoriis, servandae sunt *si fuerint concessae,* iuxta novas Rubricas, tit. I, n. 4; ita decretum S. R. C., 24 maii 1912, III.

IV. Verba Pontificalis romani, in ritu ordinationis acolythorum: « Tunc accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangant », ita intelligi possunt, ut tum candelabrum tum candela tangatur, secundum dioversam consuetudinem. Ex locutione enim Pontificalis: *quod tangunt,* obvio et strictiori sensu, indicatur solum candelabrum, sed nihil obstat quominus et candela tangatur, quia aliquo sensu, eadem locutio includit candelam, quae candelabro insita est. Alicui forsan non placet gestus parum naturalis et aestheticus, sed plura habentur huius generis, v. gr. tactus calicis et patene pro Presbyteris, baculi pastoralis pro Episcopis, quae ex clara rubricarum praescriptione ita artificiose agenda sunt. Etiam in traditione calicis et patenae cum hostia, Pontificale innuit tangendam cuppam calicis et *patenam simul,* et tamen consuetudo est ut tangatur etiam hostia.

Pro Archidioecesi Mariannensi, in Brasilia. — I. Decretum S. C. S. Officii, d. d. 1 augusti 1907, quoad Missas tres celebrandas in nocte Nativitatis Domini, respicit oratoria quorumlibet religiosorum Institutorum, ss. Species asservandi facultatem habentium, sint vel non Presbyterorum, sint virorum vel mulierum. Nequeunt tamen hae

Missae iterari sive a media nocte ad plura altaria, sive successive ante auroram.

II. S. C. Indulgentiarum, die 23 iulii 1757, n. 210, approbante Summo Pontifice die 6 augusti eiusdem anni, edixit, ut pro publico exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus, circumeat, ac sistens in qualibet statione, ibi recitet peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus. Et die 26 februarii, anno 1841, n. 287, eadem S. C. declaravit, absque speciali indulto non posse christifideles, in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, sine corporis motu de loco in locum, indulgentias Viae Crucis lucrari, et subiungit: « Singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viae Crucis Indulgentiis, necessario requiri aliquem corporis motum, ut clarius declaratum est ab hac S. C., nempe: Transeundum esse ab una statione ad aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum, quae eas visitant, aut angustia loci, ubi sunt erectae ».

Hinc datur eruere: 1° Motus de loco ad locum est semper necessarius, pro acquirendis Indulgentiis S. Viae Crucis, nisi perturbatio, quando publice peragitur, populi timeatur, et, hoc in casu, praesentia Sacerdotis, ut supra, est necessaria; ab hac tamen S. Sedes aliquando dispensavit, indulgendo ut alius eius vice fungatur. 2° Quamvis methodus superius adducta non indicet motum, qui possibilis semper est, scilicet, saltem se paulatim vertendi ad Cruces seu stationes, id tamen erui datur et a recto sentiendi modo, et a supra relata declaratione, diei 26 februarii 1841, aliquatenus enim debet comprobari, quod stationes singillatim visitentur.

III. Titulus « Festa Feriata », qui datur in novissimo Breviario elencho Officiorum, qui apponitur ante duas ta-

bellas occurrentiae et concurrentiae, inter festa secundaria et festa quae cum octava celebrantur, nihil aliud significat nisi characterem « *maioris solemnitatis*, ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit nobilius (Rubr. noviss., tit. II, n. 1, ab initio et lit. *b*) ». Quod nihil aliud velit significare, inde eruitur, ubi dicitur: « Scire oportet tamen... quae Officia ad *effectum tit. II, n. I superiorum Rubricarum* cum feriatione... celebrentur » : itaque nequit extendi ad effectum determinandi obligationem Missae pro populo, vel servitii choralis, etc. Quod dicitur in titulo II novarum Rubricarum: « ...cum feriatione etiam in foro reducta vel sublata », putamus significare vel amandatam ad alium diem, v. gr. Dominicam sequentem, vel numquam in praxim deductam, vel penitus abolitam. Et sane festa reducta bene intelligi possunt quae numquam reipsa inter feriata sunt recensita, sed tantum iure, dixerim hypothetico, quo scilicet festum honestatum fuisset, nisi aliae considerationes id dissuasissent. Ita v. gr., ut exemplum alterius generis afferam, Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V. non recte vocaretur sublata, quoad ieiunium, quia numquam cum ieiunio constitit; *reducta* vero posset nuncupari, quia in rationem ieiunii non fuit *perducta*. Hoc accidit et in Solemnitate S. Ioseph, quae eo die quo nunc recolitur, numquam fuit feriata, et tamen ad effectum de quo supra, feriata dicitur, ut feriato liturgica compenset, ut ita dicam, feriationem festo eius, olim principali, adnexam pro foro. Hoc eveniet in posterum pro Sanctis Patronis locorum, qui feriatione reducta potientur, eo quod iura liturgica in eis manebunt, quamquam numquam iis gavisi de facto sunt.

Feriatum non consideratur festum S. Silvestri, quia feriatio non respiciebat Sanctum, sed postremum anni diem. Neque ut feriata sunt retinenda festa particularia locorum, quae non sint Patronorum principalium, quia in elencho non sunt posita; quod oblivioni non est tribuendum, eo quod festa quaedam localia reipsa considerata sunt, nimirum, festa Patronorum principalium, nunc vero de iis agendo, certissime, cogitatio subvenit de aliis, et tamen exclusa sunt.

S. Ioachim, cuius feriatio una cum Dominica, ex Apostolica constitutione celebrabatur, etiam nunc, ad effectum, etc., illam servat, quamvis festum istud sit die feriali positum.

IV. In decreto S. R. C., n. 4224, reipsa dicitur, quod in functione coram SS.mo Sacramento publice exposito, hymni canendi sunt, Sacerdote et Ministris stantibus, et nulla distinctio innuitur facienda inter hymnum et hymnum, ut excludantur qui Sacramentum ipsum respiciunt. v. gr. *Pange, lingua,* usque ad *Tantum ergo.* Ad strophen *Genitori,* sive ob incensationem peragendam, sive ob consuetudinem universalem, sive simpliciter eo quod ante benedictionem a Rituali praescribitur dicendam flexis genibus, non est assurgendum, secus quando non agitur de impertienda benedictione, v. gr. in Vesperis SS.mi Sacramenti.

V. Quoad usum adhibendi lucem electricam super altari, etiamsi agatur non de candelabris, sed de luminibus floribus intermixtis. qui emergunt ex vasis interpositis candelabris, non potest tolerari, sic decernente S. R. C., die 24 iunii 1914, quum ad petitionem, utrum lux electrica vetita sit etiam in gradibus superioribus ipsius altaris, respondit : « Affirmative ». Neque tolerari potest usus parvarum lampadum electricarum, quae vel leviter sequantur lineas repositorii SS.mi Sacramenti, ex mente eiusdem S. C., in praecitato decreto expressa, quae, quamvis versetur circa lampades electricas variis distinctas coloribus, applicari profecto debet et aliis modis disponendi huiusmodi lampades, etiam non coloratas, qui non conveniant « gravitati et dignitati s. Liturgiae propriae, et decori Domus Dei ». Et, in casu exposito, nonne levitatem sapit ille modus ornandi S. Tabernaculum ?

VI. Si recte attendatur locutioni decreti S. R. C.. diei 30 ianuarii 1915, II, constabit, ipsum decretum non contradicere alteri decreto d. d. 13 iulii 1658, n. 1074, imo, hoc illo dilucidari opportunis distinctionibus. Nimirum, verba : « Ministrum Sacrificii, non ratione praeeminentiae,

sed ministerii, praeferendum esse ceteris, quamvis dignioribus », ita sunt intelligenda, ut salvae sint semper eae distinctiones, quae nimiam differentiam importent in subiecta materia. Hinc decretum n. 1074 prout iacet sumendum est, si agitur de ministro clerico et non laico, quia, si minister esset laicus, non esset praeferendus monialibus, quae praecisius nominabantur, eo quod praesertim si sint chorales, sunt in ordine nimis superiore; ex simili ratione clerici non inservientes praeferentur, ex novo decreto, inservienti laico. E converso, clericus simpliciter tonsuratus, inserviens, praeferetur etiam acolytho, iuxta novum et antiquum decretum. Circa personas dignitate pollentes *per accidens* attendenda, in sensu decreti a. 1915, hac non praeferentur clericis in maioribus, quia dicit decretum: « ... praeferantur clericis minoris ordinis... personae etc. ». Ergo clerici in maioribus praeferuntur sponsis in Missa pro benedicendis nuptiis. Nullum inconveniens, si v. gr. in seminariis oporteat ut minorista inserviens expectet clericos in maioribus, et postea ipse communicet. Subdiaconus qui ministrat praecedere oportebit Diaconis communicantibus, et adhuc Sacerdotibus, uti fit apud Capitula Canonicorum, saltem quando ministri parati ex eodem coetu sunt.

VII. Quando pyxis est purificanda, et superabundant fragmenta, consulendum est, ut non statim immittantur in calicem, ne accidat eadem fragmenta per calicem humefacta dispergi, sed prius, arida ut sunt, digito quoad fieri potest sumantur, ac dein procedatur ad immissionem paucorum et minimorum quae forte supersunt in calicem. Non esset profecto conveniens et decorum, fragmenta humida ex parietibus calicis colligere imo interdum neque materialiter id fieri posset, v. gr. ex nimia altitudine ipsius calicis.

VIII. In loco S., in ordinationibus, maximi existimatur ritus, sit talis dici possit, qui respicit, mappulam (*bande, fascia*) qua ligantur manus Presbyterorum post s. unctionem. Communiter haec mappula est serica, cum laciniis (*frangie*) aureis, ostenditque inscripta verba. Ordinandus eam ligat sinistro brachio (*en forme de brassard*), eaque suo tempore aufertur. Munus istud, auferendi mappulam iribuitur

cuidam *paranympho* (diverso a Presbytero assistente), qui vel in sacristia, vel ad scamnum communicantium speciosum ritum complet. Interdum hic paranymphus est feminei sexus, v. gr. mater, soror neopresbyteri, et hoc in casu mappula aufertur ad scamnum communionis, quo nimirum se confert ordinandus.

Huiusmodi consuetudo non videtur, saltem in singulis suis partibus, et prout exponitur toleranda. Et re quidem vera, 1° quod mappula sit serica, non convenit cum Pontificali, quod dicit: « ... manibus abluendis, quos singuli *ad suas mappulas* extergunt » ; quomodo extergent panno serico? Et clarius alio loco: « aliquis ministrorum Pontificis *albo panniculo lineo* simul... alligat ». 2° Quod alligetur sinistro brachio, hoc item non convenit cum Pontificali, quod habet: « ... *et in manu dextera* candelas ac *mappulas albas* » 3° Quod inducatur paranymphus, hoc est novum, et, ut vidimus, mappula non est alliganda brachio, quod saltem puerile est, sed deferenda ab ipso ordinando. Si vero paranymphus est foeminei sexus, hoc minus etiam convenire patet, tum ob secessum ordinandi ad balaustrium, tum ob actionem in se ipsa spectatam; summa enim reverentia, quae debetur Sacerdoti, praesertim in tam solemni momento, non admittit contactus alterius sexus; neque attendenda esset consanguinitatis ratio, quid enim carni ac sanguini, et clerico, qui iam arctius Deo mancipatur?

Sed quid si consuetudo ita sit inveterata, ut difficulter aboleri queat? Salvo meliori iudicio, nos improbandam omnimode sentimus; est enim nimis absona a mente Ecclesiae; ceterum videant R.mi Episcopi, qui sunt. s. Liturgiae custodes. Ut aliquam videamur indulgentiam concedere parati, possemus admittere, quod iam S. R. C., decreto n. 4257, *Tunquen.*, 30 iulii 1910, ad I, tolerandum censuit, circa patrinos, quos vocant, in prima Missa cantata a Neosacerdote, qui aquam odoriferam ad manuum lotionem fundere consueverunt, sed tantum ad *Lavabo*. Hinc, loco speciosi illius ritus, posset paranymphus, seu patrinus, alium adhibere, nempe, ad lotionem manuum Neopresbyteri aquam fundendo inservire.

Pro Hollandia. — I. Die 25 maii, proximi anni 1917, in secundis Vesperis S. Gregorii VII facienda est prius commemoratio Vigiliae Pentecostes, quae reipsa concurrit, iuxta rubricam Breviarii, post diem octavam Ascensionis positam : « Ad Vesperas autem (feriae sextae), in omnibus Officiis, quae non sint duplicia I vel II classis, fit commemoratio Sabbati sequentis : Ant. *Cum venerit* etc. ℣. *Dominus in coelo* etc. ». Sequentur postea commemorationes S. Philippi Neri et S. Eleutherii.

II. Die 3 februarii, item anni 1917, in Missa de S. Maria in Sabbato secunda oratio est dicenda *Fidelium*, tertia S. Blasii ; non vero secunda S. Blasii et tertia Spiritus Sancti, quia oratio pro defunctis non est habenda uti orationes communes de Tempore, quae omitti queunt, imo debent, nisi detur eis locus. Igitur debet consistere etiam cum illis, si, v. gr. in Missa feriali, ego velim dicere quinque orationes, et semper penultimo loco. Oratio de Spiritu Sancto non est ita propria in Missa de Beata, ut v. gr. oratio de S. Paulo quae numquam omittitur in Missis S. Petri ; secus autem oratio de Spiritu Sancto, si tertia habeatur, etiam in Sabbato omittitur. Ceterum rubricae Missalis, quae maxime in hoc sunt explicitae, id, si opus fuisset, dixissent.

III. Quando in feriis maioribus permittitur ut, loco Missae votivae de B. Maria V., quae impeditur, dicatur oratio de ea in Missa de feria, etiamsi debeant commemorari duplex et semiduplex, orationes imperatae sunt dicendae, ex rubricis post Bullam « Divino afflatu » evulgatis, quae distincte loquuntur de orationibus *praescriptis*, ut scilicet non confundantur cum *permissis*. Et ratio reipsa id suadet, quia non esset conveniens omittere quod ab Auctoritate imperatum est, pro eo quod in privati Sacerdotis arbitrium est positum. Hinc patet, nos non convenire cum Solutore quaestionis e Belgio in his Ephemeridibus positae anno 1914, pag. 489. Sed semper reservationem facere volumus, nisi aliter iam doceant novae rubricae mox vulgandae.

IV. Si Missa votiva de B. M. V. est impedita, et de ea permittitur tantum commemoratio in Missa de feria, vel vigilia, propriam Missam habente, oratio a rubrica praescripta *Fidelium* omitti nequit, ut detur locus orationi de Spiritu Sancto. Rationes sunt eaedem ac supra, scilicet, pro oratione *ad libitum* non potest omitti oratio a rubricis *praescripta*, et oratio de Spiritu Sancto non est stricto sensu propria et connexa cum oratione de Beata Maria. Hinc v. gr. in vigilia S. Thomae Ap. extra IV Tempora, 2ª oratio debet dici de B. M. V., 3ª *Fidelium*, 4ª de feria.

V. Ad fruendum indulto a S. R. C. concesso, celebrandi Missam votivam de B. M. V., de Perpetuo Succursu, in ecclesiis ubi existit altare B. M. sub praefato titulo dicatum, sufficit ut altare habeat solam aram consecratam, et dedicatio sumatur lato sensu, ut nempe, per auctoritatem ordinariam, ibi, tamquam praecipuum cultus obiectum (post Crucem, uti pronum est), B. Maria V. sub illo titulo, stabiliter constituatur. Notetur tamen, nequaquam posse Ordinarium altare fixum alteri Titulari in actu consecrationis dicatum, novo Titulo principali exornare. Diximus supra: « praecipuo cultus obiecto », et hic: « Titulo principali », eo quod, non esset sufficiens qualiscumque imaginis exibitio, v. gr. per novam minorem tabulam addititiam.

Cum igitur ara consecrata, in actu suae consecrationis, nulli dedicetur, integrum semper erit legitimae auctoritati, etiam ordinariae, ipsius dedicationem, pro rerum adiunctis, conficere, quae tamen esset dedicatio lato sensu, nimium enim differt a vera dedicatione, quae fit in altarium fixorum consecratione.

M.

Pro Engolisma in Gallia. — Vidimus commemorationes ut infra; et sine formidiae affirmamus ipsas legi plene esse conformes. Et quia egregius Auctor optat in nostris Ephemeridibus eas illigare, libentissime desiderio suo annuimus.

COMMEMORATIONES AGENDAE	Antiphonae	Versus
16 Maii. — **In Officio S. Germerii Ep. et Conf. dupl.** (*Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. semid. ad ritum Simplicis recolendi).*		
AD 1 VESP.		
1. Pro S. Germerio *occ.*	Sacerdos	Amavit
2. Pro S. can. Bapt. de la Salle Conf. *praec.*	Hic vir	Iustum
3. Pro S. Ubaldo.	Amavit	Elegit
AD LAUDES.		
1. Pro S. Germerio	Euge... dicit	Iustum
2. Pro S. Ubaldo	Sacerdos	Amavit
AD 2 VESP.		
1. Pro Off. S. Paschalis Baylon Conf. *seq.*	Similabo	Amavit
2. Pro S. Germerio *praec.*	Amavit	Iustum
3. Pro S. Ubaldo.	Euge... dicit	Elegit
6 Iunii. — **In Officio S. Bertrandi Ep. et Conf. dupl.** *(Com. S. Norberti Ep. et Conf. dupl. ad ritum Simplicis recolendi).*		
AD 1 VESP.		
1. Pro S. Bertrando *occ.*	Sacerdos	Amavit
2. Pro S. Bonifacio Ep. et Mart. *praec.* .	Sancti et Iusti	Pretiosa
3. Pro S. Norberto	Amavit	Iustum
AD LAUDES.		
1. Pro S. Bertrando.	Euge... dicit	Iustum
2. Pro S. Norberto	Sacerdos	Amavit
AD 2 VESP.		
1. Pro S. Bertrando.	Amavit	Iustum
2. Pro S. Norberto	Euge... dicit	Elegit

COMMEMORATIONES AGENDAE	Antiphonae	Versus
28 Augusti. — **In Off. S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. dupl.** *(Com. S. Viviani Ep. et Conf. dupl. ad rit. Simplicis recolendi).*		
AD 1 VESP.		
1. Pro S. Augustino *occ.*	O Doctor	Amavit
2. Pro S. Iosepho Calasanctio *praec.* . .	Hic vir	Iustum
3. Pro S. Viviano	Sacerdos	Elegit
AD LAUDES.		
1. Pro S. Augustino.	Euge... dicit	Iustum
2. Pro S. Viviano	Sacerdos	Amavit
AD 2 VESP. *(1 Vesp. seq.).*		
1. Pro Decollatione S. Ioan. Bapt. *occ.* .	Propria	Proprius
2. Pro S. Augustino *praec.*	O Doctor	Iustum
3. Pro S. Viviano	Amavit	Elegit
7 Octob. — **Sacrat. Rosarii** (*Com. S. Palladii Ep. et Conf. dupl. ad rit. Simplicis recolendi - et S. Marci Pap. Conf. ac Ss. Mm.*).		
AD 1 VESP.		
1. Pro Sacrat. Rosario *occ.*	Propria	Proprius
2. Pro S. Brunone Conf. *praec.*	Hic vir	Iustum
3. Pro S. Palladio tantum	Sacerdos	Amavit
AD LAUDES.		
1. Pro Sacrat. Rosario	Propria	Proprius
2. Pro s. Palladio	Euge... dicit	Iustum
3. Pro S. Marco I. Pap. et Conf. . . .	Sacerdos	Amavit
4. Pro Ss. Mm.	Vestri capilli	Exsultabunt
AD 2 VESP.		
1. Pro S. Rosario.	Propria	Proprius
2. Pro S. Birgitta Vid. *seq.*	Simile est	Specie tua
3. Pro S. Palladio	Amavit	Iustum

M. CAN. SARRAZIN.

Quaestiones Liturgicae.

Quaer.: — Quandonam tertius versus in Hymno ISTE CONFESSOR sit mutandus?

Resp. I. Circa mutationem tertii versus in Hymno *Iste Confessor* in Breviario Romano, editionis typicae Vaticanae, iterum impressae anno 1915, habentur sequentia:

1° In Communi Confessorum Pontificum et non Pontificum dicitur ad tertium versum Hymni *Iste Confessor:* « *Si non est dies obitus (quod indicant in Proprio litterae m. t. v.) dicatur:* **Hac die laetus meruit supremos**

Laudis honores ».

2° Insuper in praefato Breviario ad festa Sanctorum Confessorum, quae a die sua natalitia in proxime sequentem diem reposita sunt, habentur quaedam verba ad litteras m. t. v. adiuncta, nimirum:

1) **3 Decembris.** — S. Francisci Xaverii Conf. dupl. mai.: « *Si de hoc festo in I Vesperis facta fuerit tantum commemoratio, m. t. v.* ».

2) **4 Decembris.** — S. Petri Chrysologi Ep. Conf. et Doct. dupl.: « *(m. t. v.), nisi tamen alicubi I Vesperas habeat* ».

3) **14 Ianuarii.** — S. Hilarii Ep. Conf. et Doct. dupl.: « *(m. t. v.), nisi tamen alicubi I Vesperas habeat* ».

4) **23 Februarii.** — S. Petri Damiani Ep. Conf. et Doct. dupl.: « *(m. t. v.), nisi tamen I Vesperas habeat, saltem a Capitulo* ».

5) **17 Septembris.** — In Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci Conf. dupl.: « *In Hymno* **Iste Confessor** *tertius et quartus versus sic legantur:* **Hac die laetus meruit beata**

Vulnera Christi ».

6) **19 Octobris.** — S. Petri de Alcantara Conf. dupl.: « *(m. t. v.), nisi tamen alicubi I Vesperas habeat* ».

7) **4 Novembris.** — S. Caroli Ep. et Conf. dupl.: « *Si de hoc festo in I Vesperis facta fuerit tantum commemoratio, m. t. v.* ».

8) **13 Novembris.** — S. Didaci Conf. dupl.: « *Si de hoc festo in I Vesperis facta fuerit tantum commemoratio, m. t. v.* ».

II. Ex praedictis, et inspectis decretis anterioribus S. R. C. sequentia principia statui possunt:

1°. — « Quoad mutationem faciendam in Hymno *Iste Confessor*, etc., fiat haec quando a Breviarii Rubrica iniuncta est (1). Nec praedicta mutatio fiet, quando Officium festivum Sancti habentis Octavam non ultra Octavam transfertur; quia tota Octava nihil aliud est quam extensio ipsius festi, et ideo versus idem per reliquos Octavae dies, qui forte supererunt, retinebitur » (2). (*S. R. C. 2 sept. 1741, ad 3, n. 2365*).

2°. — Si festum alicuius S. Confessoris a die sua natalitia in proxime sequentem diem transferri per accidens vel perpetuo contingat, et saltem a Capitulo de illo translato festo Vesperae per se fiant, tunc, sicut dicendum est *Meruit beatas* in I Vesperis, ita eodem modo continuandum ad Matutinum et Vesperas sequentis diei. Si autem in I Vesperis de illo festo facta fuerit tantum commemoratio, tunc mutatur tertius versus Hymni ad Matutinum et II Vesperas (*Vide supra verba adiecta ad plura festa Confessorum in Proprio Sanctorum et S. R. C. 13 Iunii 1899, n. 4033*).

(1) I. e., quotiescumque Sancti Confessoris Officium agitur extra sui obitus diem, quod in Proprio Breviarii indicant litterae *m. t. v.*

(2) Reliqua verba huius responsi sunt: « In festo translato Stigmatum S. Francisci nulla est facienda mutatio in Hymno, quae quidem servanda est in festo S. Ioachim, Dominica infra Octavam Assumptionis celebrando », quod ultimum festum hodie recolitur die 16 augusti vi decreti S. R. C. 28 octobris 1913. *Cum autem hoc decretum publicatum fuerit, postquam illa pars operis mei, « S. Liturgiae Promptuarium », vol. II, typis data erat, non erat in mea potestate dictam mutationem ibi indicare.*

3°. — Quaestio est, an iste tertius versus etiam mutandus sit, si festum S. Confessoris, a die sua natalitia in proxime sequentem diem perpetuo repositum, per *accidens* tantum habeat primas Vesperas, saltem a Capitulo?

Resp. Circa hanc quaestionem habetur sequens S. R. C. decretum in *Basileen.*, quod ita sonat: « Dubium II. In Dioecesi Basileensi die 22 martii sub ritu duplici minori celebratur Festum Beati Nicolai de Flüe, qui obiit die 21 martii 1487 et huiusmodi Festum, concurrens cum Festo S. Benedicti Abbatis, sub ritu duplici maiori recolendo, tantum commemorationem habet in primis Vesperis. Quod si incidat in Feriam II post aliquam Dominicam Quadragesimae vel Dominicam Passionis, et de illo recitandus sit Hymnus *Iste Confessor* in I Vesperis, quaeritur: debetne mutari tertius versus in Hymno, et haec mutatio indicari in novis editionibus Proprii dioecesani, a S. Rituum Congregatione die 30 septembris 1869 approbati? ». Et S. R. C. respondit: « Ad II. Affirmative, ut in Festo S. Hyacinthi Conf. die 16 augusti » (*Die 14 martii 1896 ad II, n. 3892*).

Uti patet, cum hodie ex novis Rubricis Dominicae maiores gaudeant praelatione maiori, tam in occurrentia quam in concurrentia, illud Festum B. Nicolai de Flüe, utpote ritus duplicis, concurrens cum aliqua Dominica Quadragesimae vel Dominica Passionis, non amplius habere potest I Vesperas, ne a Capitulo quidem. Item illud decretum non amplius applicabile est Festo S. Hyacinthi, cum hoc Festum in perpetuum hodie repositum sit in die 17 augusti, et consequenter non amplius inveniatur in proxime sequenti die a die sua natali.

Sed nunc quaestio est, utrum illud principium saltem, in supra memorato decreto enuntiatum sit abolitum, necne?

Cl. D. Dr. Th. Van Oppenraay, in periodico *Nederlansche Katholicke Stemmen*, mense ianuario huius anni, p. 27, tenet, illud decretum una cum suo principio, utpote in casu non amplius applicabile, esse abolitum. Attamen idem auctor in eodem articulo paulo supra dicit: « Novum Breviarium principium, in decreto S. R. C. d. 14 martii 1896

ad II, n. 3892, stabilitum, adhuc applicat Festo S. Alphonsi; non autem Festo S. Damiani. Nonne hoc contradictionem sapiat? (1).

Iuxta opinionem meam decretum praefatum, et praesertim principium in supra memorato decreto stabilitum, nullimode est abrogatum. Rationes pro hac assertione sunt:

a) Suppone quod S. Benedictus Abbas alicubi in Dioecesi Basileensi sit Patronus principalis loci vel Titularis Ecclesiae et Festum B. Nicolai de Flüe ad ritum duplicis II classis pro tota illa Dioecesi elevetur. In illo loco Festum S. Nicolai in I Vesperis *per se* tantum commemorationem habet, utpote concurrens cum S. Benedicto dupl. I classis. Quod si vero hoc Festum (scilicet B. Nicolai) incidat in Feriam II post aliquam Dominicam Quadragesimae vel Dominicam Passionis, tunc Festum S. Benedicti, utpote incidens in dictam Dominicam, transferendum est in primam sequentem diem liberam iuxta novas Rubricas, et in II Vesperis praefatae Dominicae fiunt I Vesperae de illo Beato, utpote habente ritum dupl. II classis (*Vide nov. Rubr. Psalterii, tit. VI, n. 1*), et consequenter *per accidens* eo anno Hymnus *Iste Confessor* in illis Vesperis dicendus est. — Manendo ergo in stricto sensu praefati decreti, dici nequit illud decretum esse abolitum, utpote non amplius applicabile.

b) Insuper principium in praefato decreto S. R. C. stabilitum adhuc potest esse applicabile pluribus aliis Festis Sanctorum Confessorum, quae reposita sunt a die sua natalitia in proxime sequentem diem. Est enim sententia communissima auctorum, quod decreta et declarationes S. R. C. etiam in similibus casibus obligent (2); haecque sententia

(1) Infra, in fine huius articuli, opinionem meam exprimere volo circa Festum S. Alphonsi; pro Festo autem S. Petri Damiani vide supra novum Breviarium, I, 2.

(2) Cf. MERATI ad GAVANT. P. III, tit. XI, n. 3; CAVAL. tom. I, c. VI, Decr. 3, n. 4; BOUIX, *de Iure liturgico*, P. II, sect. 2, c. 6, prop. 3; NOUV. *Revue Théologique*, tom. X, p. 479. et seqq.; MAC-KIERNAM, ap. *Ephemer. Liturg.*, vol. II, p. 175;

fundata est super plura S. R. C. decreta (1). — Porro principium, in praefato decreto 14 martii 1896 ad II stabilitum, est sequentis tenoris: *m. t. v.*, si in quadam Dioecesi (seu Instituto religioso) Festum alicuius Sancti Confessoris, a die sua natalitia in proxime sequentem diem perpetuo repositum, *per se* primas Vesperas non habeat, ne quidem a Capitulo, ac eiusmodi mutatio in Proprio dioecesano (seu Instituti religiosi) indicanda est; haecque mutatio tertii versus etiam servanda est, si in aliquo anno *per accidens* illud Festum I Vesperas (saltem a Capitulo) habeat. — Quisnam igitur cum certitudine hodie enuntiare possit, decretum supra memoratum in casu simili non amplius esse applicandum? Ego hoc sustinere non auderem, cum iuxta me in explanandis S. R. C. decretis servanda sint universalis iuris praescripta, inter alia nempe: 1. « *Cum expediat concordare iura iuribus, eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari* » (C. *Cum expediat*, 29, *De electione*, etc.) — 2. Iuristarum axioma: « *Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori* ».

c) Demum, uti supra, in nostro responso II, 1° vidimus, mutatio tertii versus in Hymno *Iste Confessor* facienda est, quando a Rubrica Breviarii iniuncta est, nimirum quando in Proprio Sanctorum inveniuntur litterae *m. t. v.* — Insuper iuxta ipsum decretum d. 14 martii 1896 ad II, n, 3892, haec mutatio tertii versus in novis editionibus Proprii dioecesani, a S. R. C. approbati indicanda est, quamvis in casu Festum B. Nicolai de Flüe per accidens I Vesperas habet. Nonne ex hoc sequitur, quod in simili casu, si eiusmodi festum per accidens I Vesperas habeat, Breviarii rubrica, scilicet mutatio tertii versus servanda sit?

Dr. Haine, *Theol. Mor. Elementa*, tom. I, q. 8 *de Legibus*, Gabriel de Varceno, *tract. de Legibus*, p. 72, edit. XI; etc.

(1) Cf. Decreta S. R. C., n. 1950; n. 2319, *Reliq. dub.* ad 14; n. 2887 ad 3; n. 3933; n. 3945; etc.

Pro conclusione, videamus quid dicendum sit circa mutationem tertii versus in Hymno *Iste Confessor* in Festo S. Alphonsi Maria de Ligorio, quod ab Ecclesia universali celebratur die 2 augusti. Hic Sanctus, uti dicunt eius vitae scriptores (1), obiit die 1ª augusti, tempore meridiano, ad campanae sonitum *Angelus Domini*. In novo Breviario Romano, editionis Vaticanae anno 1915 iterum inpressae, non invenitur in Festo S. Alphonsi Maria de Ligorio die 2 augusti mutatio tertii versus in Hymno *Iste Confessor,* quamvis die 1 augusti in I Vesperis hic Sanctus solummodo commemorationem habet. Ratio ob quam in die 2 Augusti non habetur mutatio illius tertii versus in dicto Hymno est iuxta me, quia S. Alphonsus obiit, quando iam inchoaverat dies ecclesiasticus, i. e. a tempore quo Vesperae illius diei recitari possunt, etiam in publica recitatione. Nonne haec etiam sit ratio, ob quam in Martyrologio Romano S. Alphonsi elogium in die 2 augusti ponitur, quin ibi exprimatur eius natalem diem fuisse die 1ª augusti? Quidquid sit, cum in novissimo Breviario valde accurate positum sit ad Festa Sanctorum Confessorum, quae habent mutationem tertii versus in Hymno *Iste Confessor*, idcirco pro S. Alphonso, quamvis in I Vesperis solummodo commemoretur, ille tertius versus mutari non debet ad Matutinum et II Vesperas eiusdem Officii.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. Cap.

---

(1) Vide « Vita di S. Alfonso Maria de Ligorio », Romae edita anno 1839, pag. n. 214; item P. Antonio Maria Tonnoia, « Opere Morali di S. Alfonso Maria de Ligorio », vol. X, « della Vita ed Istituto di S. Alfonso », Torino 1869, pag. 736.

Notandum.

I.

A nostro subscriptore R.mo A. Mazzi, lectori assiduo Ephem. Liturg. *et eximio Liturgista, accepimus quandam censuram circa responsum datum ab uno e nostris adlaboratoribus, de stipendio Missarum. Plurima gratias eidem A. Mazzi rependimus, et hic explicationem a solutore exaratam libenter damus:*

Circa doctrinam, quam numero praecedenti harum Ephemeridum pag. 70 *de mercimonio Missarum* praebuimus, hic aliquam explicationem addere opportunum putamus. Doctrina quam loco citato tradimus, quod nempe « *seclusa omni studiosa collectione non sit illicitum merces, diaria, libros cum Missarum applicatione permutare* », etc., una cum decretis ibi allatis, integraliter deprompta fuit ex E.mi Card. d'Annibale opere (*Summula Theol. Mor.,* P. III, n. 191 cum nota 34. edit. V, anni 1908), *quae editio,* ut ibi dicitur, « *fuit diligenter revisa et novissimis SS. Congregationum Decretis locupletata* ». — Haec autem doctrina non omnino consentanea videtur iis quae habentur in Decreto posteriori S. Congr. Concilii *Ut debita,* d. 11 maii 1904, n. 10. ubi dicitur: « Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis aut ephemeridibus inire ope Missarum, omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de Missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat ».

Notanda sunt verba praefati Decreti: « *...quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat* ». Si itaque illa permutatio non in usum et habitudinem cedat, nec in subsidium alicuius commercii vergat, illa permutatio non censetur prohibita (1). Et in hoc sensu praefata verba E.mi Card. d'Annibale hodiedum sunt intelligenda et explicanda.

P. V. ab A.

---

(1) Hinc cl. Canonista A. Vermeersch in suo Comment. super Decr. *Ut debita* (*Period. de Religios. et Mission.*, tom. I, p. 50) dicit: « Privatus quidam vir, *honeste et simpliciter,* in nullius operis subsidium, poterit, *per occasionem,* et nulla utendo coactione, cum Sacerdote convenire de alia re pro stipendio libere accipienda ».

II.

Libenter gratias agimus Rev.mo C. Hartman prof. Seminarii Rysemburgen. in Hollandia assiduo lectori nostrar Ephemerid. qui opportunissime notavit omissionem expositionis in secundam partem responsionis 72 decreti in Lucionen. *in nostro Commentario (Ephem. Liturgicae, ianuar. huius anni, p. 7).*

Responsum datum a S. R. C. n. 72 sic se habet: « In Missa privata dum celebrans sacram Comunionem administrat; clericus eum comitari cum cereo accenso non debet, sed manere debet genuflexus in cornu Epistolae.

Primam partem huius responsionis clare exposuimus, non vero secundam, ideoque quis supponere posset, quod clericus non debeat manere genuflexus in parte Epistolae, prout videtur praecipi a responsione S. R. C.

Candide confitemur, ex distractione nos omississe expositionem huiusmodi secundae partis; et ideo nunc omissioni ipsi supplere satagimus.

Iuxta declarationem nostram circa vim verbi *debere* procul dubio, clericus non tantum potest, sed et debet manere genuflexus in parte epistolae, dum celebrans Communionam distribuit. Nihilominus, non ex verbi significatione, sed aliunde putamus nos insistere posse in data expositione primae partis. Et sane, si summo mane Missa celebretur, et tenebrae non adhuc fugatae fuerint, procul dubio clericus comitari debet sacerdotem communionem distribuentem; ut facilius et sine ulla trepidatione munus sum expleat; item, sicut dicitur in responsione 73, si licet servari consuetudinem quando Missa lecta celebretur solemniter, qua acolythi cum facibus comitantur celebrantem qui Communionem distribuit, non videmus quomodo eadem consuetudo servari nequeat in locis, in quibus Episcopi eandem non tantum commendent, sed iubeant.

Iuvat hac de re citare decretum S. R. C. d. d. 26 martii 1859 in Tarnovien., n. 3086 ad II, in quo dicitur, quod in casu magnae frequentiae fidelium communicantium, plura

genuflexoria linteo contecta hinc inde ordinentur, et *in extremitatibus interiecti spatii, duo saltem candelabra disponantur quae perpetuo colluceant, dum fidelibus circum adgeniculatis sacra Communio, distribuitur*. Ergo etiam in casu nostro, optime potest clericus comitari sacerdotem cum candela accensa.

Esto quod responsio decreti in *Lucionen.* dicat aperte: *manere debet genuflexus in cornu Epistolae*; quia debet manere genuflexus, certo certius, nisi comitetur sacerdotem ex particulari praecepto episcopali, aut ex laudabili consuetudini, quam servari posse autumamus, revera vergit in maiorem reverentiam Ss.mi Sacramenti.

Et sane, si consuetudo ista aperte repugnaret Rubricis Missalis vel Caeremonialis, vel Ritualis, vel etiam Decretis generalibus, tunc et nos eam admittendam non esse diceremus; ut edixit S. R. C. suo decreto d. 12 dec. 1832 numero 2697; quia vero non tantum non repugnat, sed imo congruit, illam conservandam esse censemus; iuxta decreta 299 et 2609.

Dr. P. Piacenza.

De modo externam festorum solemnitatem celebrandi.

Pro dioecesi Divionensi. — I. Auctores valde inter se discordant de commemorationibus faciendis in Missa *Solemnitatis translatae*. Alii praescribunt solam commemorationem Dominicae faciendam esse; alii, innixi decreto recenti, diei 28 octobris 1913, § 1, n. 2, volunt, in Missa Solemnitatis translatae addi orationem de Officio diei (i. e. Dominicae) et alias omnes, quae dicendae forent si festum in ipsa Dominica incidisset; quibus fidendum? An decreta anteriora, speciatim decretum generale n. 3754, et aliud 4273 ad VI, censeri debeant abrogata *per posterius*, diei 28 octobris 1913?

Resp. Ardua res est; ut enim alias vidimus in hisce *Ephemeridibus* (fascic. 8, an. 1915, pagg. 500–502), variae datae fuerunt a S. Sede normae pro variis casibus (iis quas exposuerunt *Ephemerides*, l. c., possent addi et aliae), ita ut, usquedum S. C. non

det normas generaliores (iuvat sperare fore ut hoc fiat in novissimis editionibus Missalis, quas expectamus), standum sit *pro singulis casibus* dispositionibus particularibus hucusque vulgatis.

II. A tempore Concordati, an. 1801, anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum Galliae recolebatur, quoad Officium et Missam, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, in *omnibus* omnino ecclesiis Galliae, sive consecratis sive non. Porro certum est, Officium liturgicum in alia die hodie celebrari. Certum pariter est, *Solemnitatem externam* hoc die adhuc recoli posse in ecclesiis *consecratis*: an etiam in aliis, ut olim? Alii affirmant alii tacent. Placeat, quaeso, dare responsionem, quae in praxim deduci valeat.

Resp. Iuxta novum ius liturgicum constitutum, dedicatio ecclesiarum, quando fit eius Officium cumulative, scilicet uno die pro omnibus ecclesiis, nequit recoli nisi in ecclesiis consecratis (S. R. C. die 28 octob. 1913), et quidem ita ut singulae ecclesiae proprium celebrent anniversarium (S. R. C. die 12 febr. 1914, I). Quod dicitur de Officio, applicari debet etiam ad externam solemnitatem, quae hodie recolatur in Dominica, in qua ante diem 28 octobris 1913 de dedicatione fiebat Officium. In ecclesiis ergo non consecratis nihil fieri potest, quia prout abolitum ibi est Officium dedicationis omnium ecclesiarum, ita abolita censenda est solemnitas, quae nullum amplius habet fundamentum. Quid enim transfertur, ubi non existit id quod transferatur? Id a fortiori post declarationem S. Sedis, quod in dedicatione omnium ecclesiarum intelligitur recoli dedicationem propriae ecclesiae.

Hoc tamen dicimus cum aliqua haesitatione, quia benignior interpretatio forte dari potest locutioni: « festorum quae hucusque (13 oct. 1913) alicui Dominicae affixa erant (V. fascic. praec., pagg. 52, 53) ». Sed quid interest, modo, ecclesiarum quae non sunt propriae?

Alicubi concessum erat a S. Sede Officium dedicationis quarundam ecclesiarum, sub ritu consueto in ecclesia propria, sub duplici maiori extra eam (vide in praeced. fasciculo, pag. 55, n. I.). Haec est singularis concessio, proveniens ex mera Legislatoris voluntate, non ex natura rei, quemadmodum dispositum est fieri ubique de Basilicis maioribus Urbis. Id factum est ratione subiectionis, non in sensu recentium decretorum, sed latiori. Istiusmodi ergo indulta adhuc perseverant. M.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

Quaestio.

Robertus parochus solet quotidie, vespere, sacram pyxidem fidelibus in ecclesia parochiali exponere pro consueta SS.^{mi} Sacramenti visitatione, etiam cum parvus fidelium numerus in ecclesia adstat, eisque benedicere cum eadem pyxide, velo humerali non cooperta, osculans denique eam, iuxta veterem loci consuetudinem. Quaeritur :

1. *Potestne exponi et quomodo sacra pyxis?*

2. *Qui numerus fidelium requiritur in ecclesia, ut sacra pyxis exponi possit?*

3. *Potestne servari consuetudo populo benedicendi pyxide, velo humerali non cooperta, et eam denique osculari?*

4. *Quid dicendum de Roberto?*

Solutio.

Ad I. *Potestne exponi et quomodo sacra pyxis?*

Resp. Pyxis ad expositionem SS. Sacramenti non destinatur: ipsa enim praescribitur a Rituali Rom. ad hoc tantum ut asserventur sacrae particulae, quae ad infirmos praesertim deferuntur. Cum igitur SS. Sacramentum publicae venerationi exponatur, adhibendum est ostensorium,

cum Episcopi licentia. Hoc in praxi. Permittitur tamen adoratio SS. Eucharistiae in sacra pyxide ob aliquam, aut publicam aut privatam, causam, vel ob visitationem de more vespertinam, quin tamen e tabernaculo detrahatur, ostiolo tantum aperto, cum sex saltem luminibus accensis, et praesente aliquo ad adorationem sacerdote, superpelliceo ac stola induto: id consonat cum decretis S. C. EE. et RR. et S. R. C.

Quoad vero usum, qui in nonnullis ecclesiis invaluit, extrahendae sacrae pyxidis, eiusque sub umbella collocandae, Benedictus XIV, ita declaravit: « Penitus interdicitur sacram pyxidem ob privatam causam extra tabernaculum efferri ac velatam sub umbella collocari » (*Inst.* 30. *n.* 16). Idem S. R. C. suis decretis nn. 800, 2577 ad 2, 2725 ad 4, 3394 ad 1 sancivit; neque deponenda super altari: S. R. C. 2769, III, 3. Et Episcopi, quidquid consuetudini Sedis Apostolicae adversatur, tolerare prorsus nequeunt.

Ad II. *Qui numerus fidelium requiritur in ecclesia ut sacra pyxis exponi possit?*

Resp. Quoad numerum fidelium, qui adstare debent in ecclesia, ut possit sacra pyxis exponi, nihil, quod nobis constet, a sacra liturgia praescribitur.

Distinguendum tamen est inter privatam et publicam expositionem. Quoad primam non requiritur, ut nos opinamur, certus fidelium numerus, cum sufficiant sacerdos superpelliceo et stola indutus et sex lumina accensa, uti permissum est *Sacerdotibus Adoratoribus,* eo vel magis quod interdicitur, hoc in casu, sacram pyxidem extra tabernaculum efferre, et non praescribitur populo benedicere. Quoad vero publicam expositionem, res ipsa exigit ut certus fidelium numerus adstet, qui SS. Sacramentum adorent, eisque benedictio impertiatur. Opinamur autem ut alius fidelium numerus pro expositione solemni in ostensorio requiratur, et alius pro expositione cum sola pyxide in tabernaculo cum ostiolo aperto in visitatione de more vespertina. Diximus *opinamur,* quia non desunt auctores qui dicunt: quoad

numerum fidelium adstantium expositioni nil statutum est; quapropter quaecumque expositio sit, solemnis scilicet vel simplex, publica vel privata, cum ostensorio vel pyxide, quisquis numerus adstantium sit, statutas functiones fas est continuari, et prorsus omnem anxietatem deponere (Cfr. De Amicis, *Caer. Paroch.*, t. II, pars V, c. V, art. 5, n. 13). In hoc altero casu expositionis pyxidis permitti potest sacerdoti ut, facta visitatione, fidelibus adstantibus benedicat, etiamsi parvus sit eorum numerus.

Ad III. *Potestne servari consuetudo populo benedicendi cum pyxide, velo humerali non cooperta, et eam denique osculandi?*

Resp. Pyxis, ut est in Rituali Rom., debet esse semper velo humerali cooperta, et cum SS. Eucharistia infirmis adfertur, et cum benedictio populo impertitur. Ita S. R. C. die 21 martii 1699; 23 febr. 1839; 21 febr. 1896: contraria consuetudine non obstante. Et ad dubium: « Negative », die 13 iulii 1883.

Dedecet autem et contradicit liturgicis praescriptionibus, imo penitus prohibetur usus osculandi sacram pyxidem, ut in casu, vel etiam Hostiam sacram cum in sancto Sacrificio sumitur.

Ad IV. *Quid dicendum de Roberto?*

Resp. Robertus, in casu, haud est arguendus, si visitationem SS. Sacramenti non omittat, vel parvo fidelium numero adstante, cum pyxide tamen in ciborio et ostiolo aperto, fidelibus denique benedicendo, ut supra dictum est.

Male autem se gerit pyxidem non velando dextro limbo veli humeralis in benedictione impertienda, et sacram pyxidem denique osculando.

Quaestio.

In ecclesia Pauli parochi consuetudo invaluit ut *Passio*, in Hebdomada Maiori, canatur a Celebrante in altari, a Diacono in ligneo suggestu vel in ambone,

et a cantoribus laicis ab organo, sonantibus eodem organo aliisque musicis instrumentis.

Quaeritur :

1. *Quomodo cani debet* Passio, *iuxta Rubricas?*

2. *Licetne, in eodem cantu, uti organo, et quibus temporibus hic usus prohibetur?*

3. *Quid dicendum de supradicta consuetudine?*

Solutio.

Ad I. *Quomodo cani debet iuxta Rubricas?*

Resp. Passio, iuxta Caerem. Ep., in Missa solemni a tribus diaconis seu sacerdotibus, diaconorum vice fungentibus, distinctis a diacono et subdiacono Missae, canenda est (lib. 2, c. 21, n. 14).

Ubi tres diaconi seu sacerdotes non inveniuntur, tunc a celebrante, diacono et subdiacono cantari potest (Merati, p. 4, tit. 7, n. 30). Defectu sacrorum ministrorum, cantari non permittitur a celebrante et duobus cantoribus, in maioribus Ordinibus non constitutis. Passionis textus evangelicus nequit cantari ab organista, etsi hic sit clericus minorista vel subdiaconus S. R. C. 22 martii 1862 ad 10, n. 3110. Permitti tamen potest, ut in cantu Passionis diaconus, qui repraesentat synagogam, eas tantum sententias cantent, quae ab uno proferuntur, ut a Petro, Caipha, Pilato, etc.; sententiae vero turbae cantentur a schola, ordinarie ex laicis conflata (S. R. C. decr. n. 4044 ad 2). Si *Passio* cantetur a tribus diaconis, hi, circa finem *Tractus,* ad altare accedunt, idest ad locum ubi Evangelium cantari solet: qui evangelistae personam agit, tenet medium locum habens ad dexteram suam eum qui personam Christi agit, et qui turbarum ad sinistram suam (Cfr. Martinucci, lib. VI, tit. 1. c. XI, n. 86; Gavantus, P. 4, tit. 7, n. 19).

Si *Passio* a celebrante, diacono et subdiacono, ordine diaconali insignito, cantetur, celebrans cantat partem Chri-

sti in cornu Evangelii (S. R. C. DD. nn. 2740 ad 2, 3804 ad 3); diaconus vero et subdiaconus se sistunt iuxta se invicem in plano ad cornu Evangelii, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris diaconi.

Passio autem cantari permittitur in ambone tantum in aliquibus vetustis ecclesiis, in quibus adhuc existat, ubi, in Missis solemnibus, Evangelium cantari solet.

Ad II. *Licetne, in eodem cantu, uti organo, et quibus temporibus hic usus prohibetur?*

Resp. Organa, iuxta Caerem. Ep. (*lib. I, cap. 28,* n. 1 et 2), non pulsantur in officiis et Missis quae celebrantur: I. In dominicis *Adventus* et *Quadragesimae,* excepta dominica 3.ª *Adventus* et 4.ª *Quadragesimae,* quibus in utrisque vesperis solemnibus et Missa, sonitus organi permittitur; II. In Missis de requie et in officiis defunctorum: Item in functionibus stricte liturgicis a feria V. in Coena Domini post *Gloria,* usque ad sabbatum sanctum ad *Gloria;* IV. Cum generatim celebratur in paramentis violacei coloris, exceptis Missis, in quibus Ministri uti possunt dalmatica et tunicella, colore violaceo non obstante (S. R. C. 2 septembris 1741, n. 2365 ad 4): ab hac generali regula excipitur Missa votiva Passionis, quae celebrari solet quibusdam locis in feriis VI. anni, qua in Missa violaceus color adhibetur, neque organum pulsatur (Decr. gen. 3922, IV, 2); (1) V. Prohibetur etiam organum in cantu *Passionis,* in Matu-

(1) Pretium est operis hic addere quod scribit cl. De Amicis in *Caer. Parochorum.* « Non desunt, ait ipse, qui contendunt licitum esse etiam in missis et officiis temporis adventus aut quadragesimae voces cantorum organi sono sustinere ac confirmare, ita ut, iuxta illos, solummodo prohibeantur interludia organi figuratum aliquid modulantis, tacentibus vocibus. Ita etiam senserunt nostrae *Ephemerides,* nec deficit vi fundamentum, ex quo in Caerem. Episc., pro missis defunctorum et ferialibus, dicitur: *silent organa cum silet cantus;* cur autem non in dominicis, cum sonus organi esset magis necessarius? ».

tino tenebrarum, in cantu *Lamentationum*, *Miserere*, necnon in aliis liturgicis partibus (Decr. 3804 ad 2). Potest tamen adhiberi in ceteris functionibus non liturgicis maioris hebdomadae, ut tres horae agoniae D. N. I. C., Via Crucis, pium exercitium Mariae ss. Desolatae. Ceterum sit omnibus persuasum, cantum, ut ex gravibus praescriptionibus Ecclesiae, debere esse rigorose liturgicum, qui nempe *Gregorianus* dicitur, vel figuratum polyphonum (*Caerem. Ep. l. II, c. 20, n. 4*); et « ut *Passio*, quae canitur, bono adstantibus exemplo sit, necesse est ut antecedenter cantores inter se de hoc cantu conveniant, nec dissonae sint eorum diversae voces » (*Martinucci*, l. II, c. 22, n. 97).

Ad III. *Quid dicendum de supradicta consuetudine?*

Resp. Ex supra dictis liquido patet consuetudinem, quae invaluit in ecclesia Pauli, ut *Passio* canatur a diacono in ligneo suggestu, non vero in presbyterio, ubi Evangelium cani solet, aut a quovis alio ecclesiae loco, et a cantoribus laicis ab organo, esse reprobandam, utpote Rubricae contrariam. Contra permittitur ut canatur a sacerdote celebrante, ut supra dictum est, ex altari, et a duobus diaconis vel ex ambone in illis vetustis basilicis, in quibus adhuc existat, vel ubi Evangelium cantari solet in Missis solemnibus.

Ad rem denique redit hic referre solutionem sequentium dubiorum, quae Canonicus decanus et Vicarius de Choro ecclesiae primatialis Pisanae a S. R. C. proposuit, die 20 mart. 1903: I. « An, feriis IV., V. et VI. Maioris Hebd., attenta antiqua consuetudine, tolerari possit ut cantus *Lamentationum*, *Responsoriorum* et psalmi *Miserere* fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis instrumentis, sine strepitu, *a corda: violini, viole, controbassi* nuncupatis? II. Et quatenus negative ad I., an saltem tolerari possit in casu sonus tantum instrumenti *Harmonium?* » Et S. Congr. respondendum censuit: « Negative ad utrumque, iuxta Caerem. Ep. l. I, c. 27, et decreta 2959 ad 1, *Taurinen.*, 3804 ad 2. *Goana*, et 4044 ad 1, *Bonaeren.*

Quaestio.

Theodorus capellanus cuiusdam hospitalis domus infirmorum, quotiescumque Sacramentum Extremae Unctionis pluribus infirmis, in eodem cubiculo degentibus, admnistrat, solet una tantum vice, plurali numero, omnes preces, a Rituali Romano praescriptas, recitare, nec utile reputans nec necessarium, pro unoquoque ipsorum eas repetere.

Pro aliquo autem infirmo, qui ei nauseam praebet, solet formula breviori uti, ungens nempe tantum frontem cum pollice, gossypio (vulgo *bambagia*) cooperto.

Quaeritur :

1. *Qui ritus praescribitur in admnistranda Extrema Unctione pluribus infirmis, ut in casu?*

2. *Quandonam licet uti formula breviori et gossypio?*

3. *Quid dicendum de Theodoro?*

Solutio.

Ad I. *Qui ritus praescribitur in administranda* Extrema Unctione *pluribus infirmis, ut in casu?*

Resp. De casu, in quo pluribus simul infirmis, in eodem cubiculo degentibus, Sacramentum *Extremae Unctionis* administratur, ut in morbis contagiosis et in nosocomiis saepius contingere potest; Rituale Rom. nihil praescribit. Perillustres autem auctores a S. R. C. approbati ac commendati (de Herdt, unus sit nobis instar omnium : *Praxis S. Lit. P. VI, Rit. Rom.* n. 209), multis ac validis argumentis, modum assignant administrandi hoc Sacramentum ut in casu. Igitur preces ante et post unctiones semel recitentur, unicuique autem Crux osculanda porrigatur, et unctiones cum formis super singulos infirmos repetantur ; item preces et orationes

post *Viatici* et *Extremae Unctionis* administrationem recitentur in plurali, saltem si commode fieri possit; alias enim sufficit easdem in singulari numero pronuntiare, quia singulariter dicta de unoquoque, seorsum sumpta etiam intelliguntur.

Ad II. *Quandonam licet uti formula breviori et gossypio?*

Resp. Licet uti formula breviori in administratione *Extremae Unctionis* tantum in casu instantis mortis. Quinimo sacerdos, cum prudenter timetur aegrotum decessurum priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungere potest, formam universalem pronuntiando: *Per istam sanctam unctionem, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Et interim inungendo caput, ex quo omnium sensuum nervi descendunt, v. g. in fronte vel in parte magis ad unctionem exposita (Bened. XIV. de Syn. dioec. l. 8, c. 3). Antiquitus haec erat praxis: si infirmus adhuc respirabat, sacerdos singulorum sensuum unctiones prosequi debebat, addendo *per visum*, *auditum* etc., inungendo unum oculum, unam aurem, etc., quia certum non erat, uti ait Benedictus XIV. (l. c.), unicam unctionem ad Sacramenti validitatem sufficere. Nunc temporis vero Congregatio S. Officii per decretum diei 25 apr. 1906 rescripsit: « In casu verae necessitatis, idest in casu mortis imminentis, sufficere formam: *Per istam..... indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen* ». « Cum igitur (ait de Siena-Bellacosa in VII ed.) citatum decretum S. Officii penitus sustulerit verbum *sensus* in casu verae necessitatis, confirmatur, et certa redditur opinio eorum, qui dicunt unctionem quinque sensuum non esse de essentia, sed sufficere unam tantum unctionem, quia ex Divo Iacobo simplex unctio praecipitur. Unde si aeger adhuc supervivat, sunt dicendae orationes praetermissae, ut ait Rituale Rom., non vero sunt addendae unctiones singulorum sensuum, quia forma brevis, in casu verae necessitatis, statuta a Congr. S. Off., non est conditionata sed absoluta ». Concludendum igitur est, *unctionem quinque sensuum non esse dicendam de necessitate Sacramenti,*

sed de necessitate praecepti: ita ex citato Auctore. Nos autem dicimus certo non esse supplendas peculiares sensuum unctiones, quia post decretum cit. S. Officii, *licite* et *valide* sic ministratur sacramentum: si ergo confectum est, *nequit*, perficiendo reliquas unctiones, *iterari*. De morbis contagiosis autem, Rituale Rom. mentionem non facit, etiamsi casus satis sint frequentes et praevisi; inde igitur concludendum est Rituale supponere omnia modo ordinario esse peragenda, nihilque omittendum aut mutandum, nisi grave adsit periculum, in quo necessitas excuset et leges Ecclesiae cessent. — Gravi existente infectionis periculo, unctio non tantum renum, sed etiam pedum omitti potest, quia neutra pertinet ab substantiam Sacramenti (S. Alph. th. mor. l. 6, n. 710. — Bened. XIV. de Syn. l. 8, c. 3, n. 2). Item celeriter inungi possunt quinque organa sensuum sub forma semel prolata, omnes sensus exprimendo: *Per istam..... quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum.*

Quinimo si gravissimum sit contagii periculum « sufficit inungere organum illius sensus, qui patentior, sive inunctioni magis expositus se offert » sub forma praedicta, uti ostendit Benedictus XIV. (de Syn. l. 13, c. 19, n. 29), vel breviori, ut supra. Sacerdos enim unicam unctionem, non vero quinque sensuum inunctionem ob infectionis periculum, praesertim si propinquum non sit, haud omittere potest: ita ait Benedictus XIV. (de Syn. l. 8, c. 3. — S. Alph. l. 6, n. 710). Et iuxta eumdem Benedictum XIV., gravi existente infectionis periculo, unctiones fieri possunt cum virgula, cuius extremae parti alligatus sit gossypii pugillus sacro imbutus Oleo, quae deinde comburatur aut servanda purgetur. Non videtur in casu sustinenda sententia alicuius auctoris dicentis: Optimum autem remedium est administrare confidenter et intrepide: saepius enim fit, ut, quo plura adhibentur media, eo magis excitetur timor, et eo maius detur periculum.

Sed si haec praxis valet in casibus instantis mortis et in morbis contagiosis, haud servari potest in casu in quo

infirmi nauseam tantum praebeant sacerdoti hoc Sacramentum administranti, nisi forte, ut patet, nullimode valeat illam superare.

Ad III. *Quid dicendum de Theodoro?*

Resp. Theodorus ergo optime facit in hospitali domo infirmorum cum administrat *Extremam Unctionem* pluribus infirmis in eodem cubiculo degentibus, recitans, una tantum vice, plurali numero, omnes preces a Rituali Rom. praescriptas. Male autem se gerit formula breviori utens, ungens nempe solam frontem infirmi, cum pollice gossypio cooperto, tantum quod ei nauseam praebeat, nisi forte ut supra.

(Continuabitur).

BIBLIOGRAPHIA

The new Missal in English. New York — *Benzinger Brothers 1905.*

Missale istud lingua anglica redditum fuit in commodum fidelium, qui Missae Sacrificio adsistentes desiderant meliori modo sequi et intelligere tum preces celebrantis, tum caeremonias Sancti Sacrificii. Pagg. 86-89 disponuntur pro *Laicis* opportunissime *Caeremoniae* in quibus distincte et perbelle traduntur revera caeremoniae quae iuxta litteram et spiritum Rubricarum Missalis, etiam a Laicis explere debent. Utinam et in libris precum qui pro populo christiano eduntur, breves istae notiones circa caeremonias in functionibus a fidelibus ipsis explendas, ederentur, scilicet modus et tempus se signandi signo crucis; modus, genuflectendi, sive genuflexione simplici sive duplici; quando sedendum, quando genuflectendum, quando standum sit. Item summopere iuvat caeremoniarum et rituum explicationem summariam tradere, ut cum cognitione et oblectamento devoto ad sacras functiones assistere possint et simplices fideles.

Hoc egit Rev.dus amicus noster A. J. Sculte Liturgiae Professor in Seminario S. Caroli civitatis Overbrook, qui speciali studio Liturgiam Romanam illustrare satagit, et etiam inter fideles divulgare, maxime ut uniformitas in ecclesiis Americae Septentrionalis obtineatur; etenim qui ex una ad aliam regionem se confert, valde congruit ut iisdem modis et ritibus ad catholicae Ecclesiae functiones sacras pariformiter interesse queat. Ut de una tantum caeremonia verba faciamus, traditur modus quo accedere debent

fideles ad sacram Communionem, qui a Parochis in instructione dominicali facile edoceri posset, ut huiusmodi actus inter omnes solemnissimos christianae plebis, digne, devote riteque perficeretur.

Qui Missale istud percurrit, inveniet regulas pro missis celebrandis, tum festivis, tum ferialibus, tum votivis, tum etiam defunctorum, iuxta ultimas Apostolicae Sedis praescriptiones. Missa Ss.mi Nominis Iesu inter missas de Tempore, sicut Officium in novissimo Breviario, optime collacata est. Item Missa in solemnitate s. Ioseph, assignata est feria IV ante Dominicam III post Pascha.

Nova distinctio Octavarum iuxta novissimas Rubricas indicata suis locis est. Quoniam vero in America inveniuntur plurimae Ecclesiae dicatae vel Sacrae Familiae, vel Maternitati B. M. V. etc., opportune in fine huiusmodi Missalis positae sunt Missae quoque harum festivitatum, quae olim pro aliquibus locis inveniebantur ut in praedictis Ecclesiis, in festo Titularis, fideles missam propriam sub oculis habere queant.

In fine autem ritus et preces traduntur pro absolutione Defunctorum et delatione cadaveris ad sepulturam, ac etiam (pagg. 130–139) editor speciales preces pro opportunitate posuit, ita ut huiusmodi Missale summopere utile se praebeat, et valde gratulationes nostras exprimimus editoribus, qui in servitium laicorum hoc libellum provulgarunt.

Dr. P. Piacenza.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† Ioseph Ceppetelli, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DECLARATIO

Circa obligationem divini Officii recitandi clericorum in sacris constitutorum, qui lege civili coacti in bello versantur.

Quum plura dubia atque quaesita circa declarationem, a Sacra Poenitentiaria die 15 martii 1912 datam (1), huic Sacro Tribunali proposita fuerint, ad tollendam deplorabilem ac a Sanctae Sedis mente prorsus alienam interpretationis latitudinem, qua praedicta declaratio ad omnes generatim extenditur Clericos in Sacris constitutos, qui in praesenti bello quomodocumque inter milites accensentur, Sacra Poenitentiaria, ne Sanctae Sedis benignitas in grave vertatur spiritus ecclesiastici detrimentum, muneris sui esse ducit, an-

(1) Declaratio sic sonat: « Utrum ab Officii Divini lege liber « existat clericus in Sacris constitutus, quem bellica convocatio seu, « ut aiunt, mobilitatio ad functionem adiudicavit militis vel activi « vel ministrantis commilitonibus vulneratis? Quatenus negative, di- « gnetur Sanctitas Vestra praefatos clericos durante bello eximere ».

Resp.: Ad primam partem: Durante bello eiusque proxima praeparatione *affirmative*.

Ad secundam partem: *Provisum in prima.*

nuente Ss.mo Domino nostro Benedicto Pp. XV, sequentem authenticam edere declarationem:

« Clerici qui, licet in Sacris constituti sint, nihilominus coacti fuerunt interesse bello, tum solum excusantur ab obligatione Divini Officii recitandi quum actu in acie seu in linea et loco certaminis versantur; secus vero tenentur ad Divinum Officium in horis liberis quo meliori modo potuerint recitandum; in casu vero gravis sui vel aliorum incommodi se gerere possunt ac debent (audito si potuerint proprio confessario) iuxta normas generales a Theologis traditas ».

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 17 martii 1916.

GULIELMUS CARD. VAN ROSSUM, *Poen. Maior.*

L. ✠ S.

I. Palica, *S. P. Secretarius.*

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Die 12 Ianuarii 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus in quo Rev. D. Ernestus Cassinari, *Congregationis Missionis quaestionem enodavit*

De colore stolae in Communionis extra Missam distributione adhibenda.

Post Censorum animadversiones R. D. Petrus M. De Amicis *C. M. epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Fulgosius, rector cuiusdam ecclesiae, cui iuxta liturgicas leges adamussim deservire satagit, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, disponit ut Communio extra Missam distribuatur cum stola nigri coloris, sequentes ob rationes: 1. Quia prohibitio communicandi cum nigra stola, respicit omnes dies per annum in quibus color Officii diei numquam potest esse nigri coloris; iis enim diebus, licet Missa pro defunctis celebretur, haec non est nonnisi Missa votiva, et color stolae Communionis cum colore Missae de die concordare debet. 2. Quia, si celebrari potest Missa in colore nigro, quod est maius, bene poterit et Communio distribui cum stola nigra, quod est minus; eo vel magis quia hodie Missa celebranda in die Commemorationis Oo. Fid. Def. est vera Missa de die, et non amplius votiva, prout

erat ante annum 1912. 3. Quia in Feria VI maioris Hebdomadae, non tantum celebratur Missa Praesanctificatorum, sed et transfertur processionaliter SS.ma Eucharistia in paramentis nigris. 4. Quia Communio extra Missam intimam connexionem habet cum Missa, et ritus communicandi fideles, non est nisi pars rituum ipsius Missae, ita ut in novissima editione typica Ritualis Romani a S. R. C. nuperrime adprobata, praescribatur, quod conclusio orationis *Spiritum nobis, Domine,* non amplius sit brevis, quia brevis conclusio orationum numquam adhibetur in celebratione Missae, sed longa; itemque quod ritus benedictionis populo impertiendae, post Communionem extra Missam, idem sit ac ille quo utimur in fine Missae. Sacerdotes ecclesiae aegre assentiuntur rationibus Fulgosii, quia dispositio ab eo data est contraria consuetudini universali, et S. R. C. decretis; quaerunt ergo:

1. *Quae regula sequenda circa colorem paramentorum tum altaris, tum ministrorum, in Missis et aliis functionibus SS. Sacramenti?*

2. *Quid disposuerat S. R. C. circa distributionem Communionis in Missa pro defunctis, antiquitus, et quid postea sub Pio IX?*

3. *Quid valeant rationes a Fulgosio adductae, et utrum in casu suadendum sit illi ut recursum faciat ad S. R. C. pro authentica declaratione?*

Solutio.

Quoad I, cum responsum diffusius in fasciculo secundo nostrarum Ephemeridum liturgicarum, currentis anni, dederimus, a pag. 94 ad 97; satis videtur hic 1° doctrinam cl.

Quarti ad propositam quaestionem textualiter citare; deinde 2° coronidem addere quae in novissimo opusculo liturgico **Consuetudines in functionibus liturgicis** posuit cl. Petrus De Amicis.

Quoad colorem quo uti debemus quando Missa discordat ab Officio, clarissimus auctor Paulus Maria Quarti sic habet: « ... in vigiliis occurrentibus infra Octavas dicuntur omnes Missae de vigilia cui congruit color violaceus: Officium vero fit de Octava cui congruit color albus, vel rubeus. Item feria III Rogationum, quando in ea non occurrit festum, Missae dicuntur de Rogationibus quibus congruit color violaceus, non item Officio ».

« Certum est autem paramenta seu vestes sacerdotales debere esse coloris Missae conformis ut in exemplis positis coloris violacei. Difficultas ergo est de pallio altaris. Aliqui dicunt paramenta altaris debere esse convenientia Officio, ita Gavantus in Rubr. Miss. par. 1, tit. 18 n. 6; sed non videtur absolute verum, ut patebit ex dicendis ».

« Respondeo, et dico primo, dum cantatur Officium in choro, paramenta altaris erecti ad usum chori coram quo celebrantur divina Officia, debent esse coloris Officio convenientis. Probatur: debent esse proportionata functioni sacrae, quae celebratur coram altari: ergo in casu nostro, tempore divini Officii debent esse convenientia Officio.

« Dico secundo, dum in eodem altari ad usum chori destinato celebratur Missa, praesertim conventualis et solemnis, pallium altaris cum pulvino debet esse coloris Missae convenientis. Probatur eadem ratione; quia debent esse proportionata functioni quae tunc exercetur in altari. Et eadem ratio est de Missis privatis praesertim si plures Missae in eodem altari essent celebrandae completo Officio. Ad quem usum aptari solent pallia quae facile amoveri et reponi possunt ».

« Dico tertio, si non possint commode mutari pallia altaris praedicti ad usum chori destinati, decentius videtur ut pallium altaris sit coloris convenientis Missae. Probatur,

quia, ut supra dicebamus, paramenta altaris debent esse proportionata sacrae functioni quae in ipso exercetur: ergo si functio sit duplex et moraliter non possit servari proportio et conformitas cum utraque, recta ratio dictat ut servetur proportio cum illa quae potior est et dignior: siquidem id quod est dignius trahit ad se minus dignum: sed Missa est functio multo sacratior et dignior Officio, ergo, etc. »

« Confirmatur quia altare primo et principaliter erigitur propter Sacrificium, et maiorem habet connexionem cum Missa, quam cum Officio, ergo, etc. »

« Colligitur tempore Officii, quando non celebratur Missa in altari, pallium altaris debere esse conveniens Officio, ut patet ex dictis. Et contra, quando in eodem altari celebratur Missa, pallium debere esse coloris Missae convenientis. Cetera vero altaria extra chorum absolute ornari debent palliis Missae convenientibus » (Pars 1, tit. XVIII, de coloribus param. dub. III).

Gradum facimus ad coronidem in opusculo liturgico cl. De Amicis iam citato:

« Si in illa ecclesia vel oratorio nullimode habeatur officiatura choralis, et ibi illo die non fiat alia functio, diversum colorem exigens, nostro iudicio nulla lex severe exigit ut color conopaei et pallii altaris mutetur. Aliis verbis, color, ex. gr. *violaceus* in quadragesima est et ipse color *officii diei*, nam tam Missa de sancto in quadragesima occurrens, quam Missa de feria sunt vere Missae de die; nisi ergo sanctus occurrens (ex. gr. s. Ioseph) celebretur cum magna solemnitate, nihil prohibet in ecclesiis, quotidianum Officium chorale non habentibus, quominus maneat conopaeum et pallium coloris violacei, qui et ipse, ut diximus, color est diei. Igitur, usquedum in altari non peragatur alia functio solemnis alium colorem exigens, puta Missa cantata vel de Cruce, vel de Beata, optime servari potest color violaceus in casu, licet occurrat eo die Officium IX lectionum » (cfr. quaest. XXXVI, pag. 129).

Ad II. Quid disposuerat S. R. C. circa distributionem

Communionis in Missa pro defunctis, antiquitus, et quid postea sub Pio IX?

Fas est respondere cum verbis Generalis Decreti sub n. 3177: « Post liturgicas leges a Summis Pontificibus Pio V, Clemente VIII, Paulo V et Urbano VIII, inter doctores et rubricistas gravis controversia exarsit an in Missis defunctorum aperiri possit tabernaculum ad ministrandam sacram Synaxim fidelibus. Ad rem interrogata S. R. C. utrum in Missa de requie conveniat communionem fidelibus ministrare, vel post illam, et in casu convenientis administrationis post Missam cum paramentis nigris, utrum conveniat dari benedictionem; an vero benedictio omittenda, respondit: « Non esse contra Ritum: si tamen administretur communio post Missam omittendam esse benedictionem » (D. 1711 ad 2). Verum controversia nondum composita, identidem S. R. C. peculiaribus in casibus responsa dedit, quin unquam ad generale decretum deveniret. Interea ex nonnullorum Doctorum placitis, tum pervasit opinio posse nempe fidelibus sanctam Eucharistiam ministrari particulis tantum in Missa pro defunctis consecratis; tum in aliquibus locis mos invaluit Missae defunctorum celebrandi in paramentis violaceis, ut non solum intra Missam, sed etiam ante et post eamdem pietati fidelium sacra Eucharistia refici cupientium satisfieret. Quapropter, Episcopis praesertim Sacrorum Rituum Congregationem saepissime rogantibus ut per Generale Decretum quid hac in re faciendum sit statueret:

« Sacra eadem Congregatio anno 1823 edixit ut gravis haec quaestio *videretur peculiariter et ex Officio*. Quod iterum anno 1837 ad dubium: « An mos qui perdurat adhuc, communicandi in Missis defunctorum cum particulis praeconsecratis, possit permitti? » responsum est: *Dilata*. Nihilominus ob temporum ac rerum circumstantias isthaec peculiaris negotii huiusmodi salebrosi disquisitio ad aetatem usque nostram dilata fuit; siquidem in Conventu die 16 septembris anni 1865 collecto, cum ageretur de usu coloris violacei in Missis defunctorum in altari ubi ss. Eucharistiae

Sacramentum asservatur, responsum fuit tertio: « Dilata, et reproponatur una cum alio dubio: An sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles cum paramentis nigris ».

Tandem novis supervenientibus sacrorum Antistitum precibus, die 3 martii anni 1866, in ordinariis sacrorum Rituum Congregationis Comitiis propositum fuit dubium una cum sententia, quam ex officio aperuit alter e Consultoribus: « An sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles in paramentis nigris? ». Verum E.mi et R.mi Patres Cardinales videntes non omnem difficultatem remotam esse, iterum responderunt: « Dilata; et scribat alter Consultor (cl. Aloisius Marchesi, Congregationis Missionis) nec non Assessor, reassumptis omnibus ad rem facientibus, habita praesertim ratione relate ad opportunitatem ».

Typis traditis communicatisque hisce sententiis tum R.mi Assessoris tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarium Magistris specialiter deputati, Sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunata est: ubi E.mus et R.mus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani, loco et vice E.mi et R.mi Cardinalis Constantini Patrizi Praefecti absentis, idem proposuit dubium.

Et E.mi et R.mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature accurateque perpensa, etiam quoad opportunitatem, votum cl. Aloisii Marchesi acceperunt, quod iam ab Assessore ratum fuerat, et responderunt: « Affirmative, seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo Pyxidem a tabernaculo. Posse, item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam: in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo die

2 novembris ss. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum ».

Et ita decreverunt ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, servari mandarunt. Die 27 iunii 1868.

Facta autem per Secretarium Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit, die 22 iulii eiusdem anni 1868.

Sed quid dicendum de stolae colore in administranda extra Missam S. Communione?

Ad hanc quaestionem ita respondent *Ephemerides Liturg.*, an. 1902, p. 151 et 19: « Alteram quaesitus partem explanaturi dicimus: Rituale Romanum, sub titulo « *Ordo administrandi sacram Communionem* », statuit, colorem stolae extra Missam, in casu, esse debere *coloris Officii illius diei convenientis*. Disputatum est plurimum, an sub dictione *Officii* intelligendum foret Officium canonicum proprie dictum, an *Missae solius celebratio*, ad quam referri potius videtur Communio, *quando color unius diversus est ab alterius*, v. gr. Feria V in Coena Domini, et in Vigilia Pentecostes. Sed nulla extante positiva eaque clariori sanctione, liberum cuique putamus unius aut alterius usum, una extante *congruentiae* ratione pro *Missae colore* (1). Alia item agitata fuit quaestio, an scilicet adhiberi valeret semper color *albus*, prout congruentior ipsi Eucharistico Sacramento. Latum olim fuit a S. Rituum Congregatione Decretum in *Tridentina*, die 12 mar-

(1) Guyetus (*Heortologia*, lib. III, Cap. XXX, q. 11) opinatur pro ista congruentia. Dicit enim: « Quando vero Officium et Missa discordant, ut contingit in Vigiliis infra Octavam occurrentibus, et feria III Rogationum, color altaris retineatur conformiter Officio, color vero vestium sit iuxta exigentiam Missae. Ita Gavant., p. I, tit. 18, n. 6: *Quamquam, si per tempus licet, paramenta quoque ipsius altaris mutare convenit. Itidem in Missa ieiunii in die qua occurrit festum* ».

tii 1836, n. 4777, huius tenoris: « ... 13. An stola pro ministranda ss. Eucharistia extra Missam *semper esse debeat* coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel potius esse *debeat* alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent Doctores? » et responsum: « Ad 13. Iuxta Ritualis Romani Rubricam; debet esse coloris Officio illius diei convenientis ». Sed in nova collectione, ab eadem S. Congregatione reformatum fuit dubium et responsum hoc in sensu: n. 2740 « ... 12. An stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam esse *debeat* coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel etiam esse *possit* alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, *ceu* multi censent Doctores? » Ad 12: « Affirmative ad utrumque ». Quo decreto consuetudo sententiae Baruffaldi (1) adhaerens legitima facta est, et commoditati Ecclesiarum fuit prospectum, firma tamen semper manente Ritualis dispositione.

---

(1) En verba cl. Auctoris (Tit XXIV, nn. 22-27): « ..... De stolae colore modo hic aliquid superaddendum. Praecipit Rubrica in hoc paragrapho, ut color stolae sit conveniens Officio illius diei. Color albus procul dubio est praecipuus, et conveniens color in administratione Eucharistiae. Ita qui de Eucharistia scribunt affirmant; et recenter Hippolytus a Portu Soc. Iesu, in eius libro *de cultu Dei, et Hominum,* p. 3, c. 1, ubi de Missa solemni in Feriae 5 Coenae Dominicae tractans num. 18 quaerit: an tali tempore Ecclesiae Altaria minora violaceis parentur palliis? Et respondet affirmative, rationem subdens: quia *in illis Altaribus cessat ratio coloris albi, nempe celebratio Missae de Venerabili.* Igitur color albus est color pro Venerabili administrando. Huic opinioni adstipulatur Div. Carolus, Prov. I, p. 1, loquens de hoc Sacramento ministrando alio post tempore, quam in Sacrificio Missae, et dicit: *superpelliceo stolaque alba (et ubi ritus Ambrosianus est, rubra) utatur.* Ex quo patet etiam necessaria diversitas horum colorum, ob distinctionem Ritus Romani a Ritu Ambrosiano. Rubrica vero nostra nimis clare loquitur contra hunc Ritum, dum dicit, debere Sacerdotem induere stolam convenientem colori Officii illius diei, adeo ut color albus non admittatur nisi in diebus, in quibus albo colore utitur Ecclesia universalis.

Similiter quoad stolae colorem a Sacerdote adhibendum, qui ad S. Communionem accedit, in nova Collectione invenitur, sub die 4 iulii 1879, eamdem S. Congregationem in *Antibaren.* et *Scodren.*, n. 3499 ad 1, respondisse: « Sacerdos communicans utatur stola eiusdem coloris ac Sacerdos, qui ministrat, vel coloris albi », dum in veteri Collectione tacebantur haec postrema verba.

Modo hic est addendum ultimum decretum, a S. R. C. d. 19 aprilis 1912, X (Act. Apost. Sedis, vol. IV, p. 323) *circa novas Rubricas* editum, post primam editionem typicam Psalterii, de colore stolae utendo in administratione S. Communionis extra Missam, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum. Ibi quaeritur: « Quo colore utendum est in Communione extra Missam administranda in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum? » Et S. Congr. respondit: « *Utendum colore violaceo, aut albo* ».

Ad III, quid valeant rationes a Fulgosio adductae, et utrum in casu suadendum sit illi ut recursum faciat ad S. R. C. pro authentica declaratione?

Rationes a Fulgosio adductae quatuor sunt:

a) *Prohibitio communicandi cum nigra stola, respicit omnes dies per annum, in quibus color Officii diei numquam potest esse nigri coloris; iis enim diebus, licet Missa pro defunctis Celebretur, haec non est nonnisi Missa votiva, et color stolae Communionis cum colore Missae de die concordare debet.*

Haec ratio est quidem satis ingeniosa, et bono fundamento innixa, si unica ratio inspiciatur coloris Officii diei, ipsa tamen inopportuna, cum competens Auctoritas contrarium declaraverit. Et sane S. R. C. ad dubium: « Quo colore utendum est in Communione extra Missam administranda in die commemorationis omnium fidelium defunctorum ». Respondit; « Utendum colore violaceo aut albo », die 19 april. 1912, quando scilicet die 2 novembris Officium Defunctorum iam erat Officium diei.

b) *Si celebrari possit Missa in colore nigro, quod est maius; a fortiori licet distribui Communio cum stola nigra, quod est minus; eo magis quod Missa in die commemorationis omnium fi-*

delium defunctorum non amplius Missa votiva, sed de die censenda est.

Procul dubio facultas celebrandi Missam in paramentis nigris, res est maioris ponderis quam distribuere tantummodo Communionem ut patet. In celebratione Missae enim, non tantum distribuitur Communio, sed conficitur Sacramentum, elevatur et sumitur. Si ergo potest integra Missa celebrari in paramenti nigris, videretur quod item posset et Communio distribui cum stola nigra; maxime hodie, postquam Missa diei 2 novembris est, ut supra notatum fuit, Missa de die. Nihimominus, in hac tractatione quidquid sit de convenientia vel non, standum est competentis Auctoritatis decisioni. Atqui, S. R. C declaravit quod in casu stola debet esse vel coloris albi, vel coloris violacei, ergo non est insistendum in argumento Fulgosii. Forsan S. R. C. Communionis extra Missam distributionem, considerat tamquam functionem separatam, uti ex. gr. Benedictio cum ss. Sacramento, quae pariter dari numquam potest in paramentis nigris; sicut nec in paramentis nigris cantari potest Missa in die 2 novembris coram ss. Sacramento exposito.

c) *In feria VI in Parasceve non solum celebratur Missa Praesanctificatorum in paramentis nigris, sed et transfertur processionaliter ss. Eucharistia.*

In Missa praedicta adhibentur iuxta Rubricam a celebrante et ministris paramenta nigri coloris ad exprimenda tristitiam, moerorem et luctum in morte Salvatoris nostri. Velum autem humerale et baldachinum pro processione debent esse *alba*, iuxta Instructionem Clementinam (§ XVIII), quia, inquit Cavalieri apud Tetamum (Not. in Fer. VI in Parasc., cap. 8, n. 214), licet Christus recolatur ut mortuus, attamen in Eucharistia, quae per processionem defertur, est vivus ac gloriosus, quod ultimum designatur per velum humerale album et primum per paramenta nigra celebrantis et ministrorum. Insuper hic notandum est quod in feria VI in Parasceve s. Communio populo ministrari non liceat, nisi ad Viaticum infirmis ministrandum, quo in casu illud ministratur cum superpelliceo et stola coloris *albi,* iuxta Rubr.

Ritualis Rom. de *Communione infirmorum*. Ex paramentis nigris itaque, quae feria VI in Parasceve adhibentur, nihil concludi potest pro legitimo usu stolae coloris nigri in Communione populo administranda diebus in quibus permittuntur paramenta *nigra* pro Missa.

d) ***Communio extra Missam intimam connexionem habet cum Missa, et ritus illius non est nisi pars rituum ipsius.***

Notandum est quod iuxta graves auctores Communio ante et post Missam non sit pertinens ad actionem Missae, sed simpliciter et omnino extra Missam (Cf. Tetamum in Notand. in 2 nov., cap. 2, n. 72). Hinc Benedictus XIV (*de Sacrific. Miss.*, l. 3. c. 18, n. 12) concludit cum Merato, « posse in Missis defunctorum Eucharistiam, sive in eadem, sive in alia Missa consecratam distribui, ***dummodo id nec fiat ante vel post Missam,*** sed intra eamdem Missam post ipsius Sacerdotis Communionem; praescribit enim Rituale Romanum, ut extra Missam ministretur Eucharistia cum superpelliceo et stola coloris, qui Officio eius diei convenit, vel coloris albi, ut aliqui censent, qui color convenit Sacramento Eucharistiae, ***Cum requiratur*** (sunt verba Merati) ***semper vel color conveniens diei, ut praescribit Rituale Romanum, vel color albus valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent auctores*** ».

Cum autem decretum generale S. R. C. et 27 iunii 1868 sub Pio IX editum iam permittat ut S. Communio etiam *extra Missam* distribuatur in paramentis *nigris,* et iuxta Rubricam Missalis paramenta altaris, celebrantis et ministrorum cum colore Officii diei concordare debeant, quando color Missae est eiusdem coloris, videretur quod verba praedicta Benedicti XIV et praescriptio praefata Ritualis Rom. nullum valorem haberent diebus in quibus permittuntur Missae *de Requie;* sed solummodo valorem haberent, ***quando color Officii et Missae diei concordat.*** Et, admissa plurimorum auctorum sententia, Communionem cum Missa relationem omnino habere; nihilominus, iuxta allatum decretum, die 19 aprilis edito, non consequitur stolam in casu coloris nigri posse ahiberi. Ergo, ex dictis, dissuadendum est, ut recursum habeatur ad S. R. C. pro authentica declaratione supra praedicta.

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1917

Paschate occurrente die 8 Aprilis.

(Continuatio, V. n. 3 curr. anni, pagg. 143-150)

MENSE MAIO.

† 1. Fer. III. *Rub.* **SS. PHILIPPI ET IACOBI APP.** *dupl 2. class.* — In Vesp. com. seq. diei Oct. (ut in I. Vesp. Festi) et S. Athanasii E. C. D.

2. Fer. IV. *Alb.* **Octava Solemnitatis S. Ioseph** *dupl. mai.* — Com. S. Athanasii in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. Oct. et S. Athanasii *Rub.*

† 3. Fer. V. *Rub.* **Inventio S. Crucis** *dupl. 2. class.* — Com. Ss. Alexandri I. P. et Soc. Mm. ac Iuvenalis E. C. in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. com. seq.

4. Fer. VI. *Alb.* **S. Monicae Vid**. *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

5. Sabb. *Alb.* **S. Pii V. P. C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. ac S. Ioannis Ap. ante Portam Latinam.

✠ 6. **Dom. IV. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Ioannis in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Ioannis.

7. Fer. II. *Rub.* **S. Stanislai E. M.** *dupl.* Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*

8. Fer. III. *Alb.* **Apparitio S. Michaelis Arch.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

9. Fer. IV. *Alb.* **S. Gregorii Nazianzeni E. C. D.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac Ss. Gordiani et Epimachi Mm.

10. Fer. V. *Alb.* **S. Antonini E. C.** *dupl.* — Com. Ss. Gordiani et Epimachi in Laud. et Miss. — In Vesp. nulla com.

11. Fer. VI. *Alb.* **De ea**. — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

12. Sabb. *Rub.* **Ss. Nerei, Achillei et Domitillae V. ac Pancratii Mm.** *semidupl.* — Vesp. de seq. Dom. com praec. *Alb.*

✠ 13. **Dom. V. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — In Vesp. com. S. Bonifatii M.

14. Fer. II. **Rogationum — Litaniae Minores** — *Viol.* **De ea** — Com. S. Bonifatii in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

15. Fer. III. **Rogationum — Litaniae Minores** *Alb.* **S. Ioannis Baptistae de la Salle C.** *dupl.* — In Miss. 2. or. Rogationum — In Vesp. com. seq.

16. Fer. IV. **Rogationum et Vigilia Ascensionis — Litaniae Minores** *Alb.* **S. Ubaldi E. C.** *semidupl.* — Com. Vigiliae in Laud. — In Miss. 2. or. Vigiliae 3. Rogationum — Vesp. de seq. sine com.

De S. Paschale Baylon C. hoc anno nihil.

✠ 17. Fer. V. *Alb.* **ASCENSIO D. N. I. C.** *dupl. 1. class. cum Oct. priv. III. ord.* — In Vesp. com. seq.

18. Fer. VI. *Rub.* **S. Venantii M.** *dupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec., Oct. et S. Pudentianae V. *Alb.*

19. Sabb. *Alb.* **S. Petri Caelestini P. C.** *dupl.* — Com. Oct. et S. Pudentianae in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec., S. Bernardini Senen. C. et Oct.

✠ 20. **Dom. infr. Oct. Ascens.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Bernardini et Oct. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) et S. Bernardini.

21. Fer. II. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Vesp. de Oct. sine com.

22. Fer. III. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Vesp. de Oct. sine com.

23. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Vesp. de seq. die Oct. (ut in I. Vesp. Festi) sine com.

24. Fer. V. **Octava Ascensionis** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq. et S. Urbani I. P. M.

25. Fer. VI. *Alb.* **S. Gregorii VII. P. C.** *dupl.* — Com. fer. et S. Urbani in Laud. et Miss. — In Vesp. com. Off. seq. (ant. *Cum venerit* ℣. *Dominus in coelo*) S. Philippi Nerii C. et S. Eleutherii P. M.

26. Sabb. **VIGILIA PENTECOSTES** *1. cl. Alb. in Off.* — *Viol. ad Proph.* — *Rub. in Miss.* — Com. S. Philippi et S. Eleutherii in Laud. tantum — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

De S Beda Venerabile C. D.
et de S. Ioanne I. P. M. hoc anno nihil.

✠ 27. **DOM. PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. class. cum Oct. priv. I. ord.* — In Vesp. nulla com.

De S. Augustino E. C. hoc anno nihil.

† 28. Fer. II. **PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. class.* — In Vesp. nulla com.

De S. Maria Magdalena de Pazzis V.
hoc anno nihil.

† 29. Fer. III. **PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. class.* — In Vesp. nulla com.

30. Fer. IV. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semidupl.* — Com. S. Felicis I. P. M. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Angelae Mericiae et S. Petronillae V.

31. Fer. V. **Infra Oct.** *Rub. semidupl.* — Com. S. Angelae et S. Petronillae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Angelae.

MENSE IUNIO.

1. Fer. VI. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semidupl.* — In Vesp. com. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi E. Mm.

2. Sabb. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semidupl.* — Com. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. Dom. *Alb.*

Explicit tempus Paschale.
Incipit Pars Aestiva Breviarii.

✠ 3. **Dom. I. p. Pent.** *Alb.* **SS. TRINITATIS** *dupl. 1. class.* — Com Dom. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et Dom.

4. Fer. II. *Alb.* **S. Francisci Caracciolo C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. *Rub.*

5. Fer. III. *Rub.* **S. Bonifatii E. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. *Alb.*

6. Fer. IV. *Alb.* **S. Norberti E. C.** *dupl.* — Vesp. de seq. sine com.

† 7. Fer. V. *Alb.* **SS. CORPORIS D. N. I. C.** *dupl. 1. class. cum Oct. priv, II. ord.* — In Vesp. nulla com.

8. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — In Vesp. com. Ss. Primi et Feliciani Mm.

9. Sabb. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. Ss. Primi et Feliciani in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. diei infra Oct. et S. Margaritae Reg. Vid.

✠ 10. **Dom. II. p. Pent. et Infra Oct.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. Oct. et S. Margaritae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) S. Barnabae Ap. et S. Margaritae.

11. Fer. II. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. S. Barnabae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Barnabae, S. Ioannis a S. Facundo C. ac Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.

12. Fer. III. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. S. Ioannis a S. Facundo ac Ss. Mm. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Antonii de Padua C. ac S. Ioannis a S. Facundo.

13. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semidupl.* — Com. S. Antonii de Padua in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. die Oct. (ut in I. Vesp. Festi) com. S. Basilii E. C. D. et S. Antonii de Padua.

14. Fer. V. *Alb.* **Octava Ss. Corporis D. N. I. C.** *dupl. mai.* — Com. S. Basilii in Laud. et Miss. — In Vesp. nulla com.

De Ss. Vito, Modesto atque Crescentia Mm.
hoc anno nihil.

15. Fer. VI. *Alb.* **SS. CORDIS IESU** *dupl. 1. class.* — In Vesp. nulla com.

16. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. Dom. sine com. *Vir.*

✠ 17. **Dom. III p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — In Vesp. com. seq.

18. Fer. II. *Rub.* **Ss. Marci et Marcelliani Mm.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.

19. Fer. III. *Alb.* **S. Iulianae de Falconeriis V.** *dupl.* — Com. Ss. Gervasii et Protasii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

20. Fer. IV. *Rub.* **S. Silverii P. M.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

21. Fer. V. *Alb.* **S. Aloisii Gonzagae C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

22. Fer. VI. *Alb.* **S. Paulini E. C.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.

23. Sabb. **Vigilia Nativ. S. Ioannis Bapt.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. Dom.

✠ 24. **Dom. IV. p. Pent.** *Alb.* **NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTAE** *dupl. 1. class. cum Oct. comm.* — Com. Dom. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et Dom.

25. Fer. II. *Alb.* **S. Guilelmi Abb.** *dupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Oct. *Rub.*

26. Fer. III. *Rub.* **Ss. Ioannis et Pauli Mm.** *dupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi).

27. Fer. IV. *Alb.* **De IV. die infra Oct.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. Oct.

28. Fer. V. **Vigilia Ss. Petri et Pauli App.** *Alb.* **S. Leonis II. S. C.** *semidupl.* — Com. Oct. et Vigiliae in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

✠ 29. Fer. VI. *Rub.* **Ss. PETRI ET PAULI APP.** *dupl. 1. class. cum Oct. comm.* — In Vesp. nulla com.

30. Sabb. *Rub.* **Commemoratio S. Pauli Ap.** *dupl. mai.* — Com. S. Petri et Oct. S. Ioannis in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec., S. Petri, Dom. et diei Oct. S. Ioannis (ut in I. Vesp. Festi).

MENSE IULIO.

✠ 1. **Dom. V. p. Pent.** *Rub.* **PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C.** *dupl. 2. class.* — Com. Dom. et Oct. S. Ioannis in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec. Dom. et Oct. S. Ioannis.

2. Fer. II. *Alb.* **VISITATIO B. M. V.** *dupl. 2. class.* — Com. Ss. Processi et Martiniani Mm. in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. nulla com.

3. Fer. III. *Rub.* **De V. die infra Oct. Ss. Petri et Pauli App.** *semidupl.* — Vesp. de Oct.

4. Fer. IV. *Rub.* **De VI. die infra Oct. Ss. Petri et Pauli App.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. Oct. *Alb.*

5. Fer. V. *Alb.* **S. Antonii Mariae Zaccariae C.** *dupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. die Oct. com. praec. *Rub.*

6. Fer. VI. *Rub.* **Octava Ss. Petri et Pauli App.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

7. Sabb. *Alb.* **Ss. Cyrilli et Methodii Epp. Cc.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. ac S. Elisabeth Reg. Vid. *Vir.*

✠ 8. **Dom. VI. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Elisabeth in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Elisabeth.

9. Fer. II. *Vir.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

10. Fer. III. *Rub.* **Ss. Septem Fratrum Mm. et Ss. Rufinae ac Secundae Vv. Mm.** *semidupl.* — In Vesp. com. seq.

11. Fer. IV. *Rub.* **S. Pii I. P. M.** *simpl.* — Vesp. de seq. com. Ss. Naboris et Felicis Mm. *Alb.*

12. Fer. V. *Alb.* **S. Ioannis Gualberti Abb.** *dupl.* — Com. Ss. Naboris et Felicis in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

13. Fer. VI. *Rub.* **S. Anacleti P. M.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*

14. Sabb. *Alb.* **S. Bonaventurae E. C. D.** *dupl.* Vesp. de seq. Dom. com. praec. ac S. Henrici Imp. C. *Vir.*

✠ 15. **Dom. VII. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Henrici in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Henrici.

16. Fer. II. *Alb.* **Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

17. Fer. III. *Alb.* **S. Alexii C.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. ac Ss. Symphorosae et septem Filiorum Mm.

18. Fer. IV. *Alb.* **S. Camilli de Lellis C.** *dupl.* — Com. Ss. Symphorosae et Filiorum in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

19. Fer. V. *Alb.* **S. Vincentii a Paulo C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Margaritae V. M.

20. Fer. VI. *Alb.* **S. Hieronymi Aemiliani C.** *dupl.* — Com. S. Margaritae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Praxedis V.

21. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Com. S. Praxedis in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. S. Mariae Magdalenae Poenit. *Vir.*

✠ 22. **Dom. VIII. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Mariae Magdalenae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq., S. Mariae Magdalenae et S. Liborii E. C.

23. Fer. II. *Rub.* **S. Apollinaris E. M.** *dupl.* — Com. S. Liborii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Christinae V. M.

24. Fer. III. **Vigilia S. Iacobi Ap.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Christinae in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

† 25. Fer. IV. *Rub.* **S. Iacobi Ap.** *dupl. 2. class.* — Com. S. Christophori in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. com. seq.

† 26. Fer. V. *Alb.* **S. Annae Matris B. M. V.** *dupl. 2. class.* — In Vesp. nulla com.

27. Fer. VI. *Rub.* **S. Pantaleonis M.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*.

28. Sabb. *Rub.* **Ss. Nazari et Celsi Mm., Victoris I. P. M. et Innocentii I. P. C.** *semidupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec., S. Marthae V. ac Ss. Felicis II P., Simplicii, Faustini et Beatricis Mm. *Vir.*

✠ 29. **Dom. IX. p. Pent. I. Aug.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Marthae ac Ss. Mm. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. ac S. Marthae.

30. Fer. II. *Rub.* **Ss. Abdon et Sennen Mm.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

31. Fer. III. *Alb.* **S. Ignatii C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. S. Pauli Ap., praec. ac Ss. Machabaeorum Mm.

MENSE AUGUSTO.

1. Fer. IV. *Alb.* **S. Petri ad Vincula** *dupl. mai.* — Com. S. Pauli ac Ss. Machabaeorum in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Pauli, seq. ac S. Stephani I. P. M.

2. Fer. V. *Alb.* **S. Alphonsi Mariae de Ligorio E. C. D.** *dupl.* — Com. S. Stephani in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

3. Fer. VI. *Rub.* **Inventio S. Stephani Protomart.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*

4. Sabb. *Alb.* **S. Dominici C.** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et Dedic. S. Mariae ad Nives.

✠ 5. **Dom. X. p. Pent. II. Aug. vir. De ea** *semidupl.* — Com. dic S. Mariae ad Nives in Laud. et Miss. — Vesp de seq. com Dom. et Dedic. S. Mariae ad Nives *Alb*

6. Fer. II. *Alb.* **TRANSFIGURATIO D. N. I. C. Titul. Archibasil. Lateran.** *dupl. 2. class.* — Com. Ss. Xisti II. P., Felicissimi et Agapiti Mm. in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. com. seq.

7. Fer. III. *Alb.* **S. Caietani C.** *dupl.* — Com. S. Donati E. M. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

8. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.** *semidupl.* — In Vesp. com. S. Romani M.

9. Fer. V. **Vigilia S. Laurentii M.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Romani in Laud. — In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. S. Romani — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

† 10. Fer. VI. *Rub.* **S. Laurentii M.** *dupl. 2. class. cum oct. simpl.* — In Vesp. nulla com.

11. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Com. Ss. Tiburtii et Susannae V. Mm. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. S. Clarae V.

✠ 12. **Dom. XI. p. Pent. III. Aug.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Clarae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Clarae.

13. Fer. II. *Rub.* **Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de feria com. S. Eusebii C. *Vir.*

14. Fer. III. **Vigilia Assumptionis B. M. V.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Eusebii in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

✠ 15. Fer. IV. *Alb.* **ASSUMPTIO B. M. V.** *dupl. 1. class. cum Oct. comm.* — In Vesp. com. seq.

16. Fer. V. *Alb.* **S. IOCHIM PATRIS B. M. V. C.** *dupl. 2. class.* In Vesp. com. seq.

17. Fer. VI. *Alb.* **S. Hyacinthi C.** *dupl.* — Com. Oct. Assumpt. et diei Octavae S. Laurentii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) et S. Agapiti M.

18. Sabb. **De IV. die infra Oct. Assumpt.** *semidupl.* — Com. S. Agapiti in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. Oct. *Vir.*

✠ 19. **Dom. XII. p. Pent. IV. Aug.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et Oct.

20. Fer. II. *Alb.* **S. Bernardi Abb. C. D.** *dupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Oct.

21. Fer. III. *Alb.* **S. Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid.** *dupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. die Oct. (Ant. et ℣. ad *Magnif.* ut in I. Vesp. Festi) com. praec. ac Ss. Timothei et Soc. Mm.

22. Fer. IV. *Alb.* **Octava Assumptionis B. M. V.** *dupl. mai.* — Com. Ss. Timothei et Soc. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

23. Fer. V. **Vigilia S. Bartholomaei Ap.** *Alb.* **S. Philippi Benitii C.** *dupl.* — Com. Vigil. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec. *Rub.*

† 24. Fer. VI. *Rub.* **S. BARTHOLOMAEI AP.** *dupl. 2. class.* — In Vesp. com. seq.

25. Sabb. *Alb.* **S. Ludovici Reg. C.** *semidupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Zephirini P. M. *Vir.*

✠ 26. **Dom. XIII. p. Pent. V. Aug.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Zephirini in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

27. Fer. II. *Alb.* **S. Iosephi Calasanctii C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Hermetis M.

28. Fer. III. *Alb.* **S. Augustini E. C. D.** *dupl.* — Com. S. Hermetis in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec. ac S. Sabinae M. *Rub.*

29. Fer. IV. *Rub.* **Decollatio S. Ioannis Baptistae** *dupl. mai.* — Com. S. Sabinae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. ac Ss. Felicis et Adaucti Mm.

30. Fer. V. *Alb.* **S. Rosae Limanae V.** *dupl.* — Com. S. Felicis et Adaucti in Laud. et Miss. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

31. Fer. VI. *Alb.* **S. Raymundi Nonnati C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq., S. Aegidii Abb. ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.

Errata-Corrige

Adnotatio pro recitatione **Litaniarum maiorum** facienda anno proximo 1916, ponenda est sua die 25 Aprilis, non vero seguenti die 26 uti maius recta scriptum fuit in *Specimine Calendarii ecclesiae universalis* numero praecedenti, pag. 150 edito.

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis sandaliis eorumque ornamentis

(Continuatio, V. n. 2 curr. anni, pagg. 73-82)

§ 2.

De tempore quo certe *crucem in sandaliis Pontifices adhibere inchoarunt.*

Postquam Iacobus Pouyard accuratum examen instituit de ornamentis et signis, quibus Pontificum sandalia ornantur, difficile non est determinare tempus, quo crux *certo* in eisdem sandaliis apparuit.

Primum et evidens crucis signum in sandaliis pontificiis expressum, illud est quod in statua marmorea Innocentii VII conspicitur. Iste Pontifex electus fuit anno 1404. Eius statua in cryptis vaticanis asservatur. — Quod primum exemplum, alia immediate, vel fere immediate sequuntur; eandem enim crucem exhibent sandalia Martini V et Eugenii IV, Innocentii VII successorum, uti aperte manifestant eorum imagines sepulcrales. Satis notum est, sepulcrum prioris ante altare Confessionis in Basilica Lateranensi, et sepulcrum alterius in aula Capitulari, apud Ecclesiam Ss. Salvatoris in Lauro, reperiri.

Aliud exemplum crucis in pontificiis sandaliis habemus in sepulcro Nicolai V, quod extat in cryptis vaticanis, et sub hoc Pontifice primum habemus documentum scriptum de crucis usu in pontificiis sandaliis, tamquam de praerogativa propria et exlusiva R. Pontificis. Raynaldus narrat de antipapa Felice V, cui umbratilem pontificatum sincere abdi-

canti, Lausanensis Conventus, magnos licet favores contulerit, ac ornamenta et insigna pontificalia reservaverit, Annulum tamen Piscatoris, delationem Corporis Christi, crucem in pedibus, atque umbellam inhibuit (1).

Post quae prima exempla, ad nostram usque aetatem crux in sandaliis pontificiis nunquam defuit.

Conveniunt rerum archaeologicarum Scriptores in recognoscendo, quod Innocentii VII statua, primum certum et evidens crucis argumentum constituat in sandaliis pontificiis; quorum sufficiat sententias adducere.

Philippus Laurentius Dionisi cum praefatam Innocentii VII effigiem illustraturus accedit, de cruce in sandaliis expressa scribit: « Crucem, quam calcei sive sandalia praeferunt insalutatam hic non dimittam ».

Deinde prosequitur: « Remotiori aetate, ni fallor, non ita proprium erat Romanorum Antistitum calceamenta crucem assuere, vel intexere, ut Episcopis immo forsitan et Diaconis fas non esset idipsum usurpare... At devexiore aevo praerogativa isthaec fuit tantummodo Romanorum Pontificum ». Enarrato postea, quod Felici V abdicanti crux in pedibus inhibita fuit, subdit: « Hic sane mos, decimo quinto saeculo vigebat. Praecedenti vero aetate usus calceorum cum cruce haud semper constans, apud Summos Antistites fuisse videtur. Grimaldus enim inter pontificales vestes, quibus involuta Hadriani IV et Bonifacii VIII corpora inspexit, calceos recenset, nulla tamen crucis imagine insignitos (2).

Mirum utique est, quod praefatus Scriptor praecedentium et coaevorum agmen in asserenda maiori antiquitate moris crucem in sandaliis deferendi, secutus non sit; tamen ipse quoque erravit in iudicio ferendo circa quaedam antiqua monumenta, in quibus putavit se crucem vidisse, dum de vera cruce non agebatur. Si egregius ille vir, iure de eo scribit P. Pouyard, cieca finem suae dissertationis, monumenta

(1) Raynaldus, *Annales*, ad a. 1444, n. 6.

(2) Dionisi, *Cryptarum Vaticanarum Monumenta*. Tab. LVII, p. 150.

a nobis allata cominus vidisset et attente examinasset, non certo dixisset: *Haud semper constans,* sed utique: *Praecedenti aetate* usus calceorum cum cruce, *nunquam* apud Summos Antistites viguisse videtur » (1).

Edita autem ipsius P. Pouyard eruditissima hac super re dissertatione, praecedentium Scriptorum sententia omnino relicta fuit, et coaevi et recentiores alteri sententiae ab eodem Patre in sua dissertatione propositae et strenue propugnatae, unanimiter adhaeserunt; eamque summis laudibus extulerunt. Inter hos, utpote notiores, digni sunt, qui memorentur, Franciscus Cancellieri et Card. Caesar Brancadoro. Primus praefatae dissertationis dedicationem acceptavit, alter edita epistola opus approbavit et laudavit. Is insuper, argumentum aliquantulum attingens, instat in ratione explicanda, qua, *lilium* et *trifolium* in sandaliis adhibita, paulatim in crucis formam transierint. Id evenisse asserit, per illas variationes, quas singuli artifices, proprio genio indulgentes, introducunt, et quibus, lapsu temporis, eae notabiles mutationes et differentiae exurgunt, quae cuiuscumque saeculi stylum et characterem constituunt. Rem propius attingendo, Gavanti auctoritatem invocat, qui generatim de vestium sacerdotalium ornatu, scribit: « Vestes sacerdotales, per incrementum ad eum, qui nunc habent ornatum, auctae sunt » (2). Hoc idem in sandaliorum ornatu evenisse putat. *Lilium* et *trifolium,* per varias sibi subsequentium artificum mutationes, in crucis formam transiisse dicit. Quod probabiliter ex eo quoque factum fuisse videtur, quod primigenii, sive lilii, sive trifolii sensus, in oblivionem abierint (3).

Ad recentiores veniendo, qui *implicite* vel *explicite*

---

(1) POUYARD, *Disertazione cit.* pag. 108.

(2) GAVANTUS. Part. I, tit. XVIII, n. 1.

(3) BRANCADORO, *Lettera all'Abate Francesco Cancellieri sulla dissertazione di P. Giacomo Pouyard,* Roma, 1807. — De his tribus Scriptoribus, nempe card. Brancadoro, Francisci Cancellieri et Iacobi Pouyard, videsis, MORONI, *Dizionario* etc. sub uniuscuiusque nomine. — HURTER, *Nomenclator,* Tom. V, pag. 1008. 1036.

P. Pouyard adhaeserunt, Martigny scribit: « Tout ce que nous savons, c'est que le plus ancien monument où se révèle sans équivoque cette pieuse innovation, c'est la statue de marbre d'Innocent VII, Côme Meliorato, Napolitain, successeur de Boniface IX et dont l'élection est de 1404. Cette statue se trouve dans les grottes vaticanes, et elle présente une croix de la forme la plus simple et la plus correcte, comme on le peut voir ici. Celle de la pantoufle de Martin V, mort en 1431, est de la même forme, dans son effigie en basrelief de bronze placée au pied de l'autel de la confession de la basilique de Saint-Jean-de-Latran. C'est une bande croisée, unie, s'étendant sur toute la longueur et la largeur du soulier » (1).

Raphael Garrucci S. I., recentioris aevi egregius Archaeologus, plene consentit Iacobo Pouyard, immo eum approbat et laudat. En eius verba: « Il Pouyard ha dimostrato che questo *trifolio*, di bianco colore, posto sopra il tomaio, è stato da molti preso erroneamente per croce, la quale non si è mai usato dipingere, cucire o ricamare sulle scarpe papali ed episcopali; solo in epoca recentissima si vedono due fettuccie cucite in croce sulla scarpa dei Papi. Gli esempi di questa recentissima usanza, da lui raccolti, cominciano da Innocenzo VII, eletto del 1404. Questa osservazione è giusta, come dimostrano i monumenti da lui rettamente interpretati. Ha quindi torto Leonardo Adami di sostenere l'antico errore, affermando nelle note al Diario sacro del Partenio (tom. IV, pag. 109, Roma, 1806), che nella effigie di Onorio Papa, posta nel musaico di S. Agnese fuori le mura, vedesi chiaramente la croce sulle scarpe, ov'è invece evidente il così detto trifolio » (2).

Rationem antiqua sandaliorum ornamenta interpretandi a Iacobo Pouyard exhibitam approbat quoque et laudibus extollit cl.mus De Rossi. Quae ipse hac de re exponit, pro-

(1) MARTIGNY, *Dictionnaire*, etc. ad verbum *Pied du Souvrain Pontife*, n. IV.

(2) GARRUCCI, *Storia dell'arte cristiana*, Vol. I, pag. 123.

priae observationi innixus, rationem quoque reddunt et explicant, quomodo tot viri eruditi in errorem adduci potuerint. Disserens itaque de sandaliis, quae conspiciuntur in opere musivo absidis S. Agnetis, scribit: « Esaminando coll'occhio armato di lenti le croci segnate sui sandali dei due pontefici, non mi è sembrato vederle tanto spiccate e distinte, quanto il disegnatore le ha espresse nella tavola cromolitografica. Certo è, che nei sandali gli ornamenti a guisa di trifoglio, sovente furono tolti per croci dai moderni ristoratori degli antichi mosaici e dai disegnatori. Il Pouyard, che nei primi anni del nostro secolo esaminò di proposito questo punto, più volte insistè sui sandali effigiati nel nostro mosaico, come adorni di trifoglio e non di croci, e ne diè accurati disegni (1). Nei recenti ristauri quel trifoglio ha assai perduto dell'originaria foggia ed ha preso il tipo cruciforme » (2).

Ultro igitur conceditur, errorem facilem fuisse ob diversas rationes, quarum duae sunt praecipuae, nempe: *Apparentia* pro iis, qui a longe ea musiva opera respiciunt, et *immutatio* a restitutoribus inducta, animo forsan debitam correctionem peragendi. Circa primam rationem nil nobis est addendum iis quae superius diximus; illa enim apparentia est oculis manifesta. Sed quoad immutationes a restitutoribus inductas, non pauca notanda forent; sed ad quaedam praecipua animadversiones nostras limitamus.

Inter opera musiva, quae ob restauratorum imperitiam mutationem seu melius corruptionem passa sunt, adnumerari debet musivum absidis Ss. Cosmae et Damiani: et figura, quae magis mutationi obnoxia fuit, est proprie S. Felicis Pp. IV imago. De hac itaque immutatione, illius ecclesiae Historici sequentia narrant: Gregorii XIII tempore (S. Felicis IV imago), ob nimiam eius vetustatem iam evanuerat:

(1) Ipse De Rossi remittit ad aliud suum opus *Roma sotterranea*, tom. I, pag. 302.

(2) De Rossi, *Mosaici cristiani delle Chiese di Roma*. Tav. IX, fol. 3.

quare lacunar, ad instar vermiculati operis picturas, suppletum fuit, Pontificis tamen immutata facie, pro Felice apposito Gregorio Magno; quae postmodum musivo opere, Alexandri VII tempore, et curae gloriosae memoriae Francisci Cardinalis Barberini, antiquitatum amantissimi, restaurata fuit, restituta Felicis facie (1). In quibus sibi succedentibus mutationibus, nullum dubium quin et sandalia mutationem subierint. Sufficit totum opus aspicere, ut statim intelligatur, S. Felicis figuram, quoad omnes suas partes, esse a reliquo opere discordem: in ea recentissimae aetatis characteres sunt manifesti. Crux igitur in huius imaginis sandaliis delineata, nullum argumentum constituere potest in favorem illius remotioris antiquitatis, quam prioris classis Scriptores asserere intenderunt.

Si quae forent alia opera antiqua, quae aperte in sandaliis crucem exhiberent, iudicandum esset, illam fuisse ab instauratoribus non simpliciter restitutam, sed proprio marte inductam. In ferendo tamen tali iudicio, non est fidendum reproductionibus delineatis, quas habent Scriptores aliunde fide dignissimi; hi enim designatorum opera usi sunt, qui non semper accurati et diligentes fuerunt. Hac de re lamentatio frequens est apud eruditos.

Speciale iudicium ferendum esse putamus de illo semipede marmoreo, quem exhibet Macri in suo *Hierolexicon*. Crucis signum in eo evidens est, neque eius antiquitas in dubium vocari posse videtur. Ast circa eum merito quaestio instituitur: ad quam statuam spectaverit: nempe, an ad statuam, Pontificem exprimentem, an ad aliam statuam qualemcumque, et non sacram. Ipsa delicata et elegans forma pedis, dubitare sinit, an de viri, vel potius de mulieris pede agatur; quod ultimum probabile existimat Pouyard; et probat crucem, quae supra pedis dorsum eminet, nihil aliud

(1) Cfr. ANT. POMA *La Diaconale Basilica dei Ss. Cosma e Damiano*, Roma 1727, pag. 50-53. — MEZZADRI, *Disquisitiones historicae de ss. Martyribus Cosma et Damiano*, Roma, 1747, pag. 73.

esse quam unum ex illis foemineis ornamentis, quibus paganae mulieres pedes suos ornare solebant, vel etiam unam esse ex variis fibularum speciebus, quibus eaedem mulieres solearum ligamenta in unum uniebant, ut ipsas haerentes tenerent. Ceterum in tota christiana antiquitate nullum extat exemplum istiusmodi calceamenti. Neque ratio crucem exprimendi, sicut in eo pede exprimitur, vix in remotioris antiquitatis monumentis reperiri potest. Igitur ex hoc quoque monumento nihil certi argui potest, et firmum restat, usum crucis in RR. Pontificum sandaliis Innocentio VII antiquorem haberi non posse (1).

(Continuabitur)

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) Cfr. POUYARD, l. c. pag. 88 et ss.

Constitutio Gregorii PP. XIII, qua Rubricae Breviarii Romani magnopere illustrantur. (1)

GREGORIUS PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pastoralis Officii cura nos admonet ut ea, quae magis conducere censemus pro locorum et personarum qualitate, concedamus. Sane licet alias, post Missalis et Breviarii, ex Decreto sacri Concilii Tridentini editionem, fel. rec. Pius V praedecessor Noster, dilecti Nobis filii Ludovici de Torres Malacitani et Camerae Apostolicae clerici, qui tunc ex Hispaniarum regnis, ad quae ab eodem praedecessore pro certis gravibus negotiis ad rempublicam christianam spectantibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ut ipse Ludovicus a viris gravissimis ad hunc effectum a carissimo filio Nostro Philippo Hispaniarum rege catholico deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates (2), ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum regna praedicta duxerit reformanda et concedenda ; nihilominus, quia ut idem Ludovicus Nobis retulit, re ipsa compertum est adhuc aliqua ad Missalis et Breviarii impressionem, quae in illa provincia magnis impensis curantur, desiderari : Nos eius dictis certam adhi-

bentes fidem, ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio et ex certa scientia Nostra ac de Apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur declaranda duximus et concedenda.

In primis illud Nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cum enim praedecessor Noster praedictus indistincte concesserit, ut ecclesiae Hispaniae possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae (3) illique plures sint numero, ex hoc sequebatur, ut Officium maioris partis feriarum anni omitteretur (4) et ordo Breviarii fere subverteretur (5). Nos huic incommodo occurrere volentes, et praedecessoris praedicti mentem sano modo interpretantes (6), declaramus, unamquamque Hispaniae ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius dioecesis sunt naturales (7), vel eius ecclesiae seu dioecesis sunt patroni (8) vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu dioecesi requiescunt (9). De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales vel patroni alterius dioecesis, etiamsi illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius dioecesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani (10). Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius dioecesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis intra limites illius dioecesis existentibus, eamdem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment (11).

Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiae

et Religiones exsistentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum Officia (12), quae sunt: Festivitas Exspectationis Dominae nostrae, quae celebratur die XVIII mensis Decembris (13). Et quoniam dicta die iuxta Breviarium Romanum feria habet antiphonas proprias ad Laudes, ne antiphonae praedictae omittantur, et ut festivae singulis annis in illa provincia decantentur: mandamus ut dictae antiphonae feriales quae in die in qua Officium Exspectationis celebratur dicendae essent, reponantur die XVII Decembris (14), omissa ea, quae ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea, quae ad Canticum ponitur in Psalterio; (5) et idem fiat de antiphonis in die sancti Thomae occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando Festum Exspectationis huiusmodi in Sabbato venerit; ut scilicet antiphonae in die sancti Thomae occurrentes, tunc reponantur XVI Decembris, dempta ea quae dicitur ad Canticum, ut supra (16).

Item festivitas Triumphi Sanctae Crucis, quae celebratur die XVI Iulii. Item festivitas sancti Ildephonsi, Archiepiscopi Toletani, Confessoris. Item festivitas sancti Isidori, Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, et recitetur *Credo* in celebratione Missae (17). Insuper celebretur festivitas sanctae Annae Matris Beatae Mariae Virginis, in omnibus locis, ubi fuerat ecclesia vel cappella dictae Sanctae ad praesens, vel ubi aedificabitur ecclesia in futurum (18). Item concedimus, ut quaelibet ecclesia et monasterium Hispaniae, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti (19), etiam alienigenae non exsistentis in Bre-

viario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio, possit illius festivitatem celebrare et Officium duplex facere (20), et de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio ; si vero fuerit duplex vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditum (21). Et quoniam in regno Castellae in pluribus ecclesiis celebratur die xxx Decembris Translatio santi Iacobi Apostoli, Hispaniarum patroni (22), praecipuum duplex (23), et in Breviario ponitur die xxix festivitas sancti Thomae Archiepiscopi Cantuariensis et Martyris, semiduplex, et in anno quo festivitas sancti Thomae occurrit in Dominica, iuxta regulam Breviarii transfertur in diem sequentem, quo die in eo regno celebratur supradicta festivitas sancti Iacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festivitas praedicti sancti Thomae : volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomae transferatur ad primam diem duplici non impeditam (24) quae erit Vigilia Epiphaniae, et tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio, ad Vesperas autem Epiphaniae nulla fiat commemoratio de festo sancti Thomae praedicti (25).

Cum vero in ecclesiis et regionibus Hispaniae vigeat consuetudo, ut diebus Paschalibus et festivitatibus maioribus celebret Missam conventualem Antistes vel alia persona principalis, et regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus dominicis infra annum sacerdos, qui celebrabit Missam conventualem, exeat ante celebrationem Missae cum pluviali vel cappa et cum ministris ad incipiendum in altari maiori antiphonam

Asperges, et aspergendum aqua benedicta populum: concedimus, ut Antistes, seu alia persona principalis, celebrans Missam conventualem praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex sacerdos eius loco, et ut talis sacerdos non deferat pluviale, sed albam et stolam, vel superpelliceum et stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum acolythis (26).

Haec autem omnia et singula, Breviarium et Missale concernentia, per felicis recordationis Pium V, et Nos concessa pro Hispaniarum provinciis, volumus ut intelligantur etiam concessa ecclesiis insularum et terrae firmae Indiarum dicto regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus, ut Missae Sanctorum, quae iuxta Motum proprium dicti Pii V, in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur (27). Et ita per praesentes Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus et indulgemus: non obstantibus praemissis Litteris praedecessoris praedicti in Breviario et Missali, ac regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviariis et Missalibus impressis nec non omnibus et singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus et decretis: quae omnia Nos ad effectum praesentium in dictis provinciis locum sibi non vindicare decernimus: ac aliis, quae dictus praedecessor in suis Litteris obstare non voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Litterae omnibus innotescant, volumus, et districte praecipiendo omnibus et singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus manda-

mus, ut illas in cuiuslibet Missalis et Breviarii principio imprimant, et imprimi curent ; alias illis non appositis, et impressis praesentes nemini suffragentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX Decembris MDLXXIII, Pontificatus Nostri anno primo.

CAES. GLORIERIUS.

Commentarium.

(1) Quae fortuito sub oculis advenit nostris, in quadam editione Officiorum quae sunt propria pro Hispania haec pontificia Constitutio, maximi esse ponderis nobis visa est. Licet enim pro ecclesiis Hispanis data sit, nihilominus principia liturgica in ea inveniuntur magni momenti, sive quia a Romano Pontifice solemniter enunciantur, sive quia inter vivos adhuc tunc erant qui Rubricas S. Pii V emendaverant, ideoque genuinum earum sensum noverant.

Etsi a nullo auctore de Rubricis agente, huiusmodi Constitutio relata per extensum fuerit, ipsam tamen, tamquam insigne documentum pro rubricis summopere illustrandis, citant: Gavantus (VI, vij, 1), Benedictus XIV (De Can. Ss. IV, p. 2, vj, 26) Guéranger (*Instit. Liturg.*, tom. 1, p. 436) A Carpo (p. 3, n. 60, et p. 4, n. 254) et Solans (*Prontuario liturg.*, p. 275), sed de omnibus in ea contentis non agunt, neque illustrationem ullam de ea habent.

Hinc est quod nos utile iudicavimus aliquibus adnotationibus hoc praestantissimum documentum exponere, ex quibus nova luce clarescere queant nonnullae Rubricae Breviarii, nonnullaque S. R. Congr. Decreta, quod fecimus iam ab anno 1907 (Cf. Acta S. Sedis, vol. 40, pagg. 113-128).

Hodie tamen denuo illam evulgamus in nostris *Ephem. Lit.*, cum novis illustrationibus, post reformationem Breviarii Romani, ut magis effulgeat convenientia nonnullius ex novis dispositionibus, cum ipsa Gregoriana Constitutione.

(2) Correctio Breviarii et Missalis, a Concilio Tridentino, decreta et a S. Pio V peracta, atque universali Ecclesiae latinae, paucis singularibus exceptis, imperata, licet a multitudine clericorum, qui tunc temporis studiis parum vacabant, cum multis quaerimoniis excepta fuisset, prout alias notavimus (Cf. *Ephem. Lit.* an. 1915 p. 280), a multis tamen doctis et sanctis viris laudibus summis recepta fuit, uti notat Grancolas (*Comm. hist. Brev.*, p. 6): « Iure affirmare possumus ab eo tempore (Pii V) omnes singulares ecclesias id adeo adoptasse, ut quae sub Romani Breviarii nomine illud non receperint, totum fere tamen Breviariis suis inseruerint, id suis ritibus accommodando ».

Fatendum tamen est, multos thesauros liturgicos penitus quasi periisse, apud particulares ecclesias plurimas, qui forsan servari bene poterant in propriis dioecesanis.

Hinc revera factum est, quod aliquibus in locis Apostolica Sedes, etiam post Pianam correctionem, nonnulla hac illac concedere debuit, ut res in pace componerentur. In regnis quoque Hispaniae hoc evenisse dicendum est, in praesenti enim Constitutione dicitur: ex novi Breviarii *editione subortas fuisse in illis partibus difficultates*, ideoque Gregorius XIII aliqua *declaranda* esse duxit pro Hispanicis ecclesiis, per hanc notabilem Bullam suam.

(3) *Illius provinciae*, scilicet *illius nationis*; nam relictis particularibus Breviariis, Romanoque Piano adoptato, contigit, ut antiqua et debita erga Sanctos proprios locorum, pietas non mediocriter imminuta videretur. Itaque statim ad S. Sedem recursus porrecti sunt, ut festa cum Officiis Sanctorum in propriis locis restituerentur.

Quamvis enim in Rubricis novi Breviarii (*tit. I, n. 1, et tit. II, n. 1*) non excludantur Officia Sanctorum, *qui apud quasdam ecclesias, Religiones vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari*, paucis tamen Sanctorum localium in praxi debitus honor tribuebatur. Quapropter, ut hic notatur, iam S. Pius V ecclesiis Hispaniae concesserat ut possent continuare celebrationem Officiorum de Sanctis propriis illius nationis.

(4) Verba haec, in ore Pontificis Summi, nemo est qui non videat quanti sint ponderis. Omnes liturgici viri, melioris notae, cum card. Bona, card. Tomasi, Gavanto, Guyeto, Merato ac Cavalieri iugiter conquesti sunt de nimia pluralitate festorum cum iactura Officii ferialis; Gavantus (*sect. 3, n. 5*) scribit: « Videant Episcopi ne pluralitate festorum fiat iniuria Officio feriali ». Guyetus autem (*lib. 1, c. I, quaest. 19*) loquitur de « notabili detrimento quod infertur Officio de Tempore, ex ingenti illa festorum coacervatione, quam eo usque demum aliqui promovent, ut vix locus ullus, aut certe exiguus admodum feriis supersit ». Quam sententiam suam fecit Meratus (*sect. 7, c. 1, n. 5*). Eodem sensu, sed fortiori stylo Cavalerius (*t. 1, c. 6, n. 1*). (Cf. quae ad rem nos ipsi pluries retulimus *Ephem. Lit. an. 1912, p. 18*).

Verum et apud S. Rit. Congr. usque ad annum 1883 voluntas fuit, ne Officia ferialia negligerentur, nam in Decreto generali d. d. 7 iulii 1753, quod habetur in antiqua Gardelliniana collectione sub n. 4234 sic legitur: *Eminentissimi Patres S. R. C. praepositi decreverunt quod in posterum preces recitandi Officia votiva semel in hebdomada vel semel in mense, amplius non recipiantur* (1); Officia enim votiva impediebant quominus Officium feriale recitari posset.

Nihilominus, cum supplicationes pro obtinendis adhuc votivis Officiis non cessarent, aliud eadem S. R. C. generale Decretum emanavit die 11 maii 1816, in antiqua Collectione sub n. 4517, illud confirmans: « *Memoratum generale Decretum ad omnimodam observantiam revocari, eiusdemque exemplar, ut cunctis pateat, ad Secretariae parietes affixum perpetuo retineri iusserunt.*

Diximus supra, hanc fuisse voluntatem S. R. Congregationis usque ad annum 1883; quia eo anno, die 5 iulii,

(1) Quod haec esset explicita S. R. C. voluntas a fortiori argumentamur, eo quod anno praedicto 1753 in Calendario Ecclesiae universalis multo pauciora erant festa duplicia et semiduplicia, ideoque frequentiora Officia ferialia.

Decretum celebre sub Card. D. Bartolinio Praefecto prodiit, *Urbis et Orbis*, n. 3581, quo datur *indultum generale persolvendi Officia votiva per annum* loco Officiorum, ferialium *praeterquam in feriis IV Cinerum*, etc.

Causam indulti votivorum Officiorum in eodem Decretó habemus his verbis: « *Compertum quippe est, coarctata translatorum serie....* inde augeri onus Officiorum ferialium; *quod imminuto hodie cleri numero auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur* ». Aliis verbis, mens Ecclesiae immutata manebat, quoad desiderium ut Officia ferialia tam facile non omitterentur, quoniam vero ex suppressa duplicium et semiduplicium translatione onus clericis adaugebatur, ut patet, Officium enim feriale prolixius erat, per relatum indultum provisum quidem fuit, si brevitas attendatur, maximum tamen detrimentum passa erat antiqua traditio, et *ordo Breviarii* revera subversus fuerat, prout candide lamentabatur E.mus card. Lucidus M. Parocchi.

Nihilominus, cum per novam Psalterii dispositionem, Officium feriale brevius evaserit, cessante causa concessionis, cessarunt etiam Officia votiva, prout in Bulla *Divino afflatu* (tit. VII) aperte Pius x s. m. declaravit.

(5) Aurea sunt verba huiusmodi, ex nimia enim congerie Sanctorum, quorum Officia tam facile implorabantur, et ab aliquibus minus in re liturgica peritis adhuc miserrime lugentur suppressa, ubique numquam recitari poterant psalmi et hymni pulcherrimi feriarum; imo ob immodicum numerum duplicium maiorum, et ipsa lectio Scripturarum quasi semper omittebatur, unde pars magnifica Breviarii, quae *Psalterium* dicitur, penitus omissum erat et de 150 psalmis, solummodo dicebantur centies milliesque ii paucissimi qui in Communibus Sanctorum recitantur. Si iam suo tempore Gregorius XIII conquerebatur quia *ordo Breviarii fere subverteretur*, quid dixisset vivens anno 1911, et sequens Calendarium lateranensis Basilicae, ad omittendam maiorem et mediorem Breviarii partem se adstrictum videns? Nonne in edi-

tionibus partium Aestivae et Autumnalis Breviarii, ullo sine incommodo omitti tunc poterat totum psalterium?

(6) Gregorius XIII, S. Pio V immediate successit, mentem ergo antecessoris sui bene cognoscere poterat, hac in re, et procul dubio, uti diximus, plurimi adhuc in vivis erant, qui correctioni piani Breviarii manus posuerant. Quam ob rem, hac in gregoriana constitutione, authenticam revera habemus Rubricarum illustrationem, idcirco grati quamplurimum Gregorio XIII esse debent sacrae Liturgiae cultores, non tam pro Martyrologii recognita editione, ac pro Calendarii reformatione, sed et pro hac sua praestantissima constitutione.

(7) Sunt nonnulli, qui sub pretextu maioris coniunctionis cum Romana Ecclesia, optarent ut in universo orbe christiano quotidie celebraretur idem festum idemque Officium recitaretur, iuxta Calendarium cleri Romani, amotis quibuscumque particularibus Officiis, de quibus ad summum sola commemoratio permittenda esset. Inter hos novatores, princeps fuit Corrector Generalis Ordinis Minimorum, qui in Concilio Vaticano (*Coll. lac., t. 7, p. 892*) propositionem huiusmodi pandere est ausus. *Zelus est, sed non secundum scientiam;* si enim haec propositio acceptata fuisset, sacra antiquitas magnum detrimentum passa esset, et, ut ait D. Bäumer (*Hist. du Brév.* II, p. 407), activitas ecclesiarum particularium aliquomodo torpore corriperetur; et vincula multa quae adhuc coniungit aetatem nostram cum primis ecclesiae saeculis, omnino relaxata manerent; uno verbo, si illud votum infelix a Concilio acceptum fuisset, in sacra Liturgia quaedam mortua ac frigida uniformitas inducta esset, quae numquam fuit et numquam erit, loco huius unitatis in multiplicitate, tam naturalis et iugiter a Romana Ecclesia admissae et summopere collaudatae.

De hac Romana protectione in particularium ecclesiarum Officiis liturgicis, splendidum argumentum habemus in hac Gregorii XIII constitutione, qui *Officia propria* Hispaniae admittit.

Attamen principium peroptimum et summopere oppor-

tunum hic tradit idem Gregorius XIII, dicens, quod in toto regno Hispaniarum nequaquam de omnibus Sanctis propriis eiusdem regni festa celebrarentur, quia *cum plures essent numero,* si de omnibus agi deberet, taceret continuo Officium feriale, et ordo Breviarii subversus esset, ideoque statuit opportunissime ut de Sanctis Hispanicis ageretur festum tantummodo in dioecesibus, in quibus sancti ipsi erant proprii.

Videant ergo illi de clero, qui tam faciles sunt suas querimonias et vae exprimere, eo quod nonnulla Officia, quae ex mero indulto Sanctae Sedis fuerant olim concessa, cum Officium feriale prolixius erat, nunc in Calendariis particularibus retenta non fuerint. Festa omnia quae in Calendario universali inscripta sunt, adhuc celebrantur, nullumque ex illis suppressum fuit; item festa illa, quae revera sunt propria dioecesis, retenta fuerunt; cessat ergo causa huiusmodi querimoniarum, maxime si legatur haec ipsa constitutio Gregorii XIII; cuius aureo calamo essent conscribenda verba illa: Cum Sancti proprii regni Hispaniae plures essent numero, ex hoc sequebatur ut Officium maioris partis Feriarum anni omitteretur, et ordo Breviarii fere subverteretur; ideoque declaravit: unamquamque Hispaniae dioecesim eorum tantum Sanctorum Officia celebraret posse, qui illius dioecesis sunt naturales; scilicet proprii, iuxta novissimam Rubricam Breviarii (tit. II, n. 2).

Bene ergo diximus supra quod huiusmodi Gregorianum documentum apprime convenit cum Pii X b. m. reformatione.

(8) Sub nomine Patroni hic venit tam Titulus ecclesiae, quam Protector loci vel dioecesis. Festa Sanctorum in quorum honore habentur ecclesiae dicatae, antiquiora sunt; imo primitiva templa Christianorum, ut plurimum super sepulcra Martyrum erigebantur, unde nomen *titulus*. Iam ab anno 250 huius rei testimonium habemus in passione S. Pionii (Ruinart, *Acta,* p. 188, c. 2), qui iuxta morem cuiusvis communitatis fidelium, celebrabat *Natale genuinum* S. Polycarpi ad cuius sepulcrum aedem sacram construxerat.

Ergo secunda ratio, ex qua aliquis Sanctus *proprius* dicitur, est qualitas eius, si Titularis sit alicuius ecclesiae, vel Patroni loci.

(9) Iuxta Guyet (*l. 1, c. 9, n. 1*) Patronis, seu Sanctis ecclesiarum Titularibus, proximi sunt ii quorum pignora seu reliquiae, ecclesiis servantur, quae sint *notabiles*, intellige *insignes*. Corpus ergo vel insignis reliquia optima est ratio ut de Sancto cuius habetur reliquia festum peragatur, in de Officio tamen ratione reliquiae insignis persolvendo inferius fusius dicemus in nota 19.

Dr. P. Piacenza.

Animadversio.

In praecedenti numero nostrarum *Ephemeridum*, pag. 169, duo sunt quae indigent aliqua explicatione.

Rev. Canonicus Gallus qui nobis remisit tabellam pro ordinandis commemorationibus, quando plures occurrunt ex eodem Communi, procul dubio intellexit exhibere varios ipoteticos casus, ut recte seligantur Antiphonae et Versus eiusdem communis, ne repetantur; et in hoc nihil est interloquendum; nam casus prout exponitur, pro diebus 28 augusti et 7 octobris, impossibili est. Die 28 augusti ponitur commemoratio s. Viviani Ep. Cf. *dupl. ad ritum simpl. recolend.* quod accidi nequit, eo quod si s. Vivianus est sanctus proprius, cum ritu Duplici, praeferendus est s. Augustino; qui iuxta Rubricas novissimas in casu commemorari deberet in utrisque Vesperis et Laudibus.

Item s. Palladius Ep. Cf. si est sanctus proprius, ex novis rubricis alia die celebrandus esset, quia die 7 est impeditus a festo Ss. Rosari dupl. 2ae class. ideoque impossibilis casus suae commemorationis.

Haec erant adnotanda, ne quis in errorem deduci posset, ex iis quae apponuntur in tabella praedicta.

Directio.

Consultationes.

Pro Hispania. — *Quaer.* I. Chorus huius Cathedralis, sicut fere omnium Regni Hispanici, ab Altari maiori, parieti affixo, separatus est, distat enim 50 metra, et accessus ad utrumque pro caeremoniis faciendis fit per septum, vulgo dictum : « *Via Sacra* », quo obtinetur ut absque fidelium incommodo et cum separatione ab eisdem omnia rite peragantur.

In Choro, praeter ordinarium Episcopi stallum in parte alta et in medio situm, existit duplex sedilium series, scilicet, inferior et superior, quam postremam ordinarie occupant Canonici et Beneficiati alternatim iuxta eorum dignitatem et antiquitatem. In serie vero inferiori sedent Cantores, Seminarii alumni ceterique servitium aliquod chorale exercentes.

His praenotatis, quaeritur :

a) Cum Episcopus dioecesanus pontificaliter celebrat, quae sedes, inter superiores, debetur in Choro Episcopo extraneo assistenti et Dioecesano inferiori, cum satis clare non loquatur Caerem. Epp. lib. I, cap. 13, n. 9 ?

b) Quaenam vero si praedictus Episcopus extraneus in Choro etiam assistat, sed una cum Dioecesano cappa magna induto, Canonico vero Missam vel alteram sacram functionem celebrante ?

c) Quae sedes, et in qua serie, assignari debeat Vicario generali in suo habitu assistenti, cum adhuc fixe determinata non sit, an immediate post Archidiaconum a parte dextera Episcopi se habentem, vel post ultimam Dignitatem eiusdem Chori, ut amplius non varietur in posterum ? Et quomodo intelligenda sunt verba Decreti S. R. C. n. 1886 [3] relate ad occupationem stalli Vicarii Generalis, eo absente ;

an ita ut tantum referantur ad functiones extraordinarias, quibus ipse invitatus accedit; vel in perpetuum, ita ut in posterum quamvis non assistat, sedem ei assignatam nec alia Dignitas vel Canonicus in Officio chorali occupare possint, quod magnam difficultatem afferet ob sedilium defectum?

d) An sustineri possit consuetudo in hac Cathedrali vigens permittendi Auctoritatibus iudiciariis ad functiones extraordinarias, et praevia invitatione, assistentibus, ut in Choro permaneant et sedeant in superioribus stallis? Et in casu affirmativo, an eadem permissio extendi queat ad ceteras Auctoritates personasque publicas, ut inter omnes vigeat concordia et vitentur querelae aliaque inconvenientia quae aliter facile oriri possent?

Resp. Litt. *a*). Episcopus extraneus assistere potest in choro, vel vestitus rochetto, amictu, cruce pectorali, pluviali et mitra simplici, vel rochetto et manteleto ac bireto, et super manteletum cruce pectorali, uti declaravit S. R. C. decreto d. 17 aug. 1833, n. 2710. Si, in casu proposito, Episcopus dioecesanus pontificaliter celebrat, tunc decet omnino quod Episcopus extraneus primo modo vestitus assistat, et primum stallum occupet ante omnes Dignitates et Canonicos, scilicet in stallo ubi ordinarie sedet prima Dignitas. Quod si Episcopus extraneus secundo modo assistat, scilicet rochetto et manteleto indutus, tunc sedere debet in choro quidem, sed in sede separata, cum aliquo genuflexorio cum pulvinari, in loco apto disposito.

Litt. *b*). Si vero Missa cantatur a Canonico, et assistit cappa indutus Episcopus dioecesanus, sive pontificaliter, Episcopus extraneus, in choro occupat, ut supra dictum est, primum stallum primae Dignitatis, sed indutus esse debet rochetto et manteleto, non vero cappa, quae induitur tantummodo ab Episcopo dioecesano, ut explicite iubet Caeremoniale Episcoporum (I, iij, 6).

Litt. *c*). Ad determinandum locum pro Vicario Generali in choro, Caeremoniale Episcoporum se remittit ad

consuetudinem diversarum ecclesiarum. Sed non ubique Vicarii Generales assistunt sacris functionibus, et quia ut plurimum hodie Vicarii sunt de gremio Capituli, ideoque ne Vicarius Generalis distributiones amittat, adstat in choro habitu canonicali indutus, et in loco suae receptionis, ut declaravit S. R. C. suo decreto n. 158. Ideoque pluribus in Cathedralibus, nulla consuetudo noscitur circa locum tribuendum Vicario Generali, si forte Canonicus non sit.

Quilibet autem locus, ubi revera nulla habetur consuetudo, tribuendus est ab Episcopo, audito Capitulo, prout ius exigit quandocumque aliquid novi statui debeat in Cathedrali ac praesertim in choro; non tamen inter Canonicos, nec etiam in eodem ordine, sed opportune statuenda est aliqua sedes separata a sedilibus chori, in planitie, a dextra parte chori, prout declaravit S. R. C. decr. 1886 ad 1.

Non decet ut locus Vicarii Generalis sit in eodem ordine chori, ubi sedent Canonici. Licet enim, quoad iurisdictionem, Vicarius superior sit singulis Canonicis, nihilominus dici nequit quod sit Superior Capituli.

Nisi ergo iam consuetudo sit quod Vicarius sedeat in stallo Canonicorum, valde congruit ut in loco separato statuatur eius sedes, quae facilius tunc occupanda non erit ab alio, in absentia eius, ut idem decretum 1886 ad 3 notat: alioquin, ut bene notat inquirens, etiam si numerus sedilium Canonicorum sufficiens non esset, tunc, absente Vicario, eius sola sedes choralis vacua maneret cum aliorum incommodo.

Decretum ergo citatum 1886 ad 3, intelligi debet quando pro Vicario Generali statuatur separata sedes, quae omnino ab alio quolibet occupari non decet, cum sit destinata soli Vicario. Si vero locus pro Vicario sit in ordine ubi sunt stalla Canonicorum, tunc aliquando difficile erit relinquere vacuam sedem Vicarii quando ipse abest.

Litt. *d*). Nisi adsit apostolicum Indultum, in presbyterio et in choro, nulla persona laica praesens esse potest. Ecclesia admittit tantummodo personas regias, eo quod an-

tiquitus benedicebantur. Videat ergo Episcopus utrum prudentialiter consuetudo de qua agitur, admittendi in choro Auctoritates Iudiciarias, sensim sine sensu sustolli possit, quod si revera huiusmodi praesentia in choro abrogari nequeat, ob difficultates multas quae oboriri possunt, tunc Episcopus ad S. Sedem recurrat.

II. An fidei professio ab Episcopo aegrotante, iuxta Caerem. Epp., lib. 2, cap. 38, n. 3, facienda, antequam communicet, debeat esse iuxta formulam Summi Pontif. Pii IV et Pii IX, vel iuxta formulam praescriptam a Summo Pontifice Pio X, cum Auctores de hac re non sint satis expliciti?

Resp. Procul dubio Episcopus aegrotans Professionem fidei profiteri debet, iuxta formulam Pii IV, cum adiectionibus tum Pii IX tum Pii X, primo quidem quia Caeremoniale Episcoporum (II, xxxviij, 3) dicit: Episcopus aegrotans... profiteatur catholicam fidem, ex formula ab Apostolica Sede praescripta: secundo autem, quia tam Pius IX quam Pius X edixerunt, ut deinceps quandocumque erit profitenda fides, formula ab ipsis aucta adhiberi debeat.

P.

Pro archidioecesi Mariannensi in Brasilia. — I. Subdiaconus, Minorista, Clericus tantummodo tonsuratus nequeunt partes fungi Diaconi, quamvis absque stola et respective manipulo, quocumque in casu, quia haec esset vera usurpatio exercitii Ordinis sacri, ob quam, nulla extat Ecclesiae permissio; esto quod irregularitas iuxta Moralistas non incurreretur, ob conditiones non induendi stolam et manipulum, et non tangendi quid sacrum; sed haec, quoad liceitatem, non immutant substantiam actus.

II. Episcopus potest Missam in pontificalibus canere Dominica Palmarum et suo Coadiutori committere benedictionem ramorum, quia Coadiutor potest quod valet Coadiutus, et functio est in casu separabilis.

III. Celebrans, post evangelium Missae, dum alius homiliam facit, nequit in sacristiam se recipere ad recitandum Breviarium vel ad confessiones excipiendas; nequit enim,

Missa incoepta, altare derelinqui, nisi gravissimis ex causis, de quibus omnes agunt Moralistae.

IV. Non esset sufficiens ratio, apud Sorores religiosas, non utendi ministerio clerici, vel laici eius vices supplentis, in Missa, quod parcatur impensae, nisi hanc omnino sustinere nequeant. Secus nulla esset ecclesia, nullum oratorium quod eximi non posset; quidquid fit, ordinario, per emolumentum fit.

V. Non est novum quod Canonici cuiusdam ecclesiae et Capituli gaudeant aliquibus insignibus, extra officia ecclesiastica utenda. Oportet tamen, quando agitur de insignibus praelatitiis, quod adsit beneplacitum Apostolicum. Alias suo iure potiuntur Episcopi, et valet consuetudo.

VI. Nequit recitari *Credo* die octava simplici S. Stephani, ritus enim simplex illud non admittit, quod docent Missae de S. Maria in Sabbato et Missae Votivae Sanctorum ius ad illud habentium; quidquid ex manifesto errore dixerint aliquot ceterum eximii liturgici Viri. Expectentur ceterum novae rubricae Missalis, ex quibus apparebit utrum S. Sedes voluerit novum ius constituere, necne.

VII. Circa applicationem pro populo diebus festis suppressis, standum omnino instructioni Rev.mi Ordinarii.

VIII. In actu benedictionis cum SS. Sacramento, nihil omnino cantari potest; immediate autem ante illam, decretum S. R. C. n. 3237, I, admittit laudes indulgentiis ditatas « Dio sia benedetto », ex quo aliqui inferunt, posse et alias similes precationes, vel ad implorandam benedictionem directas, tunc admitti, etiam vulgari sermone.

IX. Circa novam admissionem apud Summum Pontificem Praelatorum inferioris gradus, qui munere cessant, defuncto Pontifice qui eos inter suos suscepit, recurrendum est ad Rev.mos Ordinarios locorum. Si cessaverunt munere et privilegiis, cessare debent etiam nuncupatione et titulo.

X. Nequit sustineri consuetudo, qua in S. Communione inserviens, quicumque sit, pallam aut simile linteum admovet vultui communicantium.

XI. Manutergium ad *Lavabo* adhibendum nequit ad angulum altaris fixe appendi; hoc esset inconveniens, sive tobaleis sive ipsi altari apponeretur.

XII. Materia calicum, alia ab ea quam innuit rubrica, nequit admitti, etiamsi aurum ipsam materiam interius contegat. Si fabricatores, etiam ab ecclesiastica Auctoritate approbati, eos sic conficiunt, contra legem agunt, neque supponi potest Auctoritatem illam iugiter eos persequi examine suorum operum. Similiter nequit admitti materia paramentorum pro Sacris ex mero gossypio, quamvis imitetur sericum, etiamsi adhibeatur a Pio Opere Tabernaculorum, quod potest vel decipi vel bona fide errare.

XIII. Circa facultates Episcoporum, legitime, uti semper supponendum est, Sacerdotibus dioecesis communicandas, standum terminis sub quibus iure vel privilegio sunt concessae, etiam attenta differentia inter clerum saecularem et regularem.

XIV. Lectiones contractae non inserentur a Typographis Breviariis quae ab ipsis eduntur, cum hoc prohibitum a S. Sede sit. Possent ad calcem, finito omnino textu Breviarii, quemadmodum hac ratione possent adiicere v. gr. laudes, hymnos, preces, probante Ordinario, quasi esset alterius libri ab extra coniunctio.

XV. In Ordine Baptismi parvulorum, n. 12, verba *hoc plasmate Dei* pro pluribus mutanda sunt in numero plurali, quia id explicite innuitur per rubricam Ritualis typici : « In plurali pro pluribus », quae locutio nequit referri nisi praedictis verbis, alia enim non adsunt quae possint sic mutari.

Pro Hollandia. — In precibus ferialibus dicendis ad Laudes et ad Vesperas inserta est oratio pro Episcopo Dioeceseos : « ℣. Oremus et pro Antistite nostro N... ℟. Stet et et pascat etc. » Quid in casu ab ipso Antistite dicendum est? Utrum omittere an mutare debet hunc Versum cum suo Responso ?

Resp. Omittere debet, cum subrogatio alterius versiculi retinenda sit prorsus arbitraria, etiamsi aptaretur ad eandem significationem.

II. Quando feria VI quae prima unoquoque in mense occurrit, dicitur Missa votiva *Miserebitur* in honorem Ss.mi Cordis Iesu, utrum — extra tempus quod decurrit a Septuagesima usque ad Dominicam Trinitatis — omittendum est *Alleluia* ad Introitum, Offertorium et Communionem, ut Decretum S. R. C. diei 6 februarii 1892 ad 10 (n. 3764), cum correctione in Indice ad Decreta Authentica, p. 129, clare docet, an retinendum est idem *Alleluia*, ut insinuatur in Graduali Romano ad Offertorium eiusdem Missae (Desclée 1910, pag. 485)?

Resp. Expectetur nova editio Missalis romani, in qua rubricae concinne aptatae invenientur. Interea res dubia est, quum textus omnes citati eadem polleant auctoritate.

Pro Rochester N. Y. — I. Decretum S. C. Consistorialis, d. 2 maii 1910, declarat Episcopos posse, a die in qua a Summo Pontifice electi sunt, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint, idque dum Sacris operantur, non tamen a praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis Officiis sacrisque ritibus intersunt, deferre pileolum violacei coloris, quod privilegium a Pio Papa IX concessum est, die 17 iunii 1867. Dispositiones hae recentis aevi non dilucidantur in libris liturgicis, ideoque quoad particularia standum regulis iam probatis, et in casu, quando agitur de Missa, nulla difficultas, cum exceptio unica habeatur in citato decreto pro tempore tantummodo a praefatione ad communionem; quando vero agitur de Episcopi assistentia in cappa, standum regulae, qua aufertur pileolus, quemadmodum a ceteris assistentibus, ita etiam Episcopo celebranti, tempore evangelii. Martinucci, vol. III, pag. 225, n. 79, sic explicite docet, et si in casu simili, pag. 242, n. 95, dicit tantum « nudabit caput », id profecto intelligendum est in senso absoluto, et non de solo bireto, quod nominat innuens ut tradatur Assistenti, utique cum pileolo; et sane idem erat Auctori hic dicendum quod loco superius citato, et a fortiori, quia hic agit de Missa ab alio Episcopo celebrata.

II. Quod decreta antiquae Collectionis authenticae S. R. C.

non inveniantur in nova, non semper significat ea amplius non valere, sed profecto invocari non possunt tamquam lex vigens. Ergo, extra locum et casum pro quibus data erant, nullimode invocari queunt, in loco autem et casu praedictis ex variis considerationibus videatur.

Pro conventu N. — I. An preces a Leone XIII praeceptae omitti possint in fine Missae votivae solemnis quae per privilegium legitur a sodalibus *Associationis Perseverantiae sacerdotalis* 1ª feria sexta cuiusvis mensis, licet exercitium SS. Cords Iesu non habeatur, ad normam dictorum in « Ephem. Liturg. » 1911 pag. 724?

Resp. Solemnitas in casu debet intelligi quae aliquo modo pateat, v. gr. quia Missa est conventualis coram Comunitate. Communitas tamen videtur accipienda sensu lato, ita ut si in casu exposito adstent Sodales Associationis Perseverantiae, Missa reipsa ut solemnis haberi queat.

II. Pluribus in locis et monasteriis viget usus administrandi SS. Eucharistiam ante Missam conventualem immediate, contra S. Sedis resolutiones: an possit servari hic usus, habita ratione scandali fidelium quod ex eius abolitione oriretur? Plures apud nos putant consuetudinem hanc servari posse et debere, praesertim cum decreta Apostolica casum consuetudinis contrariae non tangant.

Resp. Negative; et scandalum populi opportuna instructione arceatur. Consuetudo non sustinetur, quia per aequivalentia verba excluditur in decreto n. 4177, III, etiam *data rationabili causa,* quae in dubii propositione habentur et in responsione implicite admittuntur.

III. An possit tolerari consuetudo dandi absolutionem Tertiariis in ecclesia adunatis immediate post benedictionem cum SS. Sacramento, non depositis vestibus albi vel rubri coloris?

Resp. Non videntur esse, qui ita se gerunt, inquietandi, ex similibus exemplis.

IV. An, tempore secundae Missae conventualis Defunctorum quae forte dicatur prima die libera mensis quae habet officium simplex, possit satisfieri recitationi chorali

officii divini? An idem possit tempore Missae Rogationum ubi fit processio?

Resp. Affirmative ad primam partem, quia Missa defunctorum, in casu nullimode consideratur, imo extra chorum omnino, si adsit clerus officians, celebrari debet. Negative ad secundam partem, quia Missa Rogationum a novis rubricis excipitur (tit. XII, De Missis Convent.).

V. An *Notandum 5 in Tabellas* intelligi debeat etiam de duplici maiori die octava?

Resp. Affirmative, ex paritate rationis, quae militat pro aliis duplicibus maioribus.

VI. An Missa Conventualis Defunctorum quae, sine cantu celebratur, necessario postulet Sequentiam?

Resp. Affirmative, quia est habenda ut solemnis, solemnitate intrinseca.

VII. An possit retineri usus induendi pluviale pro benedictione SS. Sacramenti, ex causa privata, quae post Missam immediate impertitur?

Resp. Affirmative, quia redundat in honorem SS. Sacramenti, cui Ecclesia summopere favere supponitur.

VIII. An omitti possint preces a Leone XIII praescriptae, quando post Missam immediate sequitur benedictio et simplex expositio SS. Sacramenti, cum cantu litaniarum vel *Miserere,* qui cantus incipitur dum Celebrans legit *Communionem,* licet Sacerdos, finita Missa, recedat ab altari in sacristiam ad induendum pluviale pro benedictione ipsa impertienda? Ratio cur preces videntur omittendae est quia haec Missa solemnitate maiori celebratur quam illa in qua Sacerdos benedictionem Sacramenti impertitur quin ab altari recedat, in qua tamen certo preces omitti possunt ex decretis S. Sedis.

Resp. Missa, in casu, non est solemnis; ergo ex hoc capite non gaudet privilegio omissionis. Sacra functio celebratur post Missam, sed Celebrans recedit ab altari; ergo, cum non impleatur conditio decreti 20 iunii 1913, non gaudet privilegio. Restat ut vel Celebrans pluviale induat ad altare, et sic omittere potest preces, vel prius recitet saltem cum Ministro (nisi inconveniens illius cantus eliminatur) preces ac postea recedat. M.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 3 curr. anni, pagg. 180-190).

Quaestio.

Fabritius sacerdos consuetudinem habet celebrandi in suo privato Oratorio quotidie fere, cum Rescripto gaudeat *causa infirmitatis*, quamvis domo exeat saepe saepius pro suis negotiis. Praeterea suum Oratorium gentilitium in Coemeterio adit, ibique celebrat vel in altari locato in parte superiori eiusdem, prope sepulcra, aut in altari in hypogeis sito, sepulcris circum circa surgentibus.

Saepe denique Missam celebrat absque ministro, cuius vicem gerunt in responsionibus nonnullae mulieres religiosae.

Quaeritur :

1. *Quibus in casibus et quem ad finem conceditur Rescriptum* causa infirmitatis?

2. *Permittunturne sepulcra mortuorum apud altaria, et quo in altari, ut in casu, sanctum Sacrificium celebrari potest?*

3. *Sacrificii Missae minister estne absolute necessarius?*

4. *Quid dicendum de Fabritio?*

Solutio.

Ad I. *Quibus in casibus et quem ad finem conceditur* Rescriptum *causa infirmitatis?*

Resp. Lex generalis Ecclesiae est, ut, sine aliqua dispensatione aut indulto, quod tantum S. Sedes concedere potest, prohibitum sit Missam celebrare privatis in domibus tamquam in oratorio privato.

Episcopus, usque ad transactum annum MCMXII, Missae celebrationem permittere non poterat privatis in domibus, « nisi in aliquo gravis et urgentis necessitatis casu ». Iuxta autem hodiernam iurisprudentiam, in huiusmodi quaestione, per decretum S. Congr. Sacramentorum, diei 23 dec. 1912, Episcopus, *per modum actus, ex iustis et rationabilibus causis, permittere potest, ut sacrosancta Missa, privatis in domibus, celebretur, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatis aliis de iure servandis.* Obtinetur utique a S. Sede indultum Oratorii privati personalis, *infirmitatis causa,* cum licentia tamen Missae celebrandae *illis diebus, in quibus* sacerdos *domo egredi nequeat absque suae valetudinis incommodo.* Ne igitur latiori sensu accipiat verba indulti, illa regula fretus Iuris Canonici: *favores sunt ampliandi,* cum dispensatio, uti communiter Doctores docent (v. D. Alph.), stricta interpretatione sumenda sit, potest quidem sacerdos Missam celebrare in Oratorio privato, sed tamen illis tantum diebus, in quibus, cum gravis annis sit aut infirmus, incommodum aliquod suae valetudinis timeat si domo egrediatur, pluvia vel nive e coelo cadente, aut hieme vel alia intemperie instante. Sed sine ulla legitima et rationabili causa, cum sanus sit et domo egrediatur, omniaque sua negotia foris, consueto more, peragat, sine ullo suae valetudinis detrimento, haud iustum videtur et indulto consonum, privilegio, ad modum habitus fere, uti.

Ad II. *Permittunturne sepulcra mortuorum apud altaria, et quo in altari, ut in casu, S. Sacrificium celebrari potest?*

Resp. Contradicit Canonum sensui cadavera in ecclesiis

et prope altaria humare: « Intra ecclesiam et prope altare, ubi Corpus et Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliatur » (*Can.* Praecipiatur 15, caus. 13 q. 2).

Temporum progressu Praelatos solum aut dignos Presbyteros vel simplices fideles, qui in odorem sanctitatis e vita excessissent, permittebatur in ecclesia sepelire: « Nullus mortuus..... nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri vel fideles laici » (*Can.* Nullus 18 ead. caus. et q.).

Attamen, volventibus annis, concessa fuit humatio cuiuscumque etiam laici (*Can.* Ex parte et *Can.* Cum liberum). Quod ad altaria attinet, Rit. Rom. cadavera vetuit collocare prope ipsa. Postea S. R. C. concessit ut cadavera sepelirentur ab altari tribus cubitis distantia inter sepulcrum et suppedaneum. Ad dubium autem S. R. Cong. expositum: « Quaenam distantia intercedere debet inter altare et cadavera, quae in coemeteriis vel ecclesiis sepulta sunt? », praefata S. C. die 12 ian. 1897 (*in Romana ad 2*, n. 3944) ita rescripsit: « Cadavera ab altari tribus cubitis distare debere: et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis; atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere ». Lex non distinguit: sufficit autem distantia unius metri inter altare et cadavera, ubicumque ipsa humata sint. Quapropter aut ad latera, aut in longitudinem sita, sint, dummodo uno metro distent ab altari, potest quidem sanctum Missae sacrificium in ipso celebrari, dum si desuper aut subter, tunc tantum, cum in sacello a crypta camera separato extet altare.

Et S. R. C., cum decreto 27 iul. 1878, n. 3460 ad II, explicite declaravit Missam conditione separationis servata, celebrari posse super altare in crypta positum, quae linea recta ab eo locata, cadavera continet. Certum est quod olim prohibebatur Episcopis *Capellam benedicere in hypogeis sitam, quae habebat in muris cadavera defunctorum (d. 21 apr. 1873, n. 5539)*, et cum alio decreto (eiusdem mensis et anni n. 3294) rescripsit *altaria haud erigi posse in Coemeteriorum hypogeis, ubi cadavera et ossa sepulta sunt;* sed cum decretis

posterioribus, quae supra prostant, Ecclesia, praesenti praxi, indulgentior fuit in mortuorum cultu.

Ad III. *Sacrificii Missae minister estne absolute necessarius?*

Resp. Minister, ait Angelicus Doctor (*3 p. q. 83* a 5): « gerit personam totius populi catholici ». Quare in Missa deesse non potest nisi ob gravem necessitatem, uti si urgeat S. Viaticum infirmo afferre, aut si, Missa incepta, ipse minister abeat.

Posset tamen Missa sine ministro celebrari, dummodo dispensatio Pontificis obtineatur, quae tamen semper fere negatur.

Mulieribus etiam religiosis haud licitum est, ordinaria praxi, Missae inservire: quod si urgeat necessitas, respondere possunt, sed extra presbyterium (*S. R. C. 27 aug. 1836*, n. 2745-8).

Ad IV. *Quid dicendum de Fabritio?*

Resp. Fabritius igitur uti potest *Rescripto* iis tantum diebus, in quibus incommodum suae valetudinis timeat si domo egrediatur. Potest etiam S. Sacrificium celebrare in suo Oratorio gentilitio, in Coemeterio, super duobus altaribus, conditionibus tamen, quae supra dicta sunt, et iuxta decreta recentiora.

Absque ministro autem nullo modo Fabritius celebrare potest; potest tamen uti aliqua pia muliere, dummodo extra presbyterium et adsit necessitas.

Quaestio.

Silvius parochus solet, in solemnibus festis suae ecclesiae, musicorum concentus invitare, qui et in ecclesia, et in processionibus theatralia atque profana exequi solent.

Cum dubium exurgat sibi in mente de liceitate huiusmodi rei, a quodam suo collega parocho quaerit:

1. *Qui musici concentus permittuntur, quique pro-*

hibentur in ecclesia, iuxta Motu proprio *Pii Papae X, die 22 nov. 1903?*

2. *Qui locus assignandus eisdem musicorum concentibus in sacris processionibus?*

3. *Vacat culpa Silvius parochus in casu?*

Solutio.

Ad I. *Qui musici concentus permittuntur, quique prohibentur in ecclesia, iuxta* Motu proprio Pii Papae X, *die 22 nov. 1903?*

Resp. Musica ecclesiastica tantum et sacra, quae gravis est, simplex et solemnis, iuxta Pontificum approbationes et constitutiones, permittitur in ecclesiis. Musica enim, ars nobilissima, et, ut ita dicam, divina, sensus animi reconditos exprimit et vivo colore vestit: suam igitur indolem nativam ex natura eorumdem depromit. Itaque ut motus animi pios et sacros excitet, oportet ut musica etiam pia et religiosa sit: concentus profani, qui terrenos affectus saperent atque olerent, contrarios effectus sortirentur, mentemque a Deo averterent. Vulgari idiomate referimus nonnullos locos *Motus proprii* Sanctitatis Suae Pii Papae X, qui ad nostrum casum spectant, utpote qui italice a Pontifice evulgatus fuit; quae *Instructio*, decreto S. R. C. « Urbis et Orbis », die 8 ian. 1904, n. 4131, ad omnes ecclesias totius Orbis terrarum extensa fuit: « Queste qualità (de quibus supra diximus) si riscontrano in grado sommo nel Canto *Gregoriano*, che fu sempre considerato come il supremo modello della musica sacra, potendosi stabilire con ogni ragione la seguente legge generale: *tanto una composizione per chiesa è più sacra e liturgica quanto più nell'andamento, nell'ispirazione e nel sapore si accosta alla melodia* Gregoriana, *e tanto è meno degna del tempio quanto più da quel supremo modello si riconosce difforme* (c. 11, *generi di musica Sacra*). Et alio loco: « È rigorosamente proibito alle così dette bande musicali di suonare in chiesa; e solo in qualche caso speciale, posto il consenso dell'Ordinario, sarà

permesso di ammettere una scelta limitata, giudiziosa e proporzionata all'ambiente, di strumenti a fiato, purchè la composizione e l'accompagnamento sia scritto in stile grave, conveniente e simile in tutto a quello proprio dell'organo. Siccome il canto deve sempre primeggiare, così l'organo o gli strumenti devono semplicemente sostenerlo e non mai opprimerlo. Non è permesso di premettere al canto lunghi preludii o d'interromperlo con pezzi d'intermezzo. È proibito in chiesa l'uso degli strumenti fragorosi o leggeri, quali sono il tamburo, la grancassa, i piatti, i campanelli e simili » (c. VI, *Organo ed istrumenti*).

Et S. R. C. cum decreto, die 13 Nov. 1908, rescripsit: « Organica tolerari possunt instrumenta musica *oböes et clarinettes*; dummodo moderate et, obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur ». Et alibi: « Negli inni della Chiesa si conservi la forma tradizionale dell'inno. Non è quindi lecito di comporre, p. e. il *Tantum ergo* per modo che la prima strofa presenti una romanza, una cavatina, un adagio e il *Genitori* un allegro » (c. IV, *forma est. delle ss. funz.*). Et alibi: « Nelle processioni fuori di chiesa può essere permessa dall'Ordinario la banda musicale, purchè non si eseguiscano in nessun modo pezzi profani » (c. VI, *org. ed instrum.*). Et alio loco: « In generale è da condannare come abuso gravissimo che nelle funzioni ecclesiastiche la liturgia apparisca secondaria e quasi a servizio della musica, mentre la musica è semplicemente parte della liturgia e sua umile ancella » (c. VIII, *ampiezza della musica liturgica*). Et « *Instructio* praedicta iuxta decretum S. R. C., die 8 ian. 1904, ab omnibus accipiatur ecclesiis sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque ». Huiusmodi autem praescriptiones obligant *sub gravi*. Haec enim verba *Motu proprio*: « Di moto proprio e certa scienza pubblichiamo la presente Nostra *Istruzione*, alla quale, quasi a *codice giuridico della musica sacra*, vogliamo dalla pienezza della Nostra Autorità Apostolica sia data forza di legge, imponendone a tutti,

col presente Nostro Chirografo, la più scrupolosa osservanza ». Et S. R. C. generaliori decreto, die 8 ian. 1904, declaravit praescriptiones eiusdem *Motu proprii*: « SS. D.nus Noster... ex plenitudine Suae potestatis vim legis pro universa Ecclesia habere voluit ». Ut res planior fiat, oportet etiam hic referre verba, quae decretum adiecit: « Eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut praedictae cantus liturgici recentiores formae, in iis ecclesiis ubi iam invectae sunt, licite retineri et cantari queant, donec *quamprimum* fieri poterit venerabilis cantus *Gregorianus* iuxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur ».

Ad II. *Qui locus assignandus eisdem musicorum concentibus in sacris processionibus?*

Resp. Ad dubium S. R. C. propositum: « Quo loco procedere debeat concentus musicus, vulgo la *Banda*, dum sacris processionibus intervenit?, eadem S. C., die 23 septembr. 1837 rescripsit: « Assignetur locus ab Episcopo, verum ante utrumque Clerum ». At si interfuerint sacra Sodalitia quae saccis utuntur, necnon Adgregatio Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, quae cum Clero Saeculari et Regulari efformant processionem liturgicam, eis musicorum concentus praeire vel statuam sequi debent.

Ad III. *Vacat culpa Silvius parochus in casu?*

Resp. Silvius igitur male se gerit: ipse enim tenetur ad decorem ecclesiae servandum et promovendum, praescriptionibus Ecclesiae obtemperare, nec permittere ut, vetitis et profanis concentibus, in quibus theatrales et lascivae modulationes turpes cogitationes et affectus in animo excitant, domus Dei fiat saecularium conventus.

Debet igitur ipse praescriptiones Pii Papae X adamussim servare circa musicam sacram.

Quinimo abusum eradicet, qui invaluit, collocandi lignea suggesta pro musicis concentibus procul ab altari, cum ita commodum praebeat fidelibus altari terga vertendi, ut musicam bene auscultent!

Quaestio.

Leo, ecclesiae cuiusdam Rector, sursum collocans Baldachinum ad publice et solemniter fidelibus exponendum SS. Sacramentum, cum non possit in altari manere, inter candelabra, Crux magna, quae ad celebrationem Sacrificii Missae necessario requiritur, ad Ciborium parvam Crucem suspendere solet.

Quaeritur :

1. *Sufficitne Crux simplex absque Crucifixo, an Crucifixus etiam requiritur ad celebrationem Sacrificii Missae*?

2. *Quis et quomodo potest Crucifixo benedictionem impertire ut ad sacros usus sit idoneus*?

3. *Qua dimensione Crux requiritur*?

4. *Estne necessaria Crux super Altare cum in Missae celebratione SS. Sacramentum solemniter expositum est*?

5. *Quid dicendum de Leone*?

Solutio.

Ad I. ***Sufficitne Crux simplex absque Crucifixo, an Crucifixus etiam requiritur ad celebrationem Sacrificii Missae?***

Resp. Inter altaris ornamenta principem locum tenet Crux cum imagine Crucifixi ; qui usus est in Ecclesia antiquissimus, ita ut iam suis temporibus S. Ioannes Chrysost. scripserit : « Haec ipsa Crux in Sacra Mensa cum Christi corpore ad coenae mysterium resplendeat » (*Hom. 61*) ; et Benedictus XIV : « Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his altaribus celebretur, quae careant imagine Crucifixi » (*Enc.* Accepimus, *16 Iunii 1746*) ; et in Concilio Turonensi III, anno 570 habito, decretum fuerit : « Corpus Christi sub Crucis titulo ponatur ». Iuxta tamen Duchesne (*Orig. I, p. 363*) et Magani (*Ant. Lit. Rom. III, 125*), antiquitus Crux non erat in altaris mensa,

sed tamquam ornamentum cuspidis ciborii, quod cooperiebat altare. Quidquid est ergo de antiquitate et origine, Rubricae Missalis antiquae, a Divo Pio V recognitae (*Rit. II.* 2), omnino Crucem requirunt et quidem cum imagine Crucifixi; item Caeremoniale (I, XIII, II) Crucem in altari praescribit, ita ut nequeat celebrari Missa, si Crux, cum imagine Crucifixi, sculpta vel depicta desit.

Ad II. *Quis et quomodo potest Crucifixo benedictionem impertire ut ad sacros usus sit idoneus?*

Resp. Eximius auctor Scavini (S. IV, n. 390) dubium S. R. C. propositum et eius responsum refert, quae ita sonant: « In Rit. benedictio novae Crucis ponitur inter reservatas ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus facienda. Decreto autem diei 12 iulii 1704 ad 2 declaratur: « Cruces altarium et processionum, quae non sunt benedicendae de praecepto, posse benedici privatim a simplici Sacerdote ». Quaeritur ergo quid intelligendum sit per novas Cruces, quarum benedictio est Episcopis reservata? An simplex Presbyter possit benedicere Cruces usui privato, v. g. ut ponantur in domibus fidelium, destinatas, et in hoc casu adhibere formulam benedictionis novae Crucis a Rituali traditam?». Et eadem S. Congregatio, die 12 aug. 1844, respondit: « Quoad primam partem, intelligendas Cruces coemeteriorum aliasque publice exponendas. Ad secundam partem: Affirmative ». Quoad vero formulam benedictionis, cum de Crucifixo agatur, advertendum sane est, ipsum Crucifixum quoad imaginem (in Rituali *Benedictio Imaginum Iesu Chr.* etc. p. I), minime vero quoad Crucem benedicendum esse (in Rit. *Benedictio novae Crucis*, p. I, vel *Bened. solemnior novae Crucis,* p. II); per Crucem autem intelligendum esse tantummodo quando ipsa Crucifixi imagine caret (*Baruffaldi, Comm. in Rit. Rom. tit. 69*).

Ad III. *Qua dimensione Crux requiritur?*

Resp. Summus Pontifex Benedictus XIV in sua Constit. *Accepimus,* ita alloquitur Ecclesiae universalis Episcopos: « Vobis praecipimus ut nullo pacto patiamini rem divinam

fieri, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans ac populos Sacrificio assistens, eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint; quod evenire nequit, si exigua solum Crux, minori tabulae defixa, fidelibus exhibeatur ». Et ad dubium S. R. C. propositum : « An et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem, vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit? », decreto generali diei 17 sept. 1882, eadem S. C. ita rescripsit: « Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis: quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti, quam populo ». Crux igitur altaris inter candelabra, uti diximus, vel super ipsum tabernaculum collocanda est, non autem in throno, in quo Ostensorium poni solet (*d. 4136*), neque super corporale vel palla (*d. 3576, III*), neque ante ostiolum tabernaculi (*11 iun. 1909, d. cit.*). In observantioribus ecclesiis, scilicet ubi praecipuae leges liturgicae prorsus in honore habentur, ita ponitur Crucifixus, ut vel ante, vel post thronum, si forte expositio habeatur, elatus appareat (*Cfr. De Amicis, Caerem. Paroch. t. I, p. 15-16*). Attamen cum determinata non sit mensura Crucifixi, rectores ecclesiarum facile putant se posse statuere magnitudinem Crucis pro suo arbitrio; quapropter plurimi Episcopi in edictis dioecesanis, legem Benedicti XIV promulgando, mensuram quoque praescripserunt pro Cruce altarium. Qua de re, tuto pede, ut nos opinamur, accipiendae sunt *normae* ab E.mo Card. Respighi, f. r., Urbis Vicario, traditae pro Visitatione Ap.lica ecclesiarum Urbis, anno 1904, qui rescripsit: « 1° Quod, transactis tribus mensibus a Visitatione, suspensae sint Cruces omnes altarium, quarum hasta longior minor sit altitudine quadraginta centimetris, et brevior viginti duobus. Pro ara principe tamen, et maioribus Capellis, Crux proportionaliter maioris sit magni-

tudinis. 2° Quod Cruces in altaribus ita collocentur, ut aperte conspici possint a celebrantibus et a fidelibus; ideoque nullum existat obstaculum inter oculos celebrantis et ipsam Crucem. 3° Quod Crux ita sit apte disposita, ut non appareat res secundaria et quasi ad ornamentum potius, quam ad cultus obiectum praecipuum. 4° Quod ipsa imago Crucifixi concinne et decore sit exsculpta. 5° Quod omnino removeantur tabellae minores secundariae altarium (vulgo *quadri, sottoquadri, troni, statue, reliquie* etc.), quae prohibeant quominus Crux pateat, et locum praecipui cultus habeat». « Crux, ait cl. Bauldry (*de Rubr. generalibus,* tit. xv, n. 24), super altare apponatur in medio tamquam signum Regis in regia, eleveturque ad tantam altitudinem, ut pes ipsius aequet altitudinem candelabrorum; ac ipsa tota candelabris super emineat »

Ad IV. *Estne necessaria Crux super Altare cum in Missae celebratione SS. Sacramentum solemniter expositum est?*

Resp. Quum exponitur solemniter in throno SS. Sacramentum, Crux collocari debet vel non in altari, cum Missa celebratur iuxta ecclesiarum consuetudinem. Et S. R. C. cum decreto diei 2 sept. 1741, ad 5, rescripsit: « Supervacaneam imaginis exhibitionem ubi prototypus adoratur ».

Ad rem notandum, quod reprobanda prorsus est consuetudo et omnino abolenda, ad *Sepulcrum,* vulgo dictum, deponere, feria V *in Coena Domini,* Crucifixum, quem fideles osculari solent, dum animi intentio ac pietatis sensus fidelium, totus et unice debet esse ad Christum versus, qui realiter est praesens in divinissimo Sacramento.

Ad V. *Quid dicendum de Leone?*

Resp. Leo rite parvam Crucem ciborio suspendere non debebat; ipsa enim, uti diximus, cum debeat esse *visibilis tam Celebranti, quam populo* in Missae celebratione, necessaria tunc non erat, nec Expositionis, nec Missae celebrationis tempore super altare expositionis, iuxta illud effatum, quod ad rem facit etiam in praesenti quaestione: « ubi maior est, minor cessat ».

BIBLIOGRAPHIA

Nova editio Breviari romani.

Ex editionibus Breviarii Romani, quae hactenus in lucem prodierunt, post bullam « Divino afflatu », summopere commendanda est ea quam *Editores Dublinenses M. H. Gill et Filius* nuperrime evulgarunt. In fronte titulum refert: Editio iuxta Typicam *a S. R. C. adprobatam, in qua Psalterium cum Ordinario per extensum compositum est*. Constat quatuor parvis voluminibus, quorum charta quamvis levissima, est tamen satis opaca, nullatenus diaphanos exhibens characteres.

Ob *maximam pretii modicitatem*, et ob *multas commoditates*, quas praesefert, omnibus aliis editionibus omnino est praeferenda. Et sane hucusque nulla alia Breviarii editio, in quatuor partes divisa, nondum vendita est *libellis decem*, prout haec, de qua loquimur. Insuper praesefert commoditatem *Unicam* et omnino *Novam* quae in aliis praecedentibus numquam reperitur, uti apparebit ex iis quae sequuntur.

Plures absque dubio prae manibus habuerunt pulcherrimam novi Psalterii editionem, quam anno 1912 in lucem protulit celebris Domus pontificia Ratisbonensis Fr. Pustet, sub directione clarissimi viri, amici nostri, Sac. Fr. Brehm, quaeque nuncupatur *Editio Amplificata*, eiusque magnam utilitatem recognoverunt, utpoteque ex integro et per extensum, ut aiunt, simul complectebatur *Ordinarium* et *Psalterium*, proprie dictum.

Similiter omnes norunt, quanta commoditate potiantur tum *Breviarium Natalicium*, uti vocant, tum *Quindenae Paschalis*, et alia similia, in quibus Officia inveniuntur *per extensum* disposita. Item in ipsis editionibus Breviarii, quas annis 1914 et 1915 pontificii editores Desclèe, Dessani, Marietti et Pustet perfecerunt, habetur partialis illa unio Ordinarii cum Psalterio quoad Horas minores et Completorium, scilicet repetitio hymnorum aliarumque partium, quae quovis die recitari debent. Id autem factum fuit, ne summopere molestum esset lectori, aliunde et separatim quaerere *liturgicas illas partes*, quotidie occurrentes: quod certe in praxi magnam affert utilitatem.

Nova editio Domus Gill hanc maximam utilitatem procurat non modo *partialiter* et in solis *Horis Minoribus*, sed in *tota quotidiana Officii recitatione*, ita ut praedicta editio non ponat primo loco ordinarium, et deinde Psalterium, sicut omnibus editionibus hactenus productis, sed unum corpus efficiat, prout in fronte uniuscuiusque voluminis sic legitur: *In qua Psalterium cum Ordinario per extensum compositum est*. Ibidem pro quolibet hebdomadae die proprio loco simul invenies diversas partes,

tum Ordinarii, tum Psalterii, uti anno 1912 Domus Pustet fecerat in supradicta *editione ampliata,* et prout sequitur:

Ad Matutinum — Invitatorium iuxta qualitatem temporis,
Ps. *Venite* positus semper per extensum,
Antiphonae et Psalmi,
Absolutiones et Benedictiones,
Te Deum.

Ad Laudes — Antihponae et Psalmi,
Hymni et versiculi, iuxta qualitatem Temporis,
Antiphona et *Benedictus*, semper per extensum,
Preces et suffragium,
Antiphona finalis B. Mariae Virg. iuxta qualitatem temporis.

Ad Primam — Hymnus,
Antiphonae et Psalmi (addito per extensum Psalmo IV),
Capitulum et Responsorium breve, iuxta qualitatem temporis,
Preces dominicales et feriales,
Orationes etc. sequentia,
Lectio brevis.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam — Hymnus,
Antiphona et Psalmi,
Capitulum et Responsoria brevia, iuxta qualitatem temporis,

Ad Vesperas — Antiphonae et Psalmi,
Capitulum et Hymnus et Versiculi, iuxta qualitatem temporis,
Antiphona et *Magnificat* semper per extensum,
Preces et Suffragium.

Ad Completorium — Lectio brevis, *Confiteor,*
Antiphona et Psalmi,
Hymnus, Capitulum et Responsorium breve,
Antiphona et *Nunc dimittis* semper per extensum,
Preces,
Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis.

Quapropter qui utitur hoc novo Breviario, quum ex. gr. debeat recitare Officium de Feria, ibi omnia per extensum reperiet, quin alio recurrat, exceptis solis Lectionibus, quia Invitatorium, Psalmus *Venite, exultemus,* Absolutiones, Benedictiones, et ipsum *Te Deum,* quando occurrit, Preces, Suffragium, Hymni, Responsoria brevia, iuxta qualitatem temporum, et etiam antiphona finales Beatae Mariae Virginis, haec omnia, iuquam, proprio loco inveniuntur et in quovis hebdomadae die repetuntur.

Pariter quum recitandum sit Officium Sanctorum, quod desumit Psalmos e Psalterio, omnia per extensum leguntur, et alio non recurritur, exceptis Lectionibus, et ad Commune pro Capitulo, Hymno, Versiculo, etc.

Etiam pro Festis Sanctorum, ritus Duplicis I et II classis, in quibus fit Officium de Communi, huiusmodi editio Gill aliam exhibet utilitatem, quatenus nempe in primo Communi, scilicet Apostolorum, disponuntur *per extensum* Psalmi ad Laudes et Horas Minores et Completorium, quin fiat recursus ad Psalterium de Dominica.

Sed et aliae non minoris momenti commoditates inveniuntu ex gr. Lectiones et Oratio pro Vigiliis Apostolorum repetuntur proprio loco. In Dominicis post Pentecostem quae occurrere possunt mensibus Augusti, Septembris, Octobris et Novembris, Responsoria VII et VIII ponuntur post respectivas Lectiones de homilia, quin fiat recursus ad eadem inquirenda post Lectiones II nocturni. Quoniam ordinarie in festis et in Communibus, Antiphonae ad Vesperas sunt illae ad Laudes, ad quas remittitur lector, hinc accidit ut in II Vesperis legatur: *Omnia ut in primis,* ideoque fiat recursus ad I Vesperas ibique legatur *Antiphonae et Capitutum de Laudibus* et quandoque etiam Hymnus; haec omnia inconvenientia in editione Breviarii Domus Gill manent evitata, quia semper per extensum ponuntur Anti phonae, Capitulum, Versiculus et Hymnus in I Vesperis, et proinde Antiphonae ad *Magnificat,* tam in I, quam in II Vesperis: quod est manifestae utilitatis et maioris lucri temporis.

Praeterea, sub fine cuiuslibet voluminis additus fuit *Ordo ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis, Ordo Exequiaquiarum* et *Ordo ad faciendam aquam benedictam:* quae addictiones magnam afferunt utilitatem praesertim clero, coram animarum habenti.

Supradictis commoditatibus et utilitatibus prorsus si addatur I *nitor* pulcherrimi characteris seu typi elzeviriani, fusi ex proposito pro hac editione, qui quamvis *levis,* tamen valde ligibilis est; II *leve pondus* cuiuslibet voluminis quod non superat gr. et *subtilitas* seu forma, ut aiunt, non excedens mm. 8 × 12 III *pretii tenuitas,* scilicet *decem libellarum* complexive pro quatuor volumini, non tamen ligatis; patet quod iure meritoque novum hoc Breviarum Romanum, editum a benemerita Domo Gill Dublinensi, ex iis quae hactenus prodierunt, ob allatas rationes, sit ceteris praeferendum.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 16 Februarii 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus in quo Rev. Manlius Manzi, *Congregationis Missionis quaestionem enodavit*

De consuetudine plures Missas et Absolutiones canendi in die Comm. Om. Fid. Defunct.

Post Censorum animadversiones R. P. D. Petrus Piacenza *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Ex antiqua consuetudine in Cathedrali P. post Missam pro omnibus defunctis, die 2 novembris, tres fiunt absolutiones: prima pro Sacerdotibus et Episcopis, secunda pro benefactoribus, tertia pro omnibus defunctis. Cum autem hodie Fulcus canonicus, ardens desiderio augendi suffragium pro animabus in Purgatorio detentis, distributionem instituerit ad hoc, ut chorales dictae Cathedralis, non tantum primam, sed et alias duas decantent Missas, capitulum, antequam legatum Fulci acceptet, quaerit:

1. *Utrum chorales distributionem pro assistentia ad secundam et tertiam Missam, et hebdomadarius eleemosynam pro ipsis decantandis accipere possint?*

2. *Quando decantari deberent tres Missae in casu, an continuatim, vel interposita mora et qua?*

3. *Num absolutiones tres ex consuetudine sustineri possint, et in nostro casu, utrum post primam Missam,*

Academiae Liturgicae Rom

an post ultimam, an vero post unamquamque sint faciendae?

Solutio.

Ad I. Pluribus in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis die 2 novembris, iam a saeculis, consuetudo invaluit, non unam tantum, sed tres vel quinque, et plures quoque, absolutiones donandi, decantando aliqua responsoria ex Officio defunctorum, cum Versiculis solitis, et Oratione apta ad rem, processionaliter procedendo ad sepulturas. Rubricae Caeremonialis (II, xi, 13) admittunt, imo praescribunt quinque absolutiones in exequiis Episcoporum et Principum. Pariter S. R. C. 12 iulii 1892 ad viij permittit quod pro defunctis absolutiones fiant *etiam quotidie, exceptis tamen duplicibus I classis;* non videtur ergo aliqua adesse prohibitio impertiendi plures absolutiones neque in die 2 novembris.

Canonicus Fulco, ergo, videns in sua Cathedrali hanc consuetudinem, et hodie cupiens ut tres concessae Missae in die Commemorationis Omnium defunctorum decantentur, quamdam summam suo Capitulo tradit, ut cum redditibus annualibus Missae ipsae in cantu celebrentur, praesente Capitulo et Clero Cathedralis.

Capitulum ergo quaerit: I. Potestne acceptari legatum Canonici Fulconis, et a Canonicis accipi distributiones pro adsistentia chorali ad Missas in casu? II. Celebrans, qui Missas decantat, potestne accipere eleemosynam pro earum applicatione?

Supposito quod Auctoritas competens legatum Fulconis adprobet, Capitulum acceptare potest legatum ipsum, ideoque, sicut alias fundationes, dispositiones Fulci.

Nil autem vetat quod in casu celebrentur cum cantu tres Missae, quia Constitutio SS. D. N. Pp. Benedicti xv nullimode se opponit, et cum agatur de maiori solemnitate, quae et ipsa vergit in maius suffragium, laudanda potius est, non damnada Fulci dispositio.

Acceptato autem huiusmodi legato, procul dubio Cano-

nici accipere possunt distributiones chorales pro adsistentia secundae et tertiae Missae. Sicut enim pro Anniversariis celebrandis solent Canonici facere suas relictas a fundatoribus distributiones ita et in casu nostro, prout patet.

Sed et Canonicus qui tres Missas decantat, potestne recipere eleemosynam pro cantu? Procul dubio admitti nequit, quod Fulco, in suo legato, aliquam compensationem non disposuerit pro huiusmodi Missis. Idcirco, cum prohibitum sit accipere aliquid, *quocumque titulo, etiam maioris laboris*, pro applicatione secundae et tertiae Missae, iuxta S. Congr. Concilii (15 octobris 1914), tres Missae in casu decantandae erunt a tribus Canonicis diversis, qui Missas alias lectas sine ulla eleemosyna celebrare debent, et pro Missa in cantu tunc bene poterunt accipere eleemosynam a Fulcone relictam.

Ad II. Utrum tres Missae in casu decantandae sint una post aliam, sine aliqua intermissione, an vero interposita aliqua Hora canonica?

Cum agatur de re omnino nova, non possumus responsum dare quod alicui legi vel decreto inniti queat, ideoque videretur, quod, ex Rubricis, quae disponunt Missam defunctorum post Nonam esse decantandam, hac die, tres Missae in cantu post dictam Horam, non vero interiecta alia Hora, decantari debeant.

Nihilominus, ideo quia agitur de re nova, ad solutionem secundi huius quaesiti, appellandae sunt dispositiones liturgicae uti dicuntur *parallelae;* illae scilicet quae moderantur cantum plurium Missarum eadem die. Pro solemnitate Nativitatis Domini Rubrica XV Missalis haec habet: *Missae Nativitatis Domini, prima dicitur post mediam noctem finito* Te Deum laudamus *in Matutino; secunda in Aurora dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die post Tertiam.*

Item quando iuxta Rubricas plures Missae in choro dicendae erant, semper aliqua Hora canonica ex minoribus, interponenda erat, et nunc quoque, licet ex nova concessione Pii X non amplius Canonici teneantur adsistere aliis

Missis celebrandis, nihilominus ipsae post horam a Rubricis praescriptam adhuc dicendae sunt.

Itaque, si revera cantantur tres Missae in die Commemorationis Omnium defunctorum, prima post Tertiam, secunda post Sextam, et tertia post Nonam erunt decantandae.

Huiusmodi tamen opinioni, videtur quod se opponat Rubrica Missalis quae dicit: *Missa pro defunctis dici debet post Primam diei;* ac dein loquendo de Missa in die Commemorationis Omnium defunctorum, ait: *Sed in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum Missa Conventualis dicitur post Nonam.*

Sed licet res erit declaranda a S. Rituum Congregatione, nihilominus observari potest, quod Missae pro defunctis de quibus agunt Rubricae, sunt Missae extra ordinem Officii diei; hodie vero tres Missae in die Commemorationis Omnium defunctorum, sunt omnes Missae de die; ergo citata Rubrica non facit ad rem (1).

Ad III. Utrum consuetudo impertiendi plures absolutiones in casu, sustineri possit, et an distribui possint post unamquamque ex tribus Missis?

Iam diximus, praecisam legem non dari, quae hanc consuetudinem prohibeat; adest quidem S. R. C. decretum 23 maii 1846, ad 12, n. 2915 quod sic se habet:

---

(1) Alter ex Censoribus, R.mus I. B. Menghini, proposuit tempora post Laudes, post Primam et post Nonam, quia reipsa, ex Rituali, ex Missali et ex Decretis iam sunt tempora determinata Missae pro defunctis: « Missa autem Defunctorum dici debet *post Primam* diei » — « post Matutinum diei, dictis (defunctorum) Vigiliis (nempe Matutino) *cum Laudibus* immediato dici potest Missa pro defunctis » — « in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa conventualis dicitur *post Nonam* » (Rub. gen. Miss., XV, 3); exclusis aliis temporibus post Tertiam et post Sextam eo quod tempus post Tertiam, iuxta Rubricas Missalis et Decretum S. R. C., n. 2960, IV, reservatur Missae de festo, tempus post Sextam Missae de Simplici vel Feria per annum.

« In absolutione ad tumulum post Missam *de Requiem* praescribit Rubrica cantandum responsorium *Libera me, Domine, de morte*, etc.; et haec est praxis generalis. Nihilominus aliqui volunt adhuc *in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum* licitum esse cantare aliud quodlibet responsorium ex novem, quae sunt in Officio defunctorum. Quaeritur: An hoc revera liceat? » S. R. C. resp.: « *Negative*: sed servandas Rubricas ».

Uti patet, decretum istud, agit de plurimis absolutionibus impertiendis in Missis pro uno vel pluribus defunctis, non pro Commemoratione Omnium fidelium defunctorum, ne ergo reprobatae plures absolutiones censerentur in exequiis Episcoporum, Cardinalium et Principum, opportune respondit Congregatio, *servandas esse Rubricas*. Ceterum usus valde diffusus per multas regiones, ac diversas nationes, videntibus et probantibus praesulibus, de quo non pauca extant testimonia etiam saeculis XIV et XV. licet explicite non probetur per aliquod documentum S. Sedis, nihilominus bene sustineri potest.

Utrum vero, si tres decantantur Missae, absolutiones dari debeant omnes post primam vel post ultimam Missam, aut una post unamquamque Missam; etsi non videatur hic ultimus modus incongruus, ita ut seiunctim quaelibet ex Missis cantatis suam habeat absolutionem, nihilominus Academia Liturgica non potest rem undequaque dirimere, sed recurrendem est ad S. R. C.

Versimiliter Fulcus Missas voluit esse applicandas iuxta consuetudinem iam existentem circa absolutiones; hoc in casu, unicuique Missae sua congrueret absolutio.

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1917

Paschate occurrente die 8 Aprilis.

(Continuatio, V. n. 4 curr. anni, pagg. 206-214)

MENSE SEPTEMBRI.

1. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Com. S. Aegidii et Ss. Mm. in Laud. — In Miss. 2. or. S. Aegidii. 3. *Fidelium,* 4. Ss. Mm. — Vesp. de seq. Dom. com. S. Stephani Reg. C. *Vir.*

Incipit Pars Autumnalis Breviarii.

✠ 2. **Dom. XIV. p. Pent. I. Sept.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Stephani in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Stephani.

3. Fer. II. *Vir.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de feria sine com.

4. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

5. Fer. IV. *Alb.* **S. Laurentii Iustiniani E. C.** *semidupl.* -- In Vesp. nulla com.

6. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Vesp. de feria sine com.

7. Fer. VI. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

† 8. Sabb. *Alb.* **Nativitas B. M. V.** *dupl. 2. class. cum Oct. simpl.* — Com. S. Hadriani M. in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. com. seq. Dom.

✠ 9. **Dom. XV. p. Pent. II. Sept.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Gorgonii M. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

10. Fer. II. *Alb.* **S. Nicolai a Tolentino C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

11. Fer. III. *Rub.* **Ss. Proti et Hyacinti Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

12. Fer. IV. *Alb.* **SS. Nominis Mariae** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.

13. Fer. V *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*
14. Fer. VI. *Rub.* **Exaltatio S. Crucis** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec. *Alb.*
15. Sabb. *Alb.* **Septem Dolorum B. M. V.** *dupl. 2. class.* — Com. S. Nicomedis M. in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. com. seq. Dom. ac Ss. Cornelii P. et Cypriani E. Mm.
✠ 16. **Dom. XVI. p. Pent. III. Sept.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. Ss. Cornelii et Cypriani ac Ss. Euphemiae et Soc. Mm. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. ac Ss. Cornelii et Cypriani.
17. Fer. II. *Alb.* **Impressio Sacr. Stigmatum S. Francisci C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.
18. Fer. III. *Alb.* **S. Iosephi a Cupertino C.** *dupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. *Rub.*
19. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Rub.* **Ss. Ianuarii E. et Soc. Mm.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. a cap. de seq. com. praec.
20. Fer. V. **Vigilia S. Matthaei Ap.** *Rub.* **Ss. Eustachii et Soc. Mm.** *dupl.* — Com. Vigiliae in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. praec.
† 21. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Rub.* **S. MATTHAEI AP. et EV.** *dupl. 2. class.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.
22. Sabb. **Quatuor Temporum** *Alb.* **S. Thomae a Villanova E. C.** *dupl.* — Com. fer. ac Ss. Mauritii et Soc. Mm. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec., S. Lini P. M. ac S. Theclae V. M. *Vir.*
✠ 23. **Dom. XVII. p. Pent. IV. Sept.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Lini et S. Theclae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Lini.
24. Fer. II. *Alb.* **B. M. V. de Mercede** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.
25. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*
26. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Cypriani et Iustinae V. Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
27. Fer. V. *Rub.* **Ss. Cosmae et Damiani Mm.** *semidupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec.
28. Fer. VI. *Rub.* **S. Wenceslai Duc. M.** *semidupl.* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

† 29. Sabb. *Alb.* **Dedicatio S. Michaelis Arch.** *dupl. 2. class.* — In Vesp. com. seq. Dom. ac S. Hieronymi Pr. C. D.

✠ 30. **Dom. XVIII. p. Pent. I. Oct.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Hieronymi in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Hieronymi.

MENSE OCTOBRI.

1. Fer. II. *Alb.* **S. Remigii E. C.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. sine com.
2. Fer. III. *Alb.* **Ss. Angelorum Custodum** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.
3. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*
4. Fer. V. *Alb.* **S. Francisci C.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.
5. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Placidi et Soc. Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*
6. Sabb. *Alb.* **S. Brunonis C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec. et Dom.

✠ 7. **Dom. XIX. p. Pent. II. Oct.** *Alb.* **SS. ROSARII B. M. V.** *dupl. 2. class.* — Com. Dom., S. Marci P. C. ac Ss. Sergii et Soc. Mm. in Laud. et Miss. (in Miss. solemn. com. Dom. tantum) — In Vesp. com. seq. et Dom.

8. Fer. II. *Alb.* **S. Birgittae Vid.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
9. Fer. III. *Rub.* **Ss. Dionysii E., Rustici et Eleutherii Mm.** *semidupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. *Alb.*
10. Fer. IV. *Alb.* **S. Francisci Borgiae C.** *semidupl.* — In Vesp. nulla com.
11. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
12. Fer. VI. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*
13. Sabb. *Alb.* **S. Eduardi Reg. C.** *semidupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Callisti I. P. M. *Vir.*

✠ 14. **Dom. XX. p. Pent. III. Oct.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Callisti in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Callisti.

15. Fer. II. *Alb.* **S. Teresiae V.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
16. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*
17. Fer. IV. *Alb.* **S. Hedwigis Vid.** *semidupl.* — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*
18. Fer. V. *Rub.* **S. LUCAE EV.** *dupl. 2. class.* — In Vesp. com. seq.
19. Fer. VI. *Alb.* **S. Petri de Alcantara C.** *dupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec.

20. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis Cantii C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec., S. Hilarionis Abb. ac Ss. Ursulae et Soc. Vv. Mm. *Vir.*

✠ 21. **Dom. XX p. Pent. IV. Oct.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Hilarionis ac Ss. Ursulae et Soc. in Laud. et Miss. — In Vesp. nulla com.

22. Fer. II. *Vir.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de fer. sine com.

23. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

24. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

25. Fer. V. *Rub.* **Ss. Chrysanthi et Dariae Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

26. Fer. VI. *Rub.* **S. Evaristi P. M.** *simpl.* — Vesp. de fer. sine com.

27. Sabb. **Vigilia Ss. Simonis et Iudae App.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. Dom. *Rub.*

✠ 28. **Dom. XXII. p. Pent. V. Oct.** *Rub.* **SS. SIMONIS ET IUDAE APP.** *dupl. 2. class.* — Com. Dom. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. Dom.

29. Fer. II. *Vir.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de fer. sine com.

30. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

31. Fer. IV. **Vigilia Omnium Ss.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

MENSE NOVEMBRI.

✠ 1. Fer. V. *Alb.* **OMNIUM SS.** *dupl. 1. class. cum Oct. comm.* — In Vesp. nulla com. — Post Vesp. dicunt. Vesp. et Compl. Defunctor.

2. Fer. VI. *Nigr.* **COMMEMORATIO OMN. FIDELIUM DEFUNCTORUM** *dupl.* — Vesp. de seq. die infra Oct. (Ant. et ℣. ad *Magnif.* ut in I. Vesp. Festi) sine com.

3. Sabb. *Alb.* **De III. die infra Oct.** *semidupl.* — Vesp. de seq. Dom. com. Oct., S. Caroli E. C. ac Ss. Vitalis et Agricolae Mm. *Vir.*

✠ 4. **Dom. XXIII. p. Pent. I. Nov.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Caroli, Octavae ac Ss. Vitalis et Agricolae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) et S. Caroli.

5. Fer. II. *Alb.* **De V. die infra oct.** *semidupl.* — Vesp. de Oct. sine com.
6. Fer. III. *Alb.* **De VI. die infra oct.** *semidupl.* — Vesp. de Oct. sine com.
7. Fer. IV. *Alb.* **De VII. die infra oct.** *semidupl.* — Vesp. de seq. die Oct. (Ant. et ℣. ad *Magnif.* ut in I. Vesp. Festi) com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
8. Fer. V. *Alb.* **Octava Omnium Ss.** *dupl. mai.* — Com. Ss. Coronatorum in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. Oct.
9. Fer. VI. *Alb.* **DEDICATIO BASIL. LATERAN.** *dupl. 2. class.* — Com. S. Theodori M. in Laud. et Miss. priv. — In Vesp. com. seq.
10. Sabb. *Alb.* **S. Andreae Avellini C.** *dupl.* — Com. Ss. Tryphonis et Soc. Mm. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. S. Martini E. C. et S. Mennae M. *Vir.*

Dom. II. Novembris cum sua hebdomada hoc anno omittitur.

✠ 11. **Dom. XXIV. p. Pent. (V. quae superf. p. Epiph.) III. Nov.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Martini et S. Mennae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Martini.
12. Fer. II. *Rub.* **S. Martini I. P. M.** *semidupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. *Alb.*
13. Fer. III. *Alb.* **S. Didaci C.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. *Rub.*
14. Fer. IV. *Rub.* **S. Iosaphat E. M.** *dupl.* – Vesp. a cap. de seq. com. praec. *Alb.*
15. Fer. V. *Alb.* **S. Gertrudis V.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
16. Fer. VI. *Vir.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*
17. Sabb. *Alb.* **S. Gregorii Thaumaturgi E. C.** *semidupl.* — Vesp. de seq. com. praec. et Dom.

✠ 18. **Dom. XXV. p. Pent. (VI. quae superf. p. Epiph.) IV. Nov.** *Alb.* **Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App.** *dupl. mai.* — Com. Dom. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq., Dom. et S. Pontiani P. M.
19. Fer. II. *Alb.* **S. Elisabeth Vid.** *dupl.* — Com. S. Pontiani in Laud. et Miss. — Vesp. a cap. de seq. com. praec..
20. Fer. III. *Alb.* **S. Felicis de Valois C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

21. Fer. IV. *Alb.* **Praesentatio B. M. V.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

22. Fer. V. *Rub.* **S. Caeciliae V. M.** *dupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. et S. Felicitatis M.

23. Fer. VI. *Rub.* **S. Clementis I. P. M.** *dupl.* — Com. S. Felicitatis in Laud. et Miss. — Vesp. a cap. de seq. com. praec. et S. Chrysogoni M. *Alb.*

24. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis a Cruce C.** *dupl.* — Com. S. Chrysogoni in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Catharinae V. M. *Vir.*

✠ 25. **Dom.** XXVI. **et ultima p. Pent. (sub num.** XXIV.**) V. Nov.** *Vir.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Catharinae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq., S. Catharinae et S. Petri Alexandrini E. M.

26. Fer. II. *Alb.* **S. Silvestri Abb.** *dupl.* — Com. S. Petri Alexandrini in Laud. et Miss. — In Vesp. nulla com.

27. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.

28. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. com. S. Saturnini M.

29. Fer. V. **Vigilia S. Andreae Ap.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Saturnini in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. sine com. *Rub.*

† 30. Fer. VI. *Rub.* **S. Andreae Ap.** *dupl. 2. class.* — In Vesp. nulla com.

MENSE DECEMBRI.

1 Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de seq. Dom. com. S. Bibianae V. M. *Viol.*

Hodie clauditur Solemnitas Nuptiarum
Incipit Pars Hiemalis Breviarii.

✠ 2. **Dom I. Adventus** *1. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Bibianae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq.

3. Fer. II. *Alb.* **S. Francisci Xaverii C.** *dupl. mai.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. fer. et S. Barbarae V. M.

4. Fer. III. *Alb.* **S. Petri Chrysologi E. C. D.** *dupl.* — Com. fer. et S. Barbarae in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer. et S. Sabbae Abb.

5. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Com. S. Sabbae in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. fer. *Alb.*

6. Fer. V. *Alb.* **S. Nicolai E. C.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. a cap. de seq. com. praec. et fer.
7. Fer. VI. **Vigilia Imm. Concept. B. M. V.** *Alb.* **S. Ambrosii E. C. D.** *dupl.* — Com. fer. in Laud. — In Miss. 2. or. fer. 3. Vigil. — Vesp. de seq. com. fer.
✠ 8. Sabb. *Alb.* **CONCEPTIO IMMACULATA B. M. V.** *dupl. 1. class. cum Oct. comm.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. Dom.
✠ 9. **Dom. II Adventus** *2. class.* *Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. Oct. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) ac S. Melchiadis P. M.
10. Fer. II. *Alb.* **De III die infra Oct.** *semidupl.* — Com. fer. et S. Melchiadis in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. Oct.
11. Fer. III. *Alb.* **S. Damasi I. P. C.** *semidupl.* — Com. Oct. et et fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) et fer.
12. Fer. IV. *Alb.* **De V. die infra oct.** *semidupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. com. Oct. et fer. *Rub.*
13. Fer. V. *Rub.* **S. Luciae V. M.** *dupl.* — Com. Oct. et fer. in in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. (ut in I. Vesp. Festi) et fer.
14. Fer. VI. *Alb.* **De VII. die infra oct.** *semidupl.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. die Octava (Ant. et ℣. ad *Magnif.* ut in I. Vesp. Festi) com. fer.
15. Sabb. *Alb.* **Octava Concept. Immac. B. M. V.** *dupl. mai.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Eusebii E. M. *Viol.*
✠ 16. **Dom. III. Adventus** *2. class.* *Viol.* **De ea** *semidupl.* — Com. S. Eusebii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. S. Eusebii.
17. Fer. II. *Viol.* **De ea** — In Miss. 2. or. *Fidelium* — Vesp. de fer. sine com.
18. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
19. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. sine com.
20. Fer. V. **Vigilia S. Thomae Ap.** *Viol.* **De ea** *seu* **De Fer. V. p. Dom. III. Adventus** — In Miss. 2. or. Vigil. — Vesp. de seq. com. fer. *Rub.*
† 21. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Rub.* **S. THOMAE AP.** *dupl. 2. class.* — Com. fer. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. fer.

22. Sabb. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom. sine com.

✠ 23. **Dom. IV. Adventus** *2. class. Viol.* **De ea** *semidupl.* — In Vesp. nulla com.

24. Fer. II. **VIGILIA NATIVITATIS** *1. class. Viol.* **De ea** — Ad Laud. et deinceps *rit. dupl.* — Vesp. de seq. sine com. *Alb.*

✠ 25. Fer. III. *Alb.* **NATIVITAS D. N. I. C.** *dupl. 1. class. cum Oct. priv. III. ord.* — In II. Miss. com. S. Anastasiae M. — In Vesp. com. seq.

† 26. Fer. IV. *Rub.* **S. STEPHANI PROTOMART.** *dupl. 2. class. cum Oct. simpl.* — Com. Oct. Nativ. in Laud. et Miss. — Vesp. de Nativ. a cap. de S. Stephano com. seq. et Oct. Nativ.

† 27. Fer. V. *Alb.* **S. IOANNIS AP. ET EV.** *dupl. 2. class. cum Oct. simpl.* — Com. Oct. Nativ. in Laud. et Miss. — Vesp. de Nativ. a cap. de S. Ioanne com. seq. et Oct. Nativ.

† 28. Fer. VI. *Viol.* **SS. INNOCENTIUM MM.** *dupl. 2. class. cum Oct. simpl.* — Com. Oct. Nativ. in Laud. et Miss. — Vesp. de Nativ. a cap. de Ss. Innocentibus com. seq. et Oct. Nativ.

29. Sabb. *Rub.* **S. Thomae E. M.** *dupl.* — Com. Oct. Nativ. in Laud. et Miss. — Vesp. de Nativ. a cap. de seq. Dom. com. praec. et Oct. Nativ. *Alb.*

✠ 30. **Dom. infra Oct. Nativ.** *Alb.* **De ea** *semidupl.* — Com. Oct. Nativ. in Laud. et Miss. — Vesp. de Nativ. a cap. de Dom. com. seq. et Oct. Nativ.

† 31. Fer. II. *Alb.* **S. Silvestri I. P. C.** *dupl.* — Com. Oct. Nativ. in Laud. et Miss. — Vesp. de Circumcisione Domini sine com.

In Martyrologio hodie et toto anno sequenti Luna pronuntiatur sub littera S.

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis sandaliis eorumque ornamentis

(Continuatio, V. n. 4 curr. anni, pagg. 215-221)

Facto historico de ornamentis et maxime de cruce in Pontificum sandaliis, prout saeculorum cursu evolvitur, considerato; nunc ad mysticas significationes exponendas accedimus, quas in ipsis sandaliis antiqui Scriptores perspexerunt aut perspicere putarunt. Naturalis rerum ordo ad quatuor pertractanda nos vocat, nempe: 1° de mystica Pontificum calceamentorum significatione in genere; 2° de significationibus illius ornamenti, quod plures crucem putarunt; 3° de ipsius crucis sensu; 4° quid fecerint RR. Pontifices, ut huiusmodi sensum aperte manifestarent.

§ 1.

De mystica Pontificum calceamentorum significatione in genere.

Non est putandum, RR. Pontifices, casu vel pro libitu hoc vel illud calceamentorum genus, hanc vel illum ornamentorum speciem sine congruenti ratione adoptasse. Notum est enim, illis antiquis temporibus nil fieri consuevisse, de quo aliqua interpretatio, sive moralis, sive tropologica, sive anagogica dari non posset; et veteres rerum liturgicarum Scriptores de sandaliis eorumque ornamentis sat amplas exhibuerunt interpretationes, uti mox videbimus. Supponi autem non potest, RR. Pontifices a talibus interpretandi rationibus communiter receptis, se subtraxisse et quasi extraneos fuisse, maxime cum inter praefatos Scriptores, unus, nempe Innocentius III et ipse summus Pontifex, extiterit, ac plura ex iisdem, uti manifestum est, exscripserit. Ipso igitur

facto, quo Pontifices antecessorum suorum inventos usus receperunt et continuarunt, iure praesumitur invectam eorumdem usuum interpretationem ac receptum sensum probasse, et nullo modo mutare voluisse.

Quae itaque de mysticis significationibus expositurì sumus, non mentis nostrae inventa, aut recentioris aetatis lucubrationes continent; sed diu traditas ac longo temporum usu approbatas interpretationes exhibent, quas veteres rerum liturgicarum Scriptores, veluti sacram hereditatem nobis reliquerunt. Quae interpretationes, quum in Ecclesia fuerint per longum tempus adhibitae et religiose custoditae, in Archaeologia liturgica debito honore prosequendae sunt.

Deveniendo itaque ad ea, quae generatim de Pontificum sandaliorum mystica significatione, Rupertus Abbas Tuitiensis, Innocentius III et Gulielmus Durandus tradiderunt, animadvertimus, eos in sua quisque interpretatione iisdem uti verbis; propterea minifestum esse alterum ex altero desumpsisse. Sufficiat quaedam delibare.

Rupertus scribit: « Sandalia Pontificis illud significant Dominicae incarnationis calceamentum, de quo ipse in Psalmo: « In Idumaeam, inquit, extendam calceamentum meum » (1), idest: gentibus notam faciam incarnationem meam. Ut enim sacerdotio fungeretur pro nobis Filius Dei, nostra carne quasi calceatus in hunc mundum venit. Sandalia ergo Pontificis, incarnationem, ut dictum est, significant Filii Dei (2). « Et pulchre Pontifex, inquit Innocentius III, in altaris officio, capitis sui Christi, cuius membrum est, repraesentans personam, dum pedibus assumit sandalia, illud incarnationis Dominicae insinuat calceamentum, de quo Dominus dicit In Psalmo: *In Idumaeam* » (3). Quam inter Pontificum sandalia et incarnationem analogiam magis ac magis determinant, quaedam etiam particularia attingendo.

(1) Psal. 59, 10.

(2) RUPERTUS ABB. TUIT., *De divinis officiis*, L. 1, cap. 24. Apud HITTORPIUM. Parisiis 1624, pag. 862. Cf. MIGNE, P. L. CLXX, 24.

(3) INNOCENTIUS III, *De sacro altaris mysterio*, Lib. I, cap. 24. — MIGNE, P. L. CCXVII, 787.

Rupertus scribit: « Quod Christus, Pontificis caput, humanam naturam induendo egit, in calceamento pedum signatur, nam in carne divinitas latuit, et per carnem eius notitia universum mundum percurrit ». Per ligulas, quibus ipsa pedibus sandalia constringuntur, idipsum accepimus, quod Ioannes Baptista per corrigiam calceamenti signasse probatur, cum de Sponso Christo loquens, inquit: « Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius » (1). Copulam ergo illam ineffabilem, charitatem inaestimabilem, vincula Sancti Spiritus insolubilia, quibus divinitas Verbi nostrae carni se coniunxit, per sandaliorum corrigias designari accepimus (2).

Haec analogia, quam inter Verbi incarnationem et calceamentum non ipsi praecitati Liturgistae primi invenerunt et exposuerunt, iampridem fuerat a quibusdam sanctis Patribus tradita. S. Basilius, Psal. 59 interpretans, scripserat: « Divinitatis calceamentum est caro Deum ferens, per quam ad hominem descendit » (3). S. Gregorius M. habet: « Incarnatus Dominus, veniens quasi calceatus apparuit quia in divinitate sua morticina nostrae corruptionis assumpsit... »

Divus Ioannes solvere corrigiam calceamenti Domini non valet, quia incarnationis eius mysterium, nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiae spiritum agnovit (4). Eadem tradunt S. Gregorius Nazianzenus, Thephilactus, Nicetas, Alanus de Insulis (5).

Alias quoque mysticas significationes in sandaliis deprehendunt ecclesiastici Scriptores; eas breviter innuimus:

(1) Luc. 3, 16.

(2) Rupertus, l. c. — Innocentius III, item l. c. — Durandus, *Rationale divinorum officiorum*, L. III, cap. 8, n. 10. — Balduinus, *De Calceo antiquo*, cap. 28, ubi egregie et luculenter res explanatur. — Durandus, *De Ritibus Ecclesiae Catholicae*, Lugduni 1675, L. II, cap. 9, n. 20.

(3) S. Basilius, in Psalm. 59. — Migne P. G. XXIX, 467.

(4) S. Gregorius M., *Hom. 7 in Evang.*, Migne, P. L. LXXVI, 1101-1102.

(5) Apud Balduinum, *De Calceo antiquo*, cap. 28, pag. 273.

Iuxta eorumdem scripta, per calceamentum, significatur: a) *Praedicatio Evangelii:* Apostolus sacros ministros monebat, ut essent *calceati in praedicatione Evangelii* (1). — b) *Sanctorum Patrum exempla:* In illa verba: *Quam pulchri sunt gressus tui,* etc. (2), scribit Honorius August.: « Hi pulchri sunt in calceamentis, dum secundum exempla Patrum, virtutes vel vitam aeternam concupiscunt » (3). — c) *Mortis meditatio:* Animus, meditatione mortis veluti quodam calceamento roboratus, terrena omnia calcat et contemnit, ac serpentium eius bono insidiantium caput conterit: ita *super aspidem et basiliscum ambulat* (4). — d) *Peccatorum sordes:* Plerique de operibus mortuis verba ad Moysen dicta interpretantur: *Solve calceamentum de pedibus tuis* (5). — e) *Corpus mortale:* S. Ambrosius dicit quod anima « utitur corpore, tamquam calceamento, ad interioris opera virtutis: ad ministerium..... ad obsequium..... ad obedientiam..... et in via sapientiae vestigium collocat » (6). — f) *Veniae peccatorum spes:* Ad hanc spem significandam, quidam tradunt illum Patremfamilias reducem filium complectentem, dixisse domesticis suis: *Date calceamenta in pedes eius* (7). — Quas omnes significationes Balduinus ex Ecclesiasticis Scriptoribus luculenter illustrat (8) variisque auctoritatibus confirmat.

Pro re nostra forsan magis interest significationem cognoscere, quae de varietate calceamentorum traditur. Amalarius Fortunatus, Episcopus Trever., aperte docet: « Va-

(1) Eph. 6, 15.
(2) Cant. 7, 1.
(3) Honorius August., *In Cant.*, cap. 7. — Ita apud Balduinum, sed aliquanto differentius apud Migne, P. L. CLXXII, 456.
(4) Psalm. 90, 13.
(5) Ex. 5, 16.
(6) S. Ambrosius, *Serm. 17, in Psal. 118 § Gressus meos,* v. 133. — Migne, P. L. XV, 1445-1446.
(7) Luc. 15, 22. — Cf. etiam Tertullianus, *De corona militis,* cap. 1. — Migne, P. L. II, 95-96.
(8) Balduinus, *De Calceo antiquo,* A cap. 28 usque ad cap. 33.

rietas sandaliorum, varietatem ministeriorum pingit. Episcopi et Sacerdotis pene unum est officium. At quia nomine et honore discernuntur, discernuntur etiam varietate sandaliorum ut visibus nostri error auferatur, qui potest interesse propter similitudinem officii ». Deinde, differentias explicans, argumentum suum ita prosequitur: « Episcopus habet ligaturam in suis sandaliis, quam non habet Presbyter. Episcopi est hinc illucque discurrere per parochiam ad regendam plebem; ne forte cadant sandalia de pedibus, ligata sunt. Ex eo potest sciri quantum necesse est ei firmare gressus mentis, qui in turbis populorum versatur. Presbyter, qui domi hostias immolat, securius incedit » (1).

Varietas sandaliorum olim maxime pendebat, uti supponunt quae mox retulimus, a varietate ligaminum, quibus solea pedi adhaerens tenebatur. Cum autem corrigiis seu ligaminibus suffectae sint *fenestraturae,* et fenestraturis ornamenta acu picta, varietatem ab his pendere, et ab his dimetiri necesse fuit. Ideo sive ligamina, sive fenestraturae, sive ornamenta, alia atque alia fuerunt pro summo Pontifice, pro Episcopis et pro Sacerdotibus et Ministris.

In horum autem sandaliorum fenestraturis maxime ornatorum mystica significatione danda omnes veteres Liturgistae concordes sunt et unanimes. Rabanus Maurus scribit: « Induunt quoque Sacerdotes pedes sandaliis seu soleis, quod genus calceamenti, evangelica auctoritate est eis concessum, ut Marci Evangelium testatur, quia hoc calceamentum mysticam significationem habet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, idest: ut neque occultetur Evangelium, neque terrenis commodis innitatur. Nam scriptum est ab Apostolo: *Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.* Sicut ergo sandalia partem pedis tegunt, partem inopertam relinquunt, ita et Evangelii doctores partim Evangelium operire, partimque aperire debent; ita videlicet, ut fidelis et devotus sufficientem habeat doctrinam, et infidelis et con-

(1) AMALARIUS FORTUNATUS Episc. Trever. *De Ecclesiast. Officiis,* L. II, cap. XXV. — Apud HITTORPIUM, Parisiis 1624, pag. 393.

temptor non inveniat blasphemandi materiam » (1). Alcuinus hoc calceamentorum genus significare dicit « Ministrum verbi Dei non debere terrenis incumbere; sed potius caelestibus inhiare, et praedicationem suam nulli occultare. » (2).

Innocentius III habet: « Pedes Pontificis *in praeparatione Evangelii pacis* (3) caligis et sandaliis calceantur, quorum pulchritudinem admirabatur propheta cum diceret: *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (4). Sandalia vero de subtus integram habent soleam, desuper autem corium fenestratum, quia gressus praedicatoris debent subtus esse muniti, ne polluantur terrenis, secundum illud: *Excutite pulverem de pedibus vestris* (5); et rursum aperti quatenus ad cognoscenda coelestia revelentur; secundum illud propheticum: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (6). Quod autem sandalia quibusdam locis aperta, quibusdam clausa sunt, designat, quod evangelica praedicatio nec omnibus revelari, nec omnibus debet abscondi, sicut scriptum est: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis* (7). *Nolite dare sanctum canibus*, etc. (8).

Non desunt Scriptores, qui ipsi Pontifici revocant sui pedis ornamenti significationem. Rupertus Abbas Tuit. hac de re scribit: « Dum tam sacrum tamque mysticum Pontifex pedis sui spectat ornamentum, meminisse debet et scire, se quoque pedem esse speciosum, iuxta illud: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et praedicantis pacem!* (9).

(Continuabitur)

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

(1) RABANUS MAURUS, *De Institutione Clericorum*, L. I, cap. XXII, — MIGNE, P. L. CVII, 308-309.

(2) ALCUINUS, *De officiis divinis*, in cap. 49. *Quid significant Vestimenta.* — MIGNE, CI, 1244.

(3) Eph. 6, 15.

(4) Isai. 52, 7.

(5) Matth. 10, 14.

(6) Psalm. 118, 18.

(7) Luc. 8, 10.

(8) Matth. 7, 6. — INNNOCENTIUS III, *De Sacro Altaris mysterio*, L. I, cap. 48. — MIGNE, P. L. CCXVII, 792.

(9) RUPERTUS ABBAS TUIT., *De divinis officiis*, L. I, cap. 24. — Isai. 52, 7.

Constitutio Gregorii PP. XIII, qua Rubricae Breviarii Romani magnopere illustrantur.

(Continuatio, v. n. 4, curr. anni, pagg. 222-233).

(10) Sancti *proprii* ecclesiae alicuius, vel loci, vel dioecesis, *restrictive* accipiendi sunt; ideoque Sancti finitimae dioecesis vel regionis non sunt proprii meae ecclesiae, nec ergo de ipsis festum instituere possum. Datur aliquando aliquis Sanctus qui bene sit meritus de quadam regione, vel regno, ut quodammodo *proprius* dici possit totius regionis, vel regni, illius; tunc procul dubio Apostolica Sedes facile concedit, ut in tota regione vel regno de eo festum peragatur; ideoque in hac ipsa constitutione nonnulla festa conceduntur, uti *propria* pro tota Hispania, ut infra videbimus.

(11) Extant revera S. R. C. Decreta quamplurima quae Regulares ad celebrandam Patronorum loci vel dioecesis festivitatem adstringunt (cf. Decreta sub nn. 1708, 3436, 3863, 3925); ratio tamen huius obligationis ibi supponitur, sed non dicitur. Hic vero Gregorius XIII pulcherrimam et undequaque aequam rationem tradit dicens: *et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.*

Liturgici auctores aiunt, Regulares ad festa Patronorum loci celebranda teneri, quia ipsi, non minus quam incolae ac cives iuvamen sentiunt et tutelam Patronorum; imo cum ad Patronorum electionem, iuxta Urbani VIII decretum, Regulares quoque suo voto concurrant, ut docet Benedictus XIV (*De Canoniz. l. 4, p. 2, c. 14, n. 5*), sane et eorum festum celebrare debent. Huiusmodi causa negligenda non est, sed ista, quam tradit Gregorius XIII, rem penitius attingit. Licet enim Regulares iurisdictioni episcopali et parochiali non subiiciantur, nihilominus cum

ecclesia episcopali et parochiali aliquo ligamine obstringuntur; nec inepte *matricem* Pontifex vocat ecclesiam. Cf. nostrum *Commentarium in Novissimas Rubricas* ed. II, p. 127.

(12) Porro festivitates, quae infra determinantur, *propriae* sunt pro universo regno Hispaniae; ita tamen prouti expresse iubet Gregorius XIII, ut, non tantum Saecularis Clerus, sed et Regularis ad eas celebrandas teneatur. Ergo, sicut habentur festa universalis Ecclesiae, ita haberi possunt festa alicuius regni, seu regionis, sicut habentur festa dioecesis, Ordinis Regularis et festa alicuius loci vel ecclesiae specialis.

Si huiusmodi Gregorii XIII praescriptiones e mente numquam excidissent, non tot et tam faciles petitiones ad S. R. C. olim porrectae fuissent pro novis officiis obtinendis.

Determinatis opportune criteriis, ex quibus nosci queat, qui Sancti ab universa Ecclesia sint excolendi, qui a tota natione, qui a tota dioecesi, qui a toto Ordine Regulari, qui tandem in aliquo loco vel ecclesia particulari; tunc, si determinata criteria inveniuntur, pro singulis petitionibus, concedentur, alioquin, minime; nulla enim plerumque suffragatur ratio, nisi voluptas brevioris officii.

(13) Omnes norunt, quod tempore sacro Quadragesimali non agebantur festa, ideoque Annunciationis festum plurimis in provinciis, ac praesertim in Hispania celebratur die 18 Decembris ex Decreto Concilii Toletani X (656), uti tradit Baronius (*Not. Martyr. 25 Mart.*). Postea vero duo festa in honorem B. Mariae celebrari coeperunt in Hispania, die 25 Martii more romano, sub titulo *Annunciatio B. M. V.*, altera die 18 Decembris, *Expectatio B. M. V.* (Cfr. Kellner, *L'Anno Ecclesiastico*, trad. Mercati, p. 207). De hoc loquitur Gregorius hoc loco; et quodammodo *proprium* festum pro tota Hispania esse voluit; forsitan in obsequium traditionis illius regionis. Nunc vero sub nomine *Expectatio partus B. M. V.* etiam in Hispania et, licet *iure* non fuerit festum universalis Ecclesiae, *de facto* tamen ubique terrarum ante annum 1914 celebrabatur.

(14) Ut recte intelligatur haec constitutionis dispositio, Rubrica quae in Breviario legitur post Dominicam III Adventus, prae oculis est habenda. Cum enim in sex Feriis ante Vigiliam Nativitatis quaedam antiphonae propriae assignentur ad Laudes et per horas dicendae, incipiendo a die 17 Decembris, in Hispania, ob celebrationem praedicti festi Expectationis, perpetuo impeditae remanebant antiphonae Feriae die praedicta 18 occurrentis. Ideoque ne penitus perirent, voluit Pontifex ut die praecedenti dicerentur, sicut ex citata Rubrica antiphonae illius feriae, quae cadit cum festo S. Thomae, transferebantur in Sabbatum sequens.

Hodie vero non amplius transferuntur, quia adiectae sunt antiphonae propriae pro Sabbato, retenta antiphona antiqua super cantico: *Expectetur,* ut videre est in novissimo Breviario Pii X.

Laudanda quidem est huiusmodi dispositio, quae luculenter demonstrat quanta veneratione tunc tenebantur officia ferialia.

(15) Non nemini forsan levioris momenti dispositiones hae rubricales apparebunt, quibus distincte explicatur quid esset agendum quando festum Expectationis in Sabbatum occurrebat, tunc enim antiphonae transferendae a die Sancti Thomae, reponendae erant dicta die 17. Sed e contra videant, qui Rubricas parvipendunt, quanto sint honorandae, si de minimis etiam agit Summus Pontifex in hac sua solemni constitutione.

(16) Hodie tamen non amplius sunt transferendae vel anticipandae Antiphonae Laudum sex feriarum ante Vigiliam Nativitatis, ut decernunt novissimae Rubricae.

(17) S. Isidorus Ep. Hispalensis toto iure inter Doctores Ecclesiae adnumerandus erat. Nihilominus in Hispania tantum eius festum celebrabatur tamquam Doctoris. Tandem a S. R. C. per Decretum 25 Aprilis 1722, iussu Innocentii XIII, eius festum, cum Doctoris qualitate ad universam Ecclesiam extensum est.

(18) Almi Parentes B. Mariae Virginis, non in tota

Ecclesia, remotioribus saeculis, sacrum cultum obtinuerunt. In Menologio Constantinopolitano (saec. VIII) memoria eorum agitur die 9 Septembris, prout apud Graecos fit et hodie. Procopius (*de aedif.*, *I*, *3*) tradit, Iustinianum I Constantinopoli ecclesiam extruxisse in honorem S. Annae. S. Leo (772–795) imagines Ioachim et Annae in basilica S. Mariae *ad praesepe* pingi iussit. Urbanus VI (1378) indulsit cultum S. Annae ecclesiis Angliae, et Sixtus IV illum probavit pro tota Ecclesia (cfr. Kellner, p. 240). Nihilominus in Breviario Romano S. Pii V non habetur festum S. Annae, quod inscriptum non fuit nisi anno 1584 a Gregorio XIII, scilicet undecim annis postquam pro Hispania huiusmodi festum recognovisset. In ecclesiis enim Hispanicis, ut constat ex Breviario Toletano saeculi XII, iam agebatur S. Annae festivitas, ideoque inter festivitates nationis illius hanc ipsam recognovit et celebrandam adprobavit in cappellis et ecclesiis dictae Sanctae dicatis vel dicandis.

Notandum, quod cultus erga Matrem Deiparae maius semper accepit incrementum in Ecclesia, iuxta illud quod obtinuit sensim sine sensu mysterium Immaculatae Conceptionis B. Mariae eius Filiae praeclarissimae. Gregorius enim XIII anno 1584 festum eius indixit in universa Ecclesia; Clemens VIII ad ritum *duplicis maioris* evexit; Gregorius XV inter festa cum feriatione ubique celebranda adnumeravit; tandem vero, post definitum dogma Immaculatae Conceptionis, Leo XIII ad ritum extulit duplicis secundae classis.

(19) Notabilis est haec dispositio; ipsa enim Decretum praevenit S. R. C. n. 460 (d. d. 8 Aprilis 1628) in quo: *insignes reliquias declaravit esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra*, etc.

Semper Ecclesia summo honore et specialibus festis corpora et reliquias Sanctorum venerata est; Concilium autem Turonense VII anno 858 coactum (Mansi, Suppl. I,

col. 341, c. 61) statuit: *Sanctorum quorum corpora in ecclesiis possidentur, festivitates agendas esse.*

Quoniam vero reliquiae corporis, si insignes sint, pro toto corpore habentur, Gregorius XIII primo, et postea S. R. C. per citatum Decretum et per alia plurima, nn. 1234, 1722, 1825, 1853 et 2180, declaravit, officium ratione reliquiae in aliqua ecclesia institui posse, dummodo reliquia sit *insignis*, *integra* et *adprobata*, habeatur in ipsa ecclesia, et sit alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti aut etiam in appendice ipsius Martyrologii adprobata, ut ait novissima Rubrica Breviarii (tit. II, n. 2).

Ex S. R. C. recentiori Decreto n. 4041 *insignes* nunc reliquiae non solum sunt *caput*, *brachium*, *crus*, vel ea pars in qua Martyr passus est, sed etiam *anterior* pars *brachii* vel *superior*, ideoque et *cruris*.

Licet autem in S. R. C. Decretis nn. 460, 1334 et 1890 prohibeatur ne officium agatur, ratione reliquiae, nisi in ecclesia ubi asservatur, nihilominus ut innuit Gregorius XIII hoc loco etiam per totam dioecesim conveniens est ut fiat; dicit enim: *in ea ecclesia vel dioecesi requiescunt.* Sufficiens ergo ratio habenda est, ut in calendario perpetuo alicuius dioecesis concedatur officium illius Sancti, cuius reliquia insignis custodiatur in aliqua ecclesia illiusmet dioecesis.

Quoad conditionem ut nomen Sancti, cuius habetur reliquia insignis, inscriptum sit in Romano Martyrologio, notanda duo sunt:

1° Quod oportet ut authentice constet de identitate illius Sancti cuius nomen in Martyrologio inscribitur; nempe ille sit revera, non autem homonymus, ut decrevit S. R. C. nn. 1234, 1253.

2° Quod non est necesse ut supra notavimus, quod nomen Sancti sit descriptum in Martyrologio Romano, sed sufficit ut sit in appendice dioecesana vel Ordinis ad ipsum Martyrologium. Ratio est quia si S. R. C. Decr. 3876 (d. d. 13 Dec. 1895 ad 5) declaravit valide posse Episcopum pro Titulari alicuius novae ecclesiae designare Sanctum

cuius nomen vel in Martyrologio, vel in eius supplemento dioecesis reperitur: ergo et de Sancto, cuius habetur insignis reliquia, si nomen eius sit in appendice Martyrologii alicuius dioecesis, eo magis officium recitari poterit in aliqua ecclesia ipsius dioecesis.

Ceterum exempla plurima habentur in appendicibus ad Martyrologium pro diversis Religionibus in quibus multi habentur Sancti quorum nomina in Martyrologio desiderantur. Imo et in festis, per hoc decretum a Gregorio XIII Hispaniae concessis, habentur. S. Nicolaus Factor; S. Caecilius Ep. et M., Ss. Hermentarius et Celedonius; S. Florentina; S. Raymundus de Fitero; S. Telmus; S. Firminus Episc. M.; S. Liberata V. M.; S. Petrus Oxom. Ep.; Sanctusque Bernardus Calvus Ep., qui in Martyrologio Romano, ab ipso Gregorio XIII tunc emendato, non sunt descripti.

Porro, cum grano salis accipienda est locutio illa: *ut sint descripti in Martyrologio Romano*; nam ipse Gregorius XIII tam in Rubricis sui Martyrologii, quam in sua constitutione *Emendatos* (d. d. 14 Ianuarii 1504), quae in fronte ipsius Martyrologii legitur, aperte declarat: *Si quos alios habuerint Sanctos in suis ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos... separatim descriptos habeant*; quorum nomina in lectione Martyrologii, *legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur officium.*

(20) Sanctus aliquis, cuius habes reliquias insignes, licet *naturalis* non sit, naturalis in sensu lato evadit, ob reliquias quas tua ecclesia possidet seu, prout apertissime tradunt Rubricae novissimae Breviarii, Sanctus huiusmodi est *proprius*. De eo ergo, licet in Breviario non sit, vel licet in Breviario habeat tantum commemorationem, festivitatem ages sub ritu duplici minore.

Ritus duplex festivitatem solemnem significat, qua toto iure honorandus est Sanctus cuius habetur reliquia. Citata S. R. C. Decreta eumdem ritum assignant huiusmodi festo Reliquiarum, sicut et *Credo* in Missa. Corpus enim

et reliquiae insignes, quae in ecclesiis asservantur, testimonium fidei nostrae sunt, iuxta illud: *Sub altare Dei omnes Sancti clamant*; clamant scilicet testificantes fidem in qua vixerunt, et pro qua, Martyres praesertim, pugnarunt in terra; bene ergo, ratione reliquiae insignis, *Credo* dicitur in Missa. Clare tamen patet, quod si tu, in tua ecclesia habes insignem reliquiam v. gr. S. Benedicti Ab. vel S. Bartholomaei Ap., ritu suo proprio duplici maiore, vel 2 classis festum celebrabis.

(21) Haec dispositio non indiget ulla illustratione, quia iuxta posteriora S. R. C. Decreta idem semper faciendum est in casu. Ratio est quia Sanctus cuius habetur reliquia, uti diximus, *proprius* est illius ecclesiae; et cum festum proprium praevaleat super generale, illud erit agendum cum commemoratione vel translatione istius.

(22) Corpus huius Apostoli Iacobi maioris, saeculo v adhuc servabatur Hierosolymis, ut habetur apud Venantium Fortunatum (*Carm.* VIII, 6. Cfr. *Kirchenlexicon*, art. *Compostella*); saeculo vero IX in civitate Compostellana summo honore celebrabatur, ut Balbulus affirmat (Migne, 131, 1125). Igitur translatio huius corporis historica est, ab Apostolica Sede comprobata, licet adventus ipsius S. Iacobi in Hispaniam hodie a viris doctis non admittatur (cfr. Duchesne, *Annal. du Midi*, 1900, XII). Ceterum S. Innocentius I (401–417) in epistola ad Decentium (XXV, c. 2; Migne, 20, 552) iam suo tempore negabat, ullum ex Ss. Apostolis Christi in Hispaniam appulisse, ibique ecclesiam aliquam fundasse. Bellarminus in relatione sua pro correctione Breviarii sub Clemente viij, non admittebat iter S. Iacobi in Hispaniam dum viveret (Cfr. Baümer *Hist. Brev.*, II, p. 283 et 300).

(23) Singularis et nova est huiusmodi locutio: *praecipuum duplex*. In Breviario enim S. Pii V non habebantur nisi duplicia I et II classis et duplicia sic dicta simpliciter. In recognitione Breviarii anno 1602 a Clemente PP. VIII facta, inducta est nova duplicium classis, quae vocata fuere *duplicia maiora*, illa scillicet, ut ait Rubrica, *quae duplicibus*

minoribus praeferuntur. Nihilominus in ipso Piano Breviario, nisi appellatione, iure tamen iam a Rubricis admittebatur praelatio aliquorum duplicium super alia. Ex. gr. die 17 Ianuarii Vesperae integrae ibi notantur de Cathedra S. Petri cum commemoratione praecedentis S. Antonii. Item die 8 Maii Vesperae sunt integrae de Apparitione S. Michaëlis Arch. cum commemoratione sequentis S. Gregorii Nazianzeni.

Rite ergo et recte Gregorius XIII Translationem S. Iacobi Ap. vocat *praecipuum duplex,* quae appellatio nil aliud sonat nisi *duplex maius;* agitur enim de festo unius ex Apostolis, ideoque praelatio in Vesperis illi negari non poterat, ad mentem ipsarum Rubricarum S. Pii V.

(24) Ad hanc praescriptionem forsitan appellabat D. Diversini unus ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris anno 1735, in suo voto, de quo scribit Meratus (sect. 3, c. 10, 3). Ipse enim affirmabat, bene posse aliquando festa quae supersunt hoc anno, in sequentem transferri, quod tamen et opportunissime abstulit S. R. C. per Decreta sub nn. 4039 et 4055 antiquae collectionis, quamquam omissa in nova, quae citantur a Merato (loc. cit.).

Porro, licet translatio *accidentalis* omnino, ideoque ad sequentem annum, prohibeatur, repositio *perpetua* bene fieri potest, et nonnulla habuimus exempla in Calendario Cleri Romani, in quo festa S. Dionysii et S. Zosimi Pontificum, impedita sua die 26 Decembris, celebrabantur sequenti mense Februarii; et in ipso Breviario Romano festa S. Ioannis Chrysostomi et S. Francisci Salesii impedita infra Octavam Nativitatis sequenti mense Ianuarii rite recoluntur.

(25) Singularissima prorsus haec est dispositio; nam Vigilia Epiphaniae sui generis est, et iuribus gaudet quae Dominicis tribuuntur. Guyetus ad rem (*l. 4, c. 12, q. 7*) habet: « Quod Vigilia Epiphaniae, aut Dominica sit aut instar Dominicae, constat vel ex hoc uno, quod de ea fiat commemoratio pridie in Vesperis, contra rationem Vigiliae cuius officium nonnisi a Matutino incipit ».

Hinc habet ritum semiduplicem. Iuxta Gavantum (*sect. 6, c. 7, n. 1*), « si occurrat in hac Vigilia (nempe die 5 Ianuarii) festum duplex, de Vigilia fit commemoratio tantum, cum nona lectione de homilia Vigiliae, quia duplici officio occurrenti eodem die cedit semiduplex ».

Et sequitur docens: « De duplici *translato* (intellige de translato *accidentaliter*) non fit in ea, quia est officium novem lectionem, cui etiam Dominica cedit. Si occurrat in ea festum semiduplex, transfertur post Octavam Epiphaniae eadem de causa ».

Hisce tamen non obstantibus, in patriarchalibus Urbis Basilicis, iam a tempore Merati, in et calendario pro Clero Romano, S. Thelesphorus Papa, cuius natale occurrit in hac Vigilia, cuiusque officium est duplex, non celebrabatur sua die natalitia, usque ad paucos annos ante reformationem Rubricarum, sed perpetuo in die 12 Februarii reponebatur, contra Decretum S. R. C., n. 1491, quod tamen pro Basilica Vaticana non valere declaravit eadem S. C., sub n. 1496.

Concludit Gavantus: « Quod si fuit concessum Hispanis a Gregorio XIII posse in hac Vigilia fieri officium de S. Thoma Cantuariensi, ob festum Translationis S. Iacobi, est singulare privilegium, non lex ».

Distingue tempora, et concordabis iura dicunt legisperiti; huiusmodi dispositio *lex* erat tempore Gregorii XIII, non solum privilegium; primo quidem quia tunc Vigilia Epiphaniae eadem lege regebatur ac feria VI post octavam Ascensionis, cuius officium semiduplex admittit duplicia translata et semiduplicia occurrentia, nec non admisit quoque translata usque ad annum 1882, quo translatio duplicium et semiduplicium ablata est; secundo, quia, ut vidimus illis temporibus prohibita non erat translatio accidentalis festorum ad annum proximum sequentem.

De hac Vigilia agens cl. Solans, caeremoniarius in cathedrali Urgellensi (*sect. 3, c. 2, n. 665*), concludit: « Notese que con las nuevas Rubricas, y principalmente con el decreto del 24 de febrero 1896 que pondremos en su lugar,

ha caducado el privilegio de trasladar el oficio de Santo Tomas Cantuariense a la Vigilia de la Epifania, concedido por el Papa Gregorio XIII ».

Cui sententiae libenter nos subscribimus, non moti a citato Decreto quo festum S. Thomae ad ritum duplicem evectum est, quod in casu faveret legi Gregorii XIII, bene vero a constitutione Leonis XIII, qui duplicium et semiduplicium accidentalem translationem prohibuit. Ideo cum hodie festum S. Thomae translationis iure careat, certo certius in Vigilia Epiphaniae non amplius celebrari poterit.

Haec scriprimus anno 1909, nunc vero ea magis confirmanda sunt, quia ex novissimis Rubricis Vigilia Epiphaniae iuribus omnibus gaudet diei dominicae.

(26) Aspersio cum aqua benedicta ante Missam Parochialem vel Conventualem impertienda est ab ipso sacerdote Missam celebraturo; S. R. C. 15 Dec. 1899 n. 4051. Quod si Episcopus dioecesanus Missam pontificaliter celebret, tunc aspersio, iuxta Caeremoniale Episcoporum (l. II, xxi, 4), non fit, sufficit enim aspersio quam impertitur Episcopus ipse dum Ecclesiam ingreditur.

Haec est lex, ideoque quisquis sit celebrans Missam conventualem, cuiusvis dignitatis, ipse debet aspersionem peragere (S. R. C. 926, 1632, 595, 2684, 3716).

Attamen vi huiusmodi constitutionis in Hispania quilibet sacerdos potest aspersionem de qua agimus peragere, cotta et stola indutus, ministrantibus duobus acolythis. (Cf. Solans-Casanueva Manual Lit. Barcellona, 1913 tom. I, p. 305).

(27) Prout idem Gregorius XIII, pro Sanctis qui non sunt in Martyrologio descriptis, iusserat quod in speciali appendice describerentur, ita opportunissime hoc ipsum decernit pro Missis et officiis propriis ad Missale et ad Breviarium adiicendis pro ecclesiis regni Hispaniarum.

Dr. P. Piacenza.

Consultationes.

Pro Hispania. — I. Iis diebus, quibus Episcopus Missae assistere velit pluviali et mitra indutus:

a) An omittenda vel habenda sit processio claustralis?

b) Et in secundo casu, quo momento Praelatus induere debeat paramenta pontificalia, an ante vel post processionem?

c) Si ante processionem, quo loco incedere debeant tam Episcopus, quam Celebrans et Ministri, cum de his omnibus sileant Caeremoniale Epp. et Auctores?

d) Pro huiusmodi processionibus claustralibus, illis diebus quibus iuxta statuta et consuetudinem huius cathedralis omnes Canonici et Beneficiati, tam assistente quam absente Episcopo, assumere debent pluviale: Quo loco hoc facere debent, an in sacristia longe a choro dissita, an in suis stallis? Et si in his, poterunt, saltem in hoc casu, pluviale induere super habitum choralem ad vitandum ut chorus convertatur in vestiarium, quo omnes induantur et denudentur cum fidelium admiratione?

Resp. a) et *b).* Ad libitum, vel iuxta consuetudinem, si qua habetur; agitur enim de ritu peculiari, nulla lege universali sancito.

c) Episcopus digniorem locum sumet; Celebrans ante Episcopum incedet, sed solus, cum non conveniat Ministris consociari, quemadmodum cavet Caeremoniale Episcoporum feria VI in Parasceve, non celebrante Episcopo. Ministri vero incedent ante Celebrantem; quamvis enim Caeremoniale praedictum de Diacono nil dicat, et Martinucci (vol. III, pag. 534, n. 165) explicite doceat illum manere apud altare, tamen non videtur in casu prohibendus Ministrorum in-

cessus in processione, dummodo, ut diximus, non consocientur Celebrantem. Subdiaconus porro, si clerus paratus incedit, ut ad lit. *d)* subsequentem, Crucem processionalem deferet, uti in praedicto casu feriae VI Parasceves innuit faciendum Caeremoniale, etiamsi clerus non sit paratus. Omnimodam conformitatem non suademus, quando clerus non sit paratus, quia in casu praesenti Episcopus nullam peragit functionem. Celebranti poterit adstare proprius Caeremoniarius, quemadmodum innuit Martinucci, loco citato. Celebrantem et Ministros supponimus ad Missam paratos, secus enim, nulla esset quaestio, cum unusquisque locum sibi competentem de clero occuparet.

d) Congruentius paramenta in Sacristia sumentur, nullimode enim pluviale induendum erit super chorale insigne.

II. In reliquis Dominicis, quibus non agitur de festo I aut II classis, viget etiam praxis peragendi processionem claustralem breviorem, vulgo dictam « Estacion menor ». In ea cantatur responsorium aliquod proprium Dominicae iuxta Processionale huius cathedralis, sed antequam ad presbyterium deveniatur, omnes in medio navis lateralis ecclesiae se sistunt, et, praevio cantu versus Laudum, dicitur a Celebrante oratio Dominicae, qua finita, iterum prosequitur processio usquedum Chorales in chorum ingrediuntur et Hebdomadarius cum Ministris ad altare maius devenit pro paramentis missalibus induendis.

Quaeritur: An eiusmodi praxis orationem canendi in medio ecclesiae continuari valeat, vel e contra dici debeat in altari maiori, cum Canonici et Beneficiati ad chorum pervenerint?

Resp. Sustineri nequit haec consuetudo, videtur enim irrationalis huiusmodi suspensio processionis per viam, et quidem secundariam; nec non cantus per Celebrantem habitus, nullo signo officii sui distinctum, et nescimus quo loco incedentem. Oratio igitur dicatur ad altare per Hebdomadarium vel digniorem chori; nil porro impedit quo-

minus hoc in casu Hebdomadarii locum sumat ipse Celebrans, si nil aliud obstet.

III. Etsi ex Caeremoniali Epp. constet, quod Episcopus, in ingressu ad ecclesiam, tam quando celebraturus est, quam si tantum assistat, ad altare SS. Sacramenti debet se dirigere ibique genuflexus orationem facere,

Quaeritur: An eadem caeremonia observari debeat in praedicto altari, cum idem Episcopus ad palatium regreditur, sive eum comitentur Canonici omnes, sive tantum sex, prout servatur in hac cathedrali, quando discedit Officio chorali adhuc non expleto?

Resp. Affirmative, prout docent probati Auctores, quia non esset conveniens ecclesiam egredi, nisi facta debita reverentia Domino Domus.

IV. In Caeremoniali Epp., lib. 1, cap. 13, n. 3, praescribitur ut Sedes episcopalis tribus gradibus constet; sed tamen altari inferior esse debet, iuxta Decretum S. R. C., n. 574. Ob specialem presbyterii huius cathedralis dispositionem, omnino impossibile est thronum erigere in plano inferiori, nam in toto illud occupant duae laterales portae ad ingressum in capella maiori sitae. Hac de causa, in praesens thronus erigitur cum uno tantum gradu in plano, ultimo superiori gradui altaris respondenti; aliter enim superaret vel saltem aequaret altitudinem mensae altaris, et tunc maxima difficultas oriretur in locandis omnibus stallis pro assistentibus et Ministris, iuxta Caeremonialis praescriptionem. In his circumstantiis,

Quaeritur: Continuarine potest praxis huc usque servata, vel e contra stricte observandum est Caeremoniale Epp., saltem quoad tres gradus throni?

Resp. Bene consideratis expositis loci, altaris et solii episcopalis adiunctis, affirmative ad primam partem, negative ad secundam; est enimvero dispositio Caeremonialis, ut ita dicam, conditionata, nimirum quemadmodum explicat decretum citatum.

V. Episcopus pontificaliter celebrans, in recipiendis Ca-

nonicorum et Beneficiatorum oblationibus, sedere debet in medio superioris plani altaris, prout usque ad praesens observatum est etiam in Candelarum, Palmarum et Cinerum distributione aut impositione, vel in throno, sicut pro his disponit Caeremoniale Epp.?

Resp. Servetur Caeremoniale Episcoporum, nulla enim ratio suadet aliter se gerere. Eo vel magis quod ante Offertorium Episcopus iam sedet in throno.

VI. An pro Episcopo etiam tuto teneri possit opinio cl. Le Vavasseur - Haegy, in suo opere *Fonctions Pontificales*, tom. I, cap. 2, art. 2, n. 138, exponentis consuetudinem Romae ab Em.mis et Rev.mis DD. Cardinalibus servatam, incedendi per ecclesiam capite cooperto, vel e contra standum est praescriptioni Caeremonialis Epp., lib. I, cap. 18, n. 1, et S. R. C. Decretis?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; quia haec est praerogativa Em.morum Cardinalium, uti asserunt Caeremoniarii Apostolici, qui illorum functionibus moderantur.

VII. Iuxta praxim huc usque servatam, Episcopus, cum pontificaliter est celebraturus in cathedrali, ad eam accedit caligis et sandaliis indutus, necnon cum chirothecis violaceis. An utrumque permitti possit, non obstantibus S. R. C. Decretis et Caeremonialis Epp. praescripto?

Resp. Caligae et sandalia sunt de paramentis benedictis assumendis iuxta ritum praescriptum, suo tempore. Quoad chirothecas violaceas usus privati, saltem dimittantur in ingressu ecclesiae.

VIII. *a)* Diaconi assistentes, non obstante Caeremoniali Epp., lib. 1, cap. 15, n. 6, et lib. 2, cap. 1, n. 3, induere ne possunt albas in Vesperis pontificalibus, prout affirmant Caeremoniale Romano-Seraphicum, n. 686, et cl. Auctor hispanus Solans-Casanueva in opere *Prontuario Liturgico,* Parte 2, cap. 5, art. 1, n. 606?

b) Et in casu affirmativo: Qua ratione in Missa pontificali albas assumere non valent, cum eadem ratio habeatur,

ac propterea in hac cathedrali usque ad praesens praxis constans fuerit pluviale induendi, sine dubio ob parvam roccheti longitudinem, usum subtanae nigri coloris, et absentiam Presbyteri assistentis, in posterum munus ipsi in Caeremoniali Epp. assignatum exercituri?

c) Quem locum occupare debent praedicti Diaconi assistentes in Missae confessione, sive Episcopus celebret, sive assistat, an assignatum communiter ab Auctoribus, scilicet, retro post Episcopum et Celebrantem, vel quem in aliquibus cathedralibus adhuc servant, i. e. in linea cum Episcopo et Celebrante?

Resp. a) Iuxta decretum S. R. C., n. 2684, XVIII, quoad Diaconorum assistentium Episcopo paramenta, servetur Caeremoniale Episcoporum. Sed forsan antiqua consuetudo admitti valet, quae tamen, cum de re agatur facillime reformanda, melius abolenda diceretur.

b) Nos quoque diversitatem rationis non videmus; sed nequimus probare consuetudinem, qua Diaconi assistentes pluviali induantur in casu; haec prorsus irrationalis videtur, eo vel magis quod male exerceretur illo indumento officium diaconale. Presbyter assistens autem adhibeatur prout de lege.

c) Standum doctrinae probatorum Auctorum, quae rationalis omnino est, quia non conveniret, Diaconum primum adstare dexterae Episcopi, qui locum medium altaris occupare debet, et Celebrantem sinistrae.

IX. An Episcopus Missae assistens in throno, sive pluviali sive cappa indutus, Canonicos dispensare valeat a circulorum efformatione ob distantiam quae inter chorum et altare intercedit? Et quando cum cappa magna assistit, sed in suo stallo chori, an, ex difficultate praedictos circulos efformandi in plano, sufficiet ut Canonici omnes eos faciant in stallis superioribus prope ad Episcopi sedem accedendo?

Resp. Decretum S. R. C., n. 1401, IV, ait, Episcopum dispensare posse aliquos Canonicos, ne deficiant cantores in

choro; sed nullimode dispensandi sunt omnes, quia agitur de ritu praescripto, et de re, quae non observata minueret auctoritati debitam reverentiam. Ceterum nequiret admitti magna distantia throni episcopalis a choro.

Quoad circulos, in casu quo Episcopus non ad suam sedem seu thronum, sed in primo chori stallo assistat, dicendum videtur non esse faciendos, quia et inconcinne fierent, et non videntur congruere ratione solemnitatis quam indicant, quaeque non habetur Episcopo thronum non utente. Et sane neque aliae caeremoniae solemnitati tantum convenientes tunc admittuntur, v. gr. benedictio incensi, Ministrorum, etc. Ceterum circulos perficere in stallis includit contradictionem in terminis.

X. Cum idem Episcopus cappa indutus assistit in suo chori stallo, prout ordinarie contigit in hac cathedrali, an confessionem cum Celebrante peragere debeat et benedictionem in fine Missae semper in altari elargiri; vel sequi potest praxim huc usque servatam, confessionem faciendi in choro cum Canonicis, et a suo stallo populum benedicere, quamvis a fidelibus non videatur?

Resp. Putamus confessionem in casu non esse faciendam cum Celebrante, quia id ad solemnitatem pertinet, quae hic deficit; Benedictio vero episcopalis, cum cappam induat, rite datur, sed ab altari, quia sedes choralis actum solemnem non admittit.

XI. Prima Dignitas, iuxta Decretum S. R. C., n. 3865, Missam solemnem celebrans iis diebus, quibus si Episcopus impeditus vel absens non esset, Sacrum ageret, teneturne ad Missae applicationem pro Benefactoribus, quando ex ecclesiae statuto ab onere Hebdomadarii eximitur, aut e contra talis applicationis obligatio ad Hebdomadarium pertinet? Quomodo intelligenda sunt verba Decreti S. R. C., n. 2682, XX, « Hebdomadarius vel *is cui inest onus Missae conventualis* », cum quaesitum tantum referatur ad casum, quo praedictis diebus Episcopus pontificaliter celebraturus est?

Resp. Serventur legitima statuta et decretum citatum;

scilicet, Missa solemnis applicetur pro Benefactoribus, si absque laesione iurium ipsam celebrantis vel alterius qui conventuali designatus esset id fieri potest.

XII. Tam rocchetum, quo per privilegium gaudent Canonici, quam cotta Beneficiatorum confici debent saltem in sua maxima parte ex tela, extremitates tantum texto denticulato circumducendo, ut docent Auctores; vel e contra permitti possunt quae omnino sunt acu confecta et in toto transparentia? Et si tolerari nequeunt, licebit usus fundum violaceum vel nigrum illis supponendi, donec consumantur?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; quia haec indumenta esse debent ex tela sensu proprio. Remedium quod proponitur difficultatem non solvit, et in se quoque est omnino reiiciendum.

XIII. Iuxta Rescriptum S. R. C., diei 24 iunii 1914, gaudent Canonici huius cathedralis usu cappae caudatae omni tempore;

Quaeritur: Interpretatio praedicti Rescripti est strictissime facienda, ita ut caudam semper complicatam ac involutam in brachio defferre debeant ac proinde numquam substituere possint per aliam cappam absque cauda; aut e contra permittatur eam tantum adhibere iis in casibus et caeremoniis, quibus iuxta consuetudinem et statuta Cathedralis praecipitur dictae caudae explicatio?

Resp. Standum est in omnibus et strictim tenori concessionis, etiam quoad caudae explicationem, quae fere semper negatur. Sed, ad vitandum incommodum delationis caudae complicatae in brachio, usus communis inducatur, eam introducendi nodo seu plicaturae cuiusdam zonae, a scapula dextra ad sinistrum latus obductae, vel aliter ipsi cappae firmetur.

XIV. An Vesperarum psalmos, qui a musicis integri decantantur, Canonici et Beneficiati bini et bini recitare debeant, prout videtur erui ex Decreto S. R. C., n. 2412, et fit in Missa ad *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei?*

Resp. Consuetudo huiusmodi servari potest.

Pro dioecesi Suessionensi. — I. In antiquo Proprio Suessionen., die 3 ianuarii indicata erat Commemoratio Sanctae Genovefae Virg. In futuro inserere debemus novum Officium die 14 ianuarii 1914 a S. R. C. pro tota Gallia approbatum, in huiusce Officii lectionibus historicis nulla cultus illius Sanctae in nostra dioecesi fit mentio. Licetne nobis, pro reparando hoc defectu, addere in fine lectionis VI tres aut quatuor lineas de verbo ad verbum ex antiquo Proprio approbato excerptas, quin sit obligatio a S. Sede novam approbationem pro hac minima additione, ante impressionem futuri Proprii, sollicitandi?

Resp. S. R. C., in decreto d. d. 28 februarii 1914, de festis localibus, quae a Religiosis recoli debent, sub n. V, edixit, eos, in huiusmodi Officiis celebrandis, uti debere Officio et Missa clero saeculari concessis, « nisi eadem festa ab ipsis Regularibus iam habeantur cum Officio et Missa magis propriis ». Hoc principium applicando, etiam pro novis Officiis, quae alicui dioecesi concedantur, clerus quoque saecularis eandem sequi potest tuto normam. Hinc, toti Galliae et singulis eius dioecesibus concesso Officio noviter approbato pro S. Genovefa, quae ecclesiae iam Officium magis proprium possidebant, poterunt in eo continuare. Si porro hoc fieri potest pro toto Officio, cur non valeret et pro parte eius?

Cum ergo in dioecesi Suessionen. pars Officii S. Genovefae propria iam possideat, potest etiam nunc in novissimo Officio servari, nihil obstante ritu festi, prius inferiori. Agitur reipsa de servanda parte lectionis in lectione, imo post lectionem, nullimode tacto novissimo textu, prout neque antiquo, uti in dubii expositione clare exponitur. Responsio ergo, iuxta nostrum sentiendi modum, est affirmativa.

Quod respicit schema novi Officii, nostra non interest de illo hic interloqui, sed transeunter notamus, haberi decretum S. R. C. diei 25 maii 1914, edicens, debere a dioecesibus Galliae, quae hucusque festum S. Genovefae in

Kalendario dioecesano inscriptum non habebant, sumi « Officium adprobatum die 27 ianuarii 1853, et hucusque pro aliquibus locis ad calcem Breviarii adpositum ».

II. Die 3 iunii, in antiquo Proprio Suessionen. approbato, indicatum est festum S. Clotildis, Reg. sub ritu dupl. min., cum tribus lectionibus historicis. Pro tota Gallia, die 14 ianuarii 1914, a S. R. C. dictae S. Clotildis approbatum fuit Officium, quod, paucis lineis mutatis, Officio nostro Suessionen. simile est: *a*) Adestne nobis obligatio hoc Officium in futuro nostro Proprio inserendi, vel *b*) possumusne Officium pro nobis olim approbatum servare? Si novum Officium sumendum sit, licetne lectioni VI, ut supra pro S. Genovefa, aliquas lineas addere, de verbo ad verbum ex antiquo Proprio approbato excerptas, pro cultu S. Clotildis in nostra dioecesi referendo?

Resp. Ad rem facit decretum S. R. C., d. d. 24 iunii 1914, quod quamvis datum sit circa Officia propria, respectu habito ad Officia Ecclesiae universalis, tamen non est ambigendum valere etiam quando agitur de iisdem propriis Officiis, quae data sint sub quibusdam limitibus, puta respectu nationis, dioecesis. Eo nimirum decreto declaratum est « ad maiorem uniformitatem..... iuxta prudens cuiusvis Ordinarii vel Superioris, ad quem spectat, iudicium, Officia Ecclesiae universalis in Breviario romano inserta substitui valeant, absque peculiari indulto, respectivis Officiis particularibus magis propriis, hucusque aliquibus dioecesibus seu institutis a S. Sede concessis. Item R.mis Ordinariis seu Superioribus supradictis fit potestas, aliquas tantum partes proprias ex Officiis particularibus iam indultis, quae nullo modo vel tantum ritu simplici in Breviario reperiuntur, amodo retinendi, ceteris partibus de psalterio et de communi adhibitis ». Est igitur responsio nostra, ad primam partem: Negative ad *a*); Affirmative ad *b*). Videantur insuper ea quae diximus in solutione dubii praecedentis, et applicentur huic casui, ut responsum habeatur quoad ultimam partem praesentis quaesiti.

III. Die 1 maii, iuxta novum Kalendarium, SS. Marculphi et Theodulphi, Abbatum, Commemorationem habemus. In antiquo Proprio Suessionen., S. Marculphi Commemoratio die 1ª maii fiebat, et S. Theodulphi die 2ª. Quid pro futuro Proprio:

1° Pro eorum Commemoratione ad Matutinum; licetne pro IX lectione, sine nova approbatione, in unam utriusque Sancti lectionem iungere?

2° Pro eorum Commemoratione ad Laudes; Breviarii Rubricae Officium Abbatum idem esse ac Officium Conf. non Pont., paucis exceptis, indicant. Iuxta illas, SS. Marculphum et Theodulphum, Abbates, commemorare debemus per antiphonam et ℣. Officii novi pro pluribus Confessoribus non Pontificibus approbati; sed Oratio illius Officii non specialiter Abbatibus convenit; in nostra Commemoratione nonne potius Oratio *Intercessio*, in numero plurali, sumenda est?

3° Pro eorum Commemoratione in Missa privata; nonne sumendae sunt Orationes Missae *Os iusti* pro Abbatibus, in numero plurali, vel Orationes unius e duabus Missis pro Conf. non Pont. approbatis?

Resp. 1° Vel lectiones propriae, quae iam recitabantur in separata Commemoratione, uniuntur prout iacent, et tunc nulla opus est approbatione; vel uniuntur ita ut, quamvis non variatae, etiam solummodo contrahantur, et tunc oportet ut S. R. Congregationi subiiciantur; quemadmodum disponit decretum eiusdem S. C., d. d. 28 octobris 1913, de lectionibus secundi nocturni, quando agitur de duobus vel tribus Sanctis, qui sub eodem communi comprehenduntur, et sub eodem die sunt celebrandi, unico festo, quo scilicet casu lectiones historicae contractae S. Congregationi subiici debent.

2° Cum in novo communi plurium Confessorum non Pontificum non consideretur casus de pluribus Abbatibus, restat ut fiat, data occasione, circa orationem (supposito, quoad cetera, legitimo usu novi communis pro pluribus), quemadmodum fit quum recurrendum est ad commune unius

etiamsi agatur de pluribus Sanctis, ut scilicet oratio sumatur de respectivo communi, mutato numero et expressis nominibus. Commune Abbatum reipsa existit cum oratione propria et antiphonis ac versibus de alio communi; ergo, quod est proprium sumatur et aptetur, quod est commune sumatur uti a S. Sede iam aptatum est.

3° Pro Commemoratione in Missa, idem dicendum, quod in n. 2, quoad orationem Officii.

IV. In Officio SS. Episcoporum Suessionen., hymnus *Iste Confessor* ad Matutinum tantum inservit; Vesperae et Laudes hymnum proprium habent. Si transferri contingat festum alicuius Sancti Suessionensis Episcopi, v. g. tamquam Patroni loci, in diem sequentem natali diei, et si de eo fiat saltem a Capitulo, nonne mutandus est tertius Ỳ. *Meruit beatas* ad Matutinum, cum propter alium hymnum proprium in Vesperis non sit recitatus?

Resp. Tenenda est regula ordinaria, etiam si alius sit hymnus dicendus in primis Vesperis, quia non est recitatio hymni, quae determinat non faciendam esse mutationem tertii versus, sed tempus, quo incipit memoria Sancti: haec enimvero reipsa in casu incipit, *saltem* a capitulo, in primis Vesperis, quae sunt intra diem obitus, ergo hymnus *Iste Confessor* in Matutino sequenti non mutabitur, quia memoria Sancti, tempore lege determinato, iam incoepit.

Pro Gallia. — Kalendaria Gallica, Anglica, Hibernica quae sub oculos teneo, tenent Missam Votivam *dici non posse de Beatis nondum Canonizatis.* Kalendaria vero Italica (ita Taurinense et Eporediense) affirmant, Missam Votivam dici posse de omnibus Sanctis in Martyrologio quidem descriptis, *sed etiam de Beatis, quorum* et ubi *Officium concessum est.* Ubinam reperitur auctoritas liturgica quae regulam Italicam confirmet?

Resp. Fallitur, qui putat de Beatis posse recitari Missas votivas, quia cultus Beatorum ita est coarctatus, ut nonnisi, quod expresse datum est, possit, in iis quae respiciunt cultum publicum, exerceri. Certum quippe est, Missarum

votivarum celebrationem augere cultum eorum qui coluntur.

Ergo nequit absque indulto hoc augmentum cultus in casu admitti.

Pro loco « Salon », in Gallia. — S. R. C., n. 4032, III, docet quid iudicandum de illis lapidibus, quorum sepulcrum non in medio, sed in fronte effossum fuit. Ordinarie sepulcrum est clausum, non lapide, sed caemento aut gypso. Responsum S. R. C. est, quod isti lapides in posterum non sunt admittendi. Alii interpretantur haec verba, quod Episcopus non potest in posterum tales consecrare; alii interpretantur, quod tales non possunt servire ut in eis Missa celebretur. Quid tenendum?

Resp. S. R. C. reipsa respondit quod « dicti lapides in posterum non sunt admittendi ». Similiter se exprimit decretum n. 3671, I, II. At S. R. C. in decreto primo citato adiecit: « quoad praeteritum vero, cum commode fieri possit, iterum breviori formula consecrentur ». Possunt igitur inservire cum discretione. Attamen consideretur, S. Congregationem non loqui de altaribus consecratis cum operculo ex caemento vel gypso, quia in dubii expositione talis circumstantia non est indicata; ergo non est idem responsum aptandum praesenti casui, qui ordinarie dicitur accidere, et cui convenit potius decretum, n. 3532, I; et 3585, I, quod habet: « ... et ex singulis altaribus caementum extrahi, et lapides substitui debent, in casu ».

Pro Parisiis. — Anno proximo, 1917, occurrit festum Dedicationis S. Mariae ad Nives (5ª aug.) cum Dominica minori X post Pent., 2ª augusti. Quaeritur utrum utri praestet? Videtur quod Dominica, quia Officium totum est de communi B. M. V. Sed contra est, quod Dedicatio est festum Domini, et proinde Dominicae praestare debet.

Resp. Quaestio huiusmodi iam alias pertractata est in hisce Ephemeridibus, et quidem eo sensu, quod non est attendendum obiectum formale illius festi, sed materiale; festum, in suis elementis, quae constituunt Officium, est de B. Maria Virgine, ergo non praevalet Dominicae, in casu.

M.

E Cauria (*in Hispania*). — I. Subdiaconus post cantatam epistolam genuflectere debet *inter oram et celebrantem* (iuxta decretum *in Colimen.*, 12 iulii 1901 ad V). Quod quidem interpretatum fuit in publicatione nuncupata *Ephemerides Liturgicae* eodem anno 1901, pag. 464, ut sequitur:

« Subdiaconus igitur benedictionem post epistolam a celebrante accepturus genuflectere debet in suppedaneo, non in plano neque in gradu inferiori, ante celebrantem ipsum, qui ad eum parumper convertitur, et ante ipsam aram quae ad dexteram subdiaconi manet ». Attamen, et licet recognita ab auctoribus probatis hac interpretatione ut authentica, nuper introducta fuit aliquibus in locis huius dioecesis nova praxis (fundata, prout aiunt, in quodam decreto quod asserunt extitisse, quin appareat in collectione authentica decretorum S. R. C.) iuxta quam subdiaconus ingreditur ad recipiendam praedictam benedictionem *per medium et se sistit ad sinistram celebrantis qui benedictionem illi impertit versus ad cornu evangelii;* ac proinde ara non manet ad dexteram subdiaconi, sed e converso manet ad eius sinistram. Re ita exposita, quaeritur:

1. Potesne tolerari praxis praedicta?

2. Extitit revera aliquando decretum quodlibet contrarium alii decreto authentico (*in Colimen.*) antea citato?

3. Et quomodo se gerere debet subdiaconus in hoc casu?

Resp. Rubrica missalis ad rem ita se habet: « Subdiaconus circa finem ultimae orationis accipit ambabus manibus librum epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta altari genuflexione in medio, vadit ad partem epistolae contra altare, et cantat epistolam, etc. Epistola cantata, subdiaconus facit iterum genuflexionem altari in medio, et redit ad celebrantem, et genuflectens osculatur eius manum, et ab eo benedicitur, praeterquam in missis defunctorum (Tit. VI, n. 4) ». Ex dictis non satis clare indicatur ubi subdiaconus post cantum epistolae genuflectere debeat benedictionem a celebrante accepturus. Sed praxis ubique re-

cepta et constans est quod subdiaconus cantata epistola claudit libum, et pergens cum caeremoniario vel acolytho a sinistris, ad medium altaris, iterum genuflectit, ut prius, et postea redit per planum ad cornu laterale epistolae, ibique retrocedente aliquantulum diacono, ascendens super gradum viciniorem celebranti, ante hunc se constituit genuflexus, deflectendo partem libri superiorem versus celebrantem, huius dexteram super librum extensam deosculatur, et ab eo signo crucis benedicitur. Diximus, et merito, *praxis ubique recepta et constans;* nam et decretum S. R. C. *in Co-limen.*, nuper citatum, quod antea sic enunciabatur: « Ubinam genuflectere debet subdiaconus, ut celebrans eum benedicat, post epistolam, an inter aram et celebrantem in suppedaneo, an potius inter parietem et ipsum celebrantem in plano? »; in VI volumine decretorum authenticorum, sub n. 4075, ita mutatum fuit: « Ubinam genuflectere debet subdiaconus, ut celebrans eum benedicat, post cantatam epistolam, an in suppedaneo, aut potius in plano? ». Ista decreti correptio rationem facit de ecclesiarum praxi ubique invecta quoad subdiaconum benedictionem a celebrante post cantum epistolae recepturum. Quapropter, sine ulla formidine errandi, respondemus ad primum, *negative:* scilicet: Nova praxis aliquibus in locis dioecesis *Caurien.*, iuxta quam subdiaconus ingreditur ad recipiendam praedictam benedictionem per medium, et se sistit ad sinistram celebrantis qui benedictionem illi impertit versus ad cornu evangelii, non est toleranda. Ad secundum: Non extitit decretum quodlibet contrarium decreto authentico n. 4075, necnon praxi constanti et universali ecclesiarum. Ad tertium, videlicet: Quomodo se gerere debet subdiaconus in hoc casu? Diximus iam: subdiaconus, epistola cantata, claudit librum, ita ut eiusdem apertura ad suam sinistram respiciat, et illum portans ambabus manibus et ad inferiores angulos ante pectus, ita ut pars superior pectori adhaereat, accedit iterum ad medium altaris ante gradus, ibique simpliciter genu flectit super infimum gradum, et vadit per planum in

cornu epistolae ad celebrantem, adhuc ibi morantem, utrumque genu flectit in supremo vel secundo gradu, librum aliquantulum ad celebrantem deflectit, manum eius dexteram super librum positam osculatur, et capite inclinato, ab eo accipit benedictionem. Diximus *utrumque genu flectit in supremo vel secundo gradu,* contra apparentem responsionem allati decreti, quod ad quaesitum: « Ubinam genuflectere debet subdiaconus, ut celebrans eum benedicat, post cantatam epistolam, an in suppedaneo aut potius in plano? ». Respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». S. R. C. cum hoc decreto intendit damnare, et merito, usum recipiendi a subdiacono benedictionem in plano, quod foret aliquid absurde gestum, non autem super secundum vel primum gradum, iuxta numerum ipsorum et amplitudinem suppedanei. Et sane, videtur in praxi, praesertim ubi altaria habentur angustiora, maxima cum difficultate subdiaconum locum aptum genuflectendi invenire in supremo gradu; in casu, sine ulla formidine contradicendi decreto *in Colimen.,* fas est subdiaconum genuflectere non in pradella, sed potius super primum vel secundum gradum.

II. In missa, post offertorium (iuxta rubricas et probatos auctores) videtur quod diaconus, subdiacono incensato, stans in cornu epistolae, reddere debet thuribulum thuriferario: et postea ascendere ad solitum gradum ante medium altaris post celebrantem, atque ibi, debita facta altari reverentia, accipere incensationem a thuriferario, se ad illum convertens. Sed in aliquibus locis huius dioecesi, diaconus in hoc casu accipit praedictam incensationem permanens in ipsum cornu epistolae, et, incensatione ibi recepta, ascendit postea ad medium altaris. Nunc quaeritur: tolerandane est haec praxis an vero eliminanda?

Resp. Incensatione altari facta, diaconus incensat celebrantem ad cornu epistolae ter duplici ductu. Deinde, si clerus in choro non adsit, vadit ante angulum gradus infimi e latere epistolae et subdiaconum stantem in medio ante gradus ad se conversum incensat duobus ductibus dupli-

cibus, sub mutua inclinatione. Thuribulo reddito, diaconus ad medium altaris, in gradum secundum ascendit, sine genuflexione, quia altare non reliquerat, et dextrorsum ad thuriferarium conversus, ab eo duobus ductibus duplicibus incensatur. Diximus *ascendit ad medium altaris,* iuxta sententiam Merati, par. II, tit. VII; Hippolyti, tit. VII, r. 9, n. 17; Laboranti, lib. III, n. 123; Buongiovanni, lib. III, cap. 11, et plurimorum auctorum. Sed contra, cl. De Herdt, tom. I, n. 323, vult, ut diaconus ascendat retro post celebrantem *in cornu epistolae,* sed Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. 9, n. 5, praescribit ut diaconus *stet post celebrantem* in gradu altaris infra suppedaneum, quem locum Catalanus, lib. II, cap. 8, § 62, n. 8, exponit: « thurificatur in loco suo, ubi stat usque ad finem Praefationis », nisi caeremoniario deficiente, folia missalis volvere debeat. Si vero adsit chorus, diaconus, celebrante incensato, vadit, thuriferario comitante, in medium ante altare, genuflectit, et procedit ad chorum. Peracta chori thurificatione, diaconus redit ad altare, eadem via qua venerat, cum vel sine genuflexione, prout transitus ad altare locum habeat vel non; redit versus latus epistolae, se convertit ad subdiaconum, quem incensat ut supra. Subdiacono incensato et thuribulo thuriferario reddito, diaconus accedit ad locum suum, idest ad gradum suppedaneo proximum, ante medium altaris, ibique, facta ad crucem genuflexione, se convertit ad thuriferarium, a quo, ut nuper diximus, incensatur, et permanent loco eodem usque ad finem Praefationis, nisi in defectu caeremoniarii ad celebrantem accedere debeat pro secretis indicandis foliisque missalis vertendis, quo in casu, ad sinistram celebrantis ascendit eique, manu sinistra extensa unitisque digitis, singulas secretas legendas indicat et in fine ultimae Praefationem ostendit. Ex dictis concludendum est: praxis qua diaconus accipit incensationem a thuriferario permanens in ipsum cornu epistolae, et ea recepta, ascendit postea ad medium altaris, non videtur consentanea placitis auctorum liturgicorum, necnon praxi fere universali.

III. Quid dicendum de doctrina in libello *Il Nuovo Baldeschi* tradita quoad depositionem manipulorum in Missa Praesanctificatorum ante crucis discooperitionem? Legitur enim in art. II, n. 23, pag. 266, edit. 1912: « *Finite tutte le orazioni, il celebrante e i ministri sacri vanno* per breviorem *al banco, ove depongono i manipoli,* etc. ».

Resp. Doctrina exposita in libello *Il Nuovo Baldeschi* est prorsus erronea, et sententiae confratris nostri Iosephi Baldeschi prorsus opposita. Etiam atque etiam editiones genuinas clarissimi Auctoris consuluimus, et nullum verbum de ipsa erronea doctrina invenimus, quinimmo oppositam sententiam ipse valide tuetur. Et revera in eodem articulo II, n. 23 ait: « *Finite tutte le funzioni, i ministri sacri vanno* per breviorem *al banco, ove il celebrante e subdiacono si levano la pianeta, e si portano* in cornu epistolae, *fermandosi* in plano, *colla faccia rivolta al popolo* »; et infra, numero 31 post discooperitionem crucis, docet: *Giunti i ministri ed il celebrante al banco, tutti e tre si levano i manipoli, secondo il decreto della Sacra Congregazione de' Riti, li 15 settembre 1736; e di poi le scarpe* ». Ex iis aliisque a nobis notatis patet, quam singulariter operam clari nostri confratris compilatores libelli *Il Nuovo Baldeschi* mutaverunt!... Ad rem ait cl. Aloisius a Carpo: Non deest qui censet manipulum esse deponendum quum celebrans exuit planetam; ast huic opinioni nequaquam est adhaerendum, quippe cum decretum diei 15 septembris 1736 in *Toletana* n. 2326 ad 4 praecipiat ut manipulus deponatur non ad detectionem crucis, sed ad adorationem.

P. D. A.

Quaestiones Liturgicae.

Quaer: **An de aliquo Festo, intra hebdomadam occurrente, solemnitas externa in Dominicam proxime sequentem transferri possit, et de ea Missa solemnis cantari ?**

Resp. Distinguendum est: si agatur de Festis pro quibus habetur indultum generale vel speciale S. Sedis, affirmative, si secus, negative.

Porro iuxta hodiernas Rubricas et S. R. C. decreta generalia circa hoc punctum sequentia Festa, si impediuntur, in Dominica cum Missa celebrari possunt, vel quae in hebdomada occurrunt, eorum solemnitas externa in Dominicam sequentem transferri potest:

1° In ecclesiis, *ubi Titulus est ecclesiae* (1), vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari (*etiam in Dominica, nisi agatur de infra exceptis*)

---

(1) Rubrica Missal. tit. VI, loquitur tantum *de Titulo ecclesiae,* sed hoc etiam applicandum videtur Festo alicuius Patroni principalis et Dedicationis ecclesiae, saltem ratione *concursus populi*. Insuper notandum est, quod iuxta *Motu proprio* Pii Pp. X, d. 2 Iulii 1911, III (n. 4272 Decret. S. R. C.), « ecclesiastico praecepto (*scilicet audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus*) dies festi Patronorum non subiaceant. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem ». Diebus Dominicis quibus Ordinarius solemnitatem exteriorem Patronorum transfert, licet Missam propriam solemnem celebrare ob concursum populi (S. R. C. 25 Aug. 1911 ad 1, n. 4278).

(2) Num inter Dominicas exceptas hodiedum veniunt etiam Dominicae II, III et IV Quadragesimae? Cl. Dr. P. Piacenza putat negative, vide *Ephemer. Liturg.*, an. 1915, pag. 238.

duae Missae, una de die, alia de Festo (in ecclesiis nempe ubi adest obligatio celebrandi Missam conventualem vel parochialem; in aliis vero ecclesiis haec Missa votiva solemnis tantum cantari potest. S. R. C. 17 Aug. 1709 ad 1, n. 2198 et 7 Aug. 1875 ad 4, n. 3365). Ab hoc indulto excipiuntur sequentes dies: Dominica prima Adventus, Feria IV Cinerum, Dominica prima Quadragesimae (2), Dominica Passionis, Dominica Palmarum cum tota hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis cum sequenti biduo, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis, Dominica SS. Trinitatis, dies Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Festum Corporis Christi. In his diebus exceptis sumitur Missa diei, et non licet commemorationem Festi quod transfertur adiungere (S. R. C. 16 April. 1853 ad 2, n. 3009).

Praefata Missa votiva solemnis celebranda est cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione, etiam in ecclesia, ubi una tantum cantatur Missa, et ultimo Evangelio S. Ioannis etiam in Dominicis et Feriis occurrentibus (S. R. C. 13 Iunii 1671 ad 2 et 4, n. 1421 et 29 Ian. 1752, n. 2417) (1).

2° Iuxta novas Psalterii Rubricas (tit. X, n. 3, 1ae edit.) permittitur: « Si alicubi aliquod Festum, *impeditum* a Dominica *minore*, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius), Missae (*plures, etiam lectae*) de eodem Festo impedito celebrari poterunt, dummodo Missa de Dominica ne omittatur ». Haec facultas extendi potest ad Festa in perpetuum simplificata, non autem ad Festa penitus abolita. Missae tamen omnes quae permittuntur ab hac Rubrica (tit. X, n. 3) celebrari nequeunt, si occurrat Festum duplex 1 aut 2 classis, salva tamen Rubrica generali Missal. tit. VI de *translatione Fe-*

(1) In ecclesiis, ubi adest obligatio celebrandi Missam conventualem vel parochialem de die, haec prius celebranda est post Horam congruentem Officii, et altera votiva de Festo translato post Nonam (S. R. C. 9 April. 1900 ad 4, n. 4053).

storum (S. R. C. 19 April. 1912 ad 5 et 6, Act. Ap. Sedis, IV, 322).

3° Insuper Decretum generale S. R. C. d. 28 Octobris 1913, I, 2 (A. A. S., V, 459) sequentia habet: « Ubi solemnitas externa Festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de solemnitate Festi duplicis I classis permittuntur Missae omnes, praeter conventualem et parochialem, semper de Officio diei dicendae; de solemnitate vero Festi duplicis II classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur solemnitas externa Ss. Rosarii, quae Dominica I Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter conventualem et parochialem, de Ss.mo Rosario, ut supra dictum est de duplicibus I classis ».

Stantibus itaque terminis huius indulti, sequitur: *a*) quod in hoc decreto agatur solummodo de iis Festis, *quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant*, non vero de aliis Festis; *b*) quod, ubi de iis Festis solemnitas externa in Dominica hucusque celebrata non fuerit, nisi cum simplici Officio et Missa, nec hodie ea solemnitas ullo modo particulari locum habet, de iis Festis Missae votivae in dicta Dominica celebrari nequeant; *c*) quod iuxta recens decretum S. R. C. d. 12 Febr. 1916 (A. A. S., VIII, 74) ista solemnitas celebrari possit solummodo in ipsa Dominica, cui prius affixum erat festum, et quod Missae de ipsa solemnitate celebrari possint, non vero debeant.

« Omnes Missae (*prosequitur praefatum indultum*) de his solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso Festo de quo agitur solemnitas, addita Oratione de Officio diei et aliis omnibus quae dicendae essent, si Festum ipsa Dominica incidisset. Prohibentur tamen in omnibus Dominicis maioribus, et in aliis Dominicis in quibus fiat Officium nobilius ipso Festo cuius solemnitas externa peragitur; sed in casu, praeterquam in duplicibus I classis Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis quae alioquin de solemnitate externe celebrata permitterentur, ad-

datur eius Oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missae conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed Oratio de Festo externe tantum celebrato addi poterit, uti supra, in ipsa Missa conventuali ».

4° Demum iuxta Decretum *Urbis et Orbis* S. R. C. d. 24 Iulii 1911, VI (n. 4273), « Dominica infra Octavam huius festi (*scilicet SS. Corporis Christi*) in ecclesiis Chathedralibus et Collegiatis, recitato Officio cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa solemnis cani potest, uti in Festo cum *Gloria*, unica Oratione, sequentia, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur solemnis Processio cum Ss.Sacramento, . prescripta in Caeremon. Episcop. l. II, c. 33 ». Pius Pp. X tamen, Decreto S. C. Concilii d. 3 Maii 1912, concessit: « Ut Festum Ss. Corporis Christi, ubi sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non obstrictum, celebrari possit cum solemni Processione et pompa, prout antea, Feria V post Dominicam Ss. Trinitatis (vide A. A. S., IV, 341).

Pro indulto concesso toti territorio Reipublicae Gallicanae subiecto, anno 1802, quoad quatuor Festa (scilicet Epiphaniae Domini, Ss. Corporis Christi, Ss. Apostolorum Petri et Pauli et Ss. Patronorum locorum), quorum solemnitas transfertur in Dominicam proxime sequentem consulatur Decretum Generale S. R. C. d. 2 Decembris 1891, n. 3754, et Decretum eiusdem S. Congr. d. 27 Maii 1911 ad 9, n. 4269.

Quoad alia indulta particularia, unusquisque consulat sua propria, eaque prout iacent sequatur.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. Cap.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 4 curr. anni, pagg. 243-253).

Quaestio.

Antonius parochus, consuetudine fretus, saepe ad Altare celebrat, ubi expositum est SS. Sacramentum, et tempore Missae, imo etiam extra Missam, sacram Synaxim fidelibus administrat.

Quaeritur :

1. *Licetne Missam celebrare ubi expositum est SS. Sacramentum?*

2. *Licetne Eucharistiam administrare in eodem Altari?*

3. *Quid dicendum de Antonio?*

Solutio.

Ad I. *Licetne Missam celebrare ubi expositum est SS. Sacramentum?*

Resp. Iuxta Caerem. Ep. (*l. I, c. XII, n. 9*): « Non incongruum, sed maxime decens esset ut in altari, ubi SS. Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus ». Haec dispositio, ut perspicuum est, directiva, non autem praeceptiva est, idcirco additum est: « Aut saltem celebrans in eo, sive solemnes sive planas Missas, reverentias et genuflexiones praedictas omnino observare debet ». Attamen ex aliis fontibus colligi potest

stricte prohibitum esse Missam celebrare ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum. Nihilominus etiam si nolimus *Instructionem Clementinam* sequi, quae praeceptiva est tantum pro ecclesiis Urbis (*parag.* XII), tamen decreta non desunt S. R. C., quae stricte item praecipiunt (*9 Aug. 1670, n. 1406*). Quae prohibitio non ita gravis et rigorosa est, ut nulli casus excludi ab ea possint. Quorum unus est, cum in ecclesia unicum altare inveniatur (*cit. decr.*). Alter cum iusta et rationabilis causa postulet celebrationem in eodem altari, ubi expositum est SS. Sacramentum (*13 Iunii 1671, n. 1421 ad 5*). Tertius cum antiqua et immemorabilis adsit consuetudo (*7 Maii 1746, n. 2390 ad 5*). Quartus cum speciale indultum sit quod hoc facere permittat (*11 Maii 1878, n. 2448 ad 1*). Ut paucis igitur absolvam, Missa celebrari haud potest ad altare expositionis SS. Sacramenti in ecclesiis, ubi alia sint altaria, nisi aut *ob necessitatem*, vel *gravem causam*, aut *ob consuetudinem* et *speciale indultum* (*De Amicis: Il Cerim. compl. vol. 4 art. I, p. 66*). Praeter Missam Expositionis ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum, toleratur etiam, *attenta antiqua et immemorabili consuetudine,* ut celebretur alia Missa solemnior (*dd.* 3124[2], 3552[1]), etiam si capitularis (*d.* 3124[3]). Opportunum ducimus referre quod scribit De Amicis in Caer. Paroch. tom. II, Pars. IV, c. IV, art. 1 in nota: Consuetudo autem viget, uti passim in *Ephem. Liturg.* innuimus, etiam Romae, missae celebrandae ante SS. Sacramentum expositum; eo magis quia s. Sedes pluribus confraternitatibus et institutis eiusmodi indultum concessit. Fortasse ergo optandum esset, ut legitima auctoritas disponeret quod missa coram ss. Sacramento celebrari possit, eo quod hodie passim fideles qui, ob temporis tristitiam, nimii non sunt in adoratione, missam audiant ad altare secundarium. Videtur enim non infrequentius expositionis altare prorsus adorantium desertum. Nisi consultius iudices fideles optime praecepto audiendi missam satisfacere ubicumque sint in ecclesia; maxime si sint in adoratione Sacramenti, de quo instruendi.

Ad II. *Licetne Eucharistiam administrare in eodem Altari?*

Resp. Non licet administrare Eucharistiam in eo altari ubi expositum est SS. Sacramentum *sive intra, sive extra Missas* quae ex necessitate, indulto, consuetudine immemorabili celebrantur (*11 Maii 1878 ad 1, n. 3448 et 23 Nov. 1880 ad 4, n. 3525*). S. R. C. concessit interdum facultatem celebrandi Missam conventualem ad altare Expositionis, sed cum expressa conditione ut Eucharistia non administretur (*12 Nov. 1831, n. 4677* in vetere collectione). Igitur si prohibetur administrare Eucharistiam in hoc altari dum Missa celebratur, quod esset magis consonum ritui antiquo et Ecclesiae intentioni, iuxta Tridentinum (*Sess. 22, c. 6.* de Sacr. Missae), a fortiori prohibetur extra Missam, cum adhuc expositum sit SS. Sacramentum (Cfr. Gardell. in nota ad decr. cit. 12 Novemb. 1831). Quare S. R. C. adquisita: « Quid sentiendum de usu... distribuendi S. Communionem in Missis (coram SS. Sacramento publice exposito in ecclesiis, in quibus non desunt alia altaria), et extra Missas in eodem altari? », respondit: « Negative » (11 Maii 1878 ad 1, n. 3448).

Ut tamen fideles non priventur Ss. Eucharistia, haec asservari debet et administrari in alio altari S. R. C. (8 Febr. 1879, n. 3482, 23 Nov. 1880 ad 4, n. 3525, et si opus sit, loco transennae vulgo *balaustra*, scamna circumponantur). Ubi tamen non sit nisi unicum altare, et in hoc expositum SS. Sacramentum, hoc in casu, praesertim si consuetudo adsit administrandi SS. Eucharistiam, eidem consuetudini indulgeri potest, ut eruitur ex decreto S. R. C. diei 26 Sept. 1868 in una Rhemensi, n. 5411 edit. 3 Gardell., sed in novissima Collect. authent. hoc decretum deficit.

Ad III. *Quid dicendum de Antonio?*

Resp. Ex iis, quae supra diximus, patet Antonium parochum, ob antiquam et immemorabilem consuetudinem, posse Missam celebrare ad Altare ubi expositum est Ss. Sacramentum.

Contra male se gerit Eucharistiam administrando, ex

eodem altari, excepto tamen casu quod in eius ecclesia aliud altare non inveniatur.

Quaestio.

Ioseph parochus, in exequiis solemnibus cuiusdam sui filiani, nobili genere nati, permittit in ecclesia legi, vel a laicis, sermones et carmina in laudem defuncti, necnon apponi inscriptiones et effigiem eiusdem ad tumulum.

Quaeritur:

1. *Utrum permitti possint et quibus conditionibus funebres sermones, carmina et inscriptiones in ecclesiis?*

2. *Utrum liceat apponi effigiem defuncti ad tumulum in ecclesia?*

3. *Quid dicendum de Iosepho?*

Solutio.

Ad I. *Utrum permitti possint et quibus conditionibus funebres sermones, carmina et inscriptiones in ecclesia?*

Resp. Funebres orationes in clarorum virorum laudem semper in usu fuerunt in Ecclesia. Extant exempla in scriptis etiam antiquissimorum Patrum. Quibus laudationibus, virtutes defunctorum, praesertim religiosae, exaltantur; vanitas rerum humanarum depingitur; fideles ad virtutem aedificantur et ad opera caritatis et pietatis excitantur. Utinam tamen eorum usus ad paucos illustres viros, vere virtutibus christianis praeditos, restringeretur! Nec quibuscumque dummodo divitiis ac potentia affluentibus tribueretur hic in nostris ecclesiis maximus singularisque honos! Quamvis funebres laudationes non sint sacrae orationes, cum nec circa Evangelium, nec circa alicuius Sancti laudes versentur, tamen haberi non possunt nisi tantum ab ecclesiasticis viris. Laici omnino sileant in ecclesia: nec decet ecclesiastioum in defuncti laudem orationem habere, nec inscriptio-

nes tumulo apponere, nisi prius obtenta speciali per scriptum ab Episcopo licentia. Doctissimus Berengo ita ad rem scribit: « Non potest parochus, ne in honorem quidem insignium virorum de Clero, funebres orationes, absque Episcopi licentia, in sua ecclesia permittere » (*Enchir. paroch. p. III, c. 1, a. 4*). Potest tamen laicis permittere ut in coemeterio funebrem orationem legant, obtenta tamen scriptis venia et adprobatione ab Ordinario. Perbelle ad rem ait clarissimus del Vecchio (*Th. Mor. Univ. t. I, n. 541, V.*): « In coemeterio non esset laico permittenda funebris laudatio, nisi licentia ab Episcopo obtenta et scripto approbata; etsi enim ad Communitatem spectet eius aedificatio et conservatio, semper tamen locus sacer est, sacris ritibus benedictus. Tanto minus permittitur laico ut habeat funebrem laudationem in ecclesia; usurparet enim ministerium ecclesiasticum; hinc Clemens XI, prohibet in ecclesia omnia eloquia profana, circulos et strepitus. Imo in coemeterio neque inscriptiones essent ponendae sine ecclesiastica auctoritate: verum hodie vix ac ne vix quidem id obtineri potest, cum civilis auctoritas omne sibi vindicet ius in loca ».

Quoad ritum vero in eiusmodi funebribus orationibus servandum, Caerem. Ep. praescribit: « Si sermo habendus erit in laudem defuncti, pro quo Missa celebrata erit, tunc ea finita, ante absolutionem accedet sermocinaturus, vestibus nigris indutus, sine cotta, et facta oratione ante medium altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia vel genuflexione, pro qualitate personae, ascendet pulpitum, panno nigro coopertum, signans se signo crucis, faciet sermonem » (l. II, c. XI, n. 10). Quare S. R. C. interrogata: « I. An praenotatis verbis Caerem. *vestibus nigris* etiam stola comprehendatur, ita ut sermocinaturus in laudem defuncti, extra Urbem, stola super veste talari, vel alia dignitati suae competenti, indui debeat? II. An laudata dispositio Caerem. in ecclesiis Cathedralibus tantum, an etiam in aliis omnibus, Episcopo absente, servari debeat? », eadem, die 14 Iunii 1845, n. 2888 respondit: « Ad I: Negative; ad II: In omnibus ecclesiis servandam ».

Ad II. *Utrum liceat apponi effigiem defuncti ad tumulum in ecclesia?*

Resp. Ad dubia: « I. An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, tam praesente, quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago? II. Et quatenus negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus, ubi viget? » S. R. C. die 30 Aprilis 1896, *in Senogallien.* apud Ephem. Liturg. Vol. X, pag. 357, ita censuit: « Negative quoad primam partem; quoad alteram: Curandum ut eliminetur abusus ». Supra tumulum vel feretrum licebit tamen apponere stemmata gentilitia et alia insignia defuncto convenientia (Martinucci Man. Ss. Caerem. l. 4, c. 10, n. 15) et ab Ecclesia non prohibita. Et hic, quamvis ad quaesitum directe non pertineat, opportunum tamen videtur obiter observare, defunctos floribus honorare floribusque eorum cadavera ornare, usum non esse, ut plerique putant, eorum qui sectae, ut aiunt, *massonicae,* nomen dederunt, sed in traditionibus christianorum inveniri, qui antiquitus floribus et aromatibus defunctorum cadavera linita atque circumdata sepeliebant, ut ex rerum scriptoribus colligitur (*V. Moroni,* v. *Cadavere;* Ephem. Liturg. anno VIII, p. 39). Haud mirum igitur quod S. R. C. ad dubium: « Prohibendus ne erit usus contegendi ramis et floribus tumulos, qui eriguntur in ecclesiis occasione funeralium? », eadem, die 16 Iunii 1893 ad VI, n. 3804, rescribendum censuit: « Tolerari posse ». Tantum non decet florum coronis, ecclesiae parietes vestiri atque ornari, cum hoc decorem Domus Dei obfuscet atque deturpet. Quare ad dubium: « An deceat in parietibus ecclesiae vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant? » S. R. C. rescripsit: « Negative », die 22 maii 1896, n. 3909.

Ad III. *Quid dicendum de Iosepho?*

Resp. Ex illis, quae supra diximus, colligitur reprobandum esse morem Iosephi parochi, qui laicos permittit legere in ecclesia funebres orationes atque carmina. Fortiter ac suaviter eiusmodi laicorum immoderatis exigentiis resi-

stere debet, vel si qua iusta sit causa, ad Episcopum accedere pro debitis normis et facultatibus. Nec permittere potest inscriptiones, sine ecclesiastica revisione, nec effigiem defuncti tumulo apponi, etiamsi longa consuetudo sit, ut tot tantique abusus e medio tollantur, qui aperte Ecclesiae legibus et praescriptionibus contradicunt.

Quaestio.

Elpidius sacerdos, cum intersit sacris functionibus in ecclesia cathedrali B., notat Canonicum quemdam, cum rocheto et stola coloris currentis, sacram Synaxim fidelibus administrare : idemque notat alium sacerdotem, expleto Sacrificio pro defunctis in alio altari, a fidelibus de Eucharistia administranda rogatum, altare SS.[mi] Sacramenti adire, et cum paramentis nigri coloris, sacram Synaxim administrare : praeterea, idem Elpidius observat sacerdotem ad altare maius sacra facientem, dum a cantoribus Symbolum canitur, Missam prosequi.

Quaeritur :

1. *Licetne sacram Synaxim cum rocheto administrare?*

2. *Quo colore stola requiritur in administratione SS. Eucharistiae?*

3. *Licetne cum paramentis nigri coloris altare SS. Sacramenti adire et Eucharistiam administrare, expleto in alio altari Sacrificio?*

4. *Licetne Missam prosequi, dum Symbolum cantatur?*

Solutio.

Ad I. *Licetne sacram Synaxim cum rocheto administrare?*

Resp. Superpelliceum et rochetum differunt in eo, quod superpelliceum amplum est, manicas habet admodum am-

plas; rochetum autem minus amplum est et manicas angustas habet.

Superpelliceum, quod et cotta dicitur, est vestis communis omnibus clericis et benedictione indiget: rochetum autem est vestis dignitatis et non indiget benedictione; ideoque in decreto S. R. C. ab Urbano VIII approbato, quod ponitur initio Missalis « prohibetur usus rocheti, exceptis tamen quibus de iure competit; et praeter hoc statuitur et nemini licere inservire, aut assistere in celebratione Missarum, aut divinorum officiorum, cum rocheto, neque cum cotta habente manicas angustas ad instar rocheti: et idem servandum esse in concionibus ». Item, in decreto 10 Ian. 1852, declaratur « tum ad Sacramenta administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram et minores Ordines, necessario superpelliceo utendum » (D. 5165[5]). Haec vestis igitur, ut pariter mozzeta aut cappa, debent omnino haberi ut vestes chorales (D. 3115[1]), quare adhiberi nequeunt pro administratione poenitentiae, baptismatis et Eucharistiae (DD. 2680, 3556, 3784). Ubi autem esset consuetudo contraria, quod Canonici nempe fidelium confessiones excipiant in veste chorali et stola, potest ipsa retineri (S. C. Conc. 2 Iunii 1860). Permittitur usus rocheti et super ipsum amictus illis tantum, quibus spectat, in benedictionibus cum reliquiis et cum SS. Sacramento, ubi non adsint ministri paramentis induti (S. R. C. 20 Mart. 1869 n. 3201[6]). Et ad dubium: « An tolerari possit Canonicos quoscumque, sive in Cathedrali, sive in aliis ecclesiis, iuxta veterem dioeceseos consuetudinem, uti rocheto, mozzeta et stola supra mozzetam, aut cappam, in administratione Sacramentorum, necnon in aliis benedictionibus, processionibus et associationibus funerum? », S. R. C., die 12 Martii 1836, rescripsit: « Negative »; neque potest adduci consuetudo contraria (S. R. C. 23 Martii 1882 n. 3542, 1; 12 Martii 1836, n. 3556). Potest tamen a privilegiatis sub cotta adhiberi (D. 3804[1]). Rochetum itaque nunquam potest adhiberi solum, sed semper cum aliis insignibus personalibus, aut prout dictum est supra; neque adhiberi potest extra propriam ecclesiam,

exceptis casibus, in quibus totum Capitulum adsit aut per privilegium (S. R. C. 17 Martii 1629-12 Iulii 1892, numero 3784, III).

Ad II. *Quo colore stola requiritur in administratione SS, Eucharistiae?*

Resp. In administranda SS. Eucharistia cum superpelliceo (et non cum rocheto, D. 2680); super ipsum superpelliceum (nunquam supra cappam aut mozzetam, D. cit.), sacerdos induere stolam debet aut coloris de officio diei, aut albi (D. 2740[12]), nunquam stolam nigri coloris, ne in die quidem Commemorationis Defunctorum, in quo, quamvis ex novis Rubricis licitum videri possit uti stola nigri coloris, tamen S. R. C. die 19 April. 1912, ad 10, statuit esse adhibendam vel coloris violacei vel albi.

Ad III. *Licetne cum paramentis nigri coloris altare SS. Sacramenti adire et Eucharistiam administrare, expleto in alio altari Sacrificio?*

Resp. In Missa, si distributio S. Communionis fiat immediate ante vel post Missam, ita ut sacerdos ad sacrarium non redeat, et si adsit necessitas, inveterata tolerari potest consuetudo, qua sacerdos, qui ad altare aliquod accedit, vel ab eo recedit, sic sacris vestibus Sacrificii indutus, et prae manibus calicem tenens, ascendat in transitu ad altare, in quo adest tabernaculum SS. Sacramenti, ut ibi Sacram Communionem fidelibus distribuat (S. R. C. 12 Martii 1836, ad II, n, 2740; 19 Ian. 1906, n. 4177 ad III). Ad rem notandum: gravis fuit controversia, an in Missis *de Requie* Communio distribui possit: Sacra autem R. C., decreto generali diei 27 Iunii 1868, decrevit: « posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu, omittendam esse benedictionem », sive scilicet distributio fiat ante, sive post Missam, modo ministretur cum paramentis nigris: an autem omittenda sit antiphona *O sacrum convivium* cum reliquis, decretum

super hoc tacet, adeoque ut alias dicenda videretur, omittendo tamen *Alleluja*, tempore paschali (S. R. C., n.[i] 3465); attamen ex dispositione Rubricae novi Ritualis typici (an. 1913) dicenda omnino est, quia prius habebat: *dicere poterit:* nunc autem absolute: *dicit*.

Ad IV. *Licetne Missam prosequi, dum Symbolum cantatur?*

Resp. Ad dubium S. R. C. propositum: « An sustineri possit consuetudo, quae in multis ecclesiis minoribus Curiensis Dioeceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus, celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad *Offertorium* illudque conficiat, dum a cantoribus Symbolum decantatur? », eadem S. Congr. die 11 Decembr. 1909, respondendum censuit: « Negative et serventur Rubricae et Decreta ». Et ad aliud dubium propositum: « An vi consuetudinis possit Missam prosequi post cantum *Et incarnatus est*, vel omittere cantum *praefationis* et *orationis dominicalis?* », eadem S. Congr. respondit: « Negative in omnibus, non obstante quacumque consuetudine » (D. 3104). Et, in casu, Caerem. Ep. et tria Decreta S. R. C. ita sonant: « Cum dicitur Symbolum in Missa non est alternandum cum organo, sed illud integrum per chorum cantu intelligibili proferatur. Sonus tamen organi cum cantu intermisceri potest, modo Symbolum integre cantetur » (die 10 Mart. 1657, n. 1023; 22 Mart. 1862 n. 3110; 7 Sept. 1869 n. 3108). Nobis autem constat in multis Dioecesibus ad eliminandum eiusmodi abusum, Missam nempe continuandae, dum adhuc cantus Symboli durat, Episcopos contra ministros transgressores poenas canonicas comminasse.

En igitur Elpidio satisfactum cum debitis responsionibus quatuor eius quaesitis, quae responsiones confirmant iustas observationes ab eo factas, dum sacris functionibus in Cathedrali B. intererat.

Quaestio.

In Capella, ubi celebrare solet Aloysius, una tantum planeta adest albi coloris, cum multis tamen floribus varii coloris, nempe rubri, violacei et viridis, in ipsa planeta arte contextis. Hac planeta indutus, absque scrupulo, quotidie celebrat, dictitans in ipsa contineri omnes a sacra liturgia colores praescriptos.

Quaeritur:

1. *Quomodo obligat in conscientia sacrorum paramentorum color?*

2. *Sufficit una tantum pro omnibus coloribus planeta?*

3. *Quid dicendum de Aloysio?*

Ad I. *Quomodo obligat in conscientia sacrorum paramentorum color?*

Resp. Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis officio et Missae diei, secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: *albo, rubeo, viridi, violaceo* et *nigro*. Praeter hos colores ordinarios, praescribitur a Caerem. Ep. alius color nempe *rosaceus* in duabus tantum dominicis, scilicet 3ª Adventus et 4ª Quadragesimae. Rubrica, quoad colorem paramentorum, strictim servanda est (DD. 2675, 2682,[50] 2769, etc.). Quapropter etsi quidam (*Quarti* p. 1, t. 18, n. 6; *Lucius Ferr.* sub vocabulo *Paramenta Sacra*, n. 25-28; *Brassine* p. 1, c. 11, n. 7) censuerint rubricam de coloribus tantum esse directivam, et per se non obligare sub peccato, nunc tamen dicendum est hanc rubricam esse praeceptivam, quia praescribit ritum in actu celebrationis servandum, qui ad ad rubricas praeceptivas pertinet; et in pluribus decretis S. R. C., stricte, ut dictum est, praecipitur servandam esse rubricam quoad colorem paramentorum (19 Dec. 1829; 12 Nov. 1831; *S. Alph.* l. 6, n. 378 dub. 5). Communiter tamen

dicitur hanc rubricam de coloribus non obligare sub gravi, nisi ob grave scandalum, ut si quis, die Paschatis, in publica ecclesia celebraret cum paramentis nigris. Quaelibet igitur causa rationalis, ab adhibendo colore diei, excusare potest, puta necessitas ecclesiae, concursus sacerdotum, quibus vestes debiti coloris non sufficiunt, magna solemnitas, qua fit, ut in ecclesiis minus copiosis uti liceat paramentis pretiosioribus, ex tela aurea. Si vel sola crux casulae sit coloris officio conformis, vide infra.

Ad II. *Sufficit una tantum pro omnibus coloribus planeta?*

Resp. Paramenta celebrantis unius tantum coloris esse debent; vel si non unius sint coloris, cum ornamenta aurea et flores ex usu universali in paramentis ubique recipiantur unus saltem color ita praedominetur, ut paramenta dici possint unius potius quam alterius coloris, et conspectum alterius coloris aeque principaliter eadem prae se non ferant: cum enim rubricae uni festo specialem tribuant colorem, profecto excludunt alium (S. R. C. 19 Dec. 1829; 12 Nov. 1831; 7 Apr. 1832). In decretis S. R. C. (2769, d. v.[2]) declaratur non posse continuari usum illarum ecclesiarum, quae utuntur pro colore albo, rubeo, viridi et violaceo paramentis mixtis diversi coloris floribus, quamvis colores, a rubrica praescripti, in floribus reperiantur: fit tamen potestas Episcopo oratori indulgendi, ut in ecclesiis pauperibus permittat illis uti donec consumantur.

Contra rubricam igitur agit, qui casula alba cum cruce rubea, et vice versa rubea cum cruce alba utitur pro colore albo aut rubeo, vel utroque. Paramenta portantia omnes colores a S. Liturgia praescriptos, iuxta recens decretum S. R. C. (2682), haud amplius admissa sunt.

Ad rem notandum: paramenta flavi coloris, etiam ex tela serica confecta, uti interdicta retinenda sunt (DD. 2682[50], 2769 etc.). In paramentis nigris, imagines mortuorum vel albae cruces poni nequeunt (Caer. Episc. l. 2, c. 11, n. 1). Color auri prorsus adhiberi nequit (2986[5]); colorem caeruleum S. R. C. proscriptum censuit (DD. 2704[4] - 2778[2]):

paramenta ex tela aurea contexta, *ratione pretiositatis*, pro tribus coloribus festivis, idest albo, rubeo et viridi tolerari possunt (D. 3145). Sed tenuissima tela ex argento confecta (vulgo *teletta d'argento*) pro paramentis tantum albi coloris permissa censetur (D. 3646[3]). In praesenti autem disciplina liturgica saepe saepius evenit ut Missae in dominicis infra annum, quandoque etiam in Missa feriali, celebrari debeant cum casula viridis coloris. Quo in casu oportet ut omnium oratoriorum, sive illa sint publica sive privata, necnon ecclesiarum Rectores sibi casulas dicti coloris procurent.

Si alicuius ecclesiae Rector casula desit memorati coloris, ad modum actus et donec eam quamprimum provideat, casulam adhibere potest *ex auro contexta* vel *ex tela aurea*, qua uti supra diximus, pro omnibus coloribus uti licet, excluso nigro et violaceo: ita ex decretis 5 Dec. 1868 et 20 Nov. 1885. Quid dicendum autem si alicuius ecclesiae Rector casula etiam careat, vel aliter haberi non possit, *ex auro* nempe *contexta* vel *ex tela aurea*? Ut nobis videtur, usquedum eam non comparet, quin S. Sacrificium omittatur, ad scandalum vitandum (*S. Aph.* l. 6, n. 378), Missam celebrare debebit cum colore albo: I, quia in dominicis in anno occurrentibus recitatur *Te Deum* in officio et *Gloria* necnon *Ite, missa est* in Missa, quae locum non habent in diebus poenitentiae destinatis; II. quia Officium et Missa in dominicis ad SS. Trinitatis honorem praestandum (cuius recitatur *Praefatio*) praecipue sunt ordinata, et in Missa huius Mysterii adhibetur planeta albi coloris. Excluduntur absolute colores rubeus et violaceus, quippe qui tantum congruunt cum Martyribus et temporibus vigiliae et ieiunio dicatis. Cum autem de Missa in cantu agatur, iuxta aliquos, si omnia paramenta viridis coloris pro celebrante et ministris desint, Missa solemnis cantari haud potest cum altero qui non sit color viridis; ratio est, quia Missa solemnis est ad pompam, non ad necessitatem; sed nos non assentimur, quia v. gr. sola consuetudo canendi Missam solemniter excusaret, donec ecclesia provideatur.

Ad. III. *Quid dicendum de Aloysio?*

Resp. Aloysius igitur falso iudicat sibi licitum putans quotidie et ad modum habitus celebrare cum unica casula multis floribus varii coloris arte contextis. Neque culpa vacare potest, prout magis vel minus facile ei sit aliam casulam procurare et iustae vel futiles causae eum inducant ad sacra facienda in illa Capella. Ex modo enim eius agendi, ut in casu, clare patet Aloysium flocci facere Ecclesiae decreta, *dictitans* quod contrarium est eius praescriptionibus, nullamque curam adhibens ut sibi casulas convenientis coloris procuret.

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

Oratio ad populos Christianos Orientis cum Ecclesia Romana iungendos indulgentiis ditatur.

BENEDICTUS PP. XV.

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum Catholicae Ecclesiae veritas unitate imprimis eluceat, nihil est magis exoptandum, quam ut homines, ab huius Matris complexu infeliciter abrepti, ad eam tandem, mutatis mentibus voluntatibusque, revertantur. Quae quidem desideria ac vota Romani Pontifices, Decessores Nostri, nunquam concipere destiterunt et, quod potissimum ad Orientis schisma pertinet, omni tempore, sive Conciliorum auctoritate, sive paternis hortationibus, sive etiam opera precationibus data, pro viribus conati sunt, ut tam multae ac nobiles Christianorum gentes antiquam fidem, a qua misere desciverunt, denuo et corde uno et anima una profiterentur. Preces igitur, quas subiicimus, quaeque eo spectant, ut Christiani ex Oriente populi unum cum Romana Ecclesia ovile iterum constituant, et ab uno regantur Pastore, libenti qui-

dem animo ratas habemus, et auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Inquisitoribus Generalibus, ea caelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensatores Nos Altissimus delegit, summa voluntate locupletamus. Quare omnibus ex utroque sexus fidelibus, qui ubique terrarum insequentes preces quolibet idiomate, dummodo ad verbum sint expressae, per mensem quotidie recitaverint, atque uno ipsius mensis, ad suum cuiusque arbitrium eligendo, die, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel aliquam Ecclesiam, vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Nostram oraverint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus ac largimur. Iis vero fidelibus, qui, corde saltem contrito, quovis die easdem preces fuderint, trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poeninentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse misericorditer indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Denique, ne quid postea immutationis vel erroris in subiectis precibus irrepat, earum exemplar in tabulario Brevium Apostolicorum asservari iubemus.

Preghiera per l'unione dei Cristiani d'Oriente alla Chiesa Romana.

« O Signore, che avete unito le diverse nazioni nella con-
« fessione del Vostro Nome, Vi preghiamo per i popoli Cristiani
« dell'Oriente. Memori del posto eminente che hanno tenuto

« nella Vostra Chiesa, Vi supplichiamo d'ispirar loro il desiderio « di riprenderlo, per formare con noi un solo ovile sotto la « guida di un medesimo Pastore. Fate che essi insieme con noi « si compenetrino degl'insegnamenti dei loro santi Dottori, che « sono anche nostri Padri nella Fede. Preservateci da ogni « fallo che potrebbe allontanarli da noi. Che lo spirito di con« cordia e di carità, che è indizio della Vostra presenza tra i « fedeli, affretti il giorno in cui le nostre si uniscano alle loro « preghiere, affinchè ogni popolo ed ogni lingua riconosca e « glorifichi il nostro Signore Gesù Cristo, Vostro Figlio. « Così sia ».

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV aprilis anno MCMXVI, Pontificatus Nostris secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

L. ✠ S.

II.

Oratio quaedam ad S. Petrum Apostolorum Principem indulgentia ditatur.

BENEDICTUS PP. XV.

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum divinus Redemptor noster universae Ecclesiae, quam pretioso suo sanguine fundavit, primum Pontificem ac Rectorem B. Petrum instituerit, nihil antiquius esse ducimus, quam ut fideles auxilium eiusdem Apostolorum Principis implorent. Opportunum est enim, sive ad fidem integre servandam, sive ad Sanctam Matrem Ecclesiam constanti veneratione et amore prosequendam, illius opem impetrare, qui et Christum Filium Dei vivi ardenti animo confessus est, et ipsius Ecclesiae petra ac fundamentum constitutum fuit. Preces igitur, quae subiiciuntur, propensa voluntate excepimus, easque caelestibus thesauris, quorum custodiam Nobis Altis-

simus divinitus commisit, libentes locupletamus. Quare de consilio etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Inquisitorum Generalium, omnibus ac singulis ex utroque sexu Christifidelibus, qui corde saltem contriti infra descriptam precationem quolibet idiomate, dummodo ea sit ad verbum expressa, ubique terrarum recitaverint, trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Praeterea ne quid in posterum immutationis vel erroris in easdem preces inducatur, earum exemplar in tabulario Brevium Apostolicorum asservari iubemus.

Preghiera all'Apostolo San Pietro, primo Papa.

« O glorioso S. Pietro, che in premio della vostra fede viva « e generosa, della vostra profonda e sincera umiltà, del vostro « ardente amore foste da Gesù Cristo contraddistinto coi pri« vilegi più singolari e specialmente col principato su tutti gli « Apostoli, col primato su tutta la Chiesa, della quale foste « pure costituito pietra e fondamento, otteneteci la grazia di « una fede viva, che non abbia timore di palesarsi apertamente « nella sua integrità e nelle sue manifestazioni, e dare all'oc« correnza anche il sangue e la vita anzichè venir meno giam« mai. Impetrateci vero attaccamento alla nostra Santá Madre « Chiesa, fate che ci teniamo sinceramente e sempre stretta« mente uniti al Romano Pontefice, l'erede della vostra fede « della vostra autorità, unico vero Capo visibile della Chiesa « Cattolica, che è quell'arca misteriosa fuori della quale non v'è « salvezza, Fate che noi ne seguiamo docili e sottomessi gli « ammaestramenti ed i consigli, e ne osserviamo tutti i pre« cetti, affine di potere qui in terra aver pace sicura e tran« quilla, e giungere un giorno alla eterna felicità in Cielo. « Così sia ».

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVII aprilis MCMXVI, Pontificatus Nostri anno secundo.

P. Card. Gasparri, *a Secretis Status*.

L. ✠ S.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

I.

DECRETUM

Circa imagines exhibentes Beatissimam Virginem Mariam indutam vestibus sacerdotalibus.

Cum recentioribus praesertim temporibus pingi atque diffundi coepissent imagines exhibentes Beatissimam Virginem Mariam indutam vestibus sacerdotalibus, E.mi ac R.mi DD. Cardinales Inquisitores Generales, re diligenter perpensa, fer. IV, die 15 ianuarii 1913, decreverunt: « imaginem B. M. Virginis vestibus sacerdotalibus indutae esse reprobandam ».

Feria vero IV, die 29 martii 1916, huiusmodi Decretum publicandum mandarunt.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 8 aprilis 1916.

ALOISIUS CASTELLANO, S. R. et U. I. *Notarius*.

L. ✠ S.

II.

DECRETUM.

Declaratur dubium circa indulgentiam Christianae salutationis: « Laudetur Iesus Christus ».

Andreas archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum Supremae S. Congregationi S. Officii sequens proposuit dubium: « Christiana salutatio *Laudetur Iesus* « *Christus* habet, praeter indulgentias tempore vitae, « etiam indulgentiam plenariam hora mortis, si is, qui « consuevit salutationem hanc in vita usurpare, in hora « mortis SS. Nomen Iesu saltem corde, si non potest

« ore, invocaverit. Quaeritur igitur, num ad istam in-« dulgentiam in hora mortis lucrandam, etiam tam-« quam conditio pertineat, ut moribundus mortem « tanquam peccati stipendium de manu Domini pa-« tienter sustineat ? ».

E.mi DD. Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 12 aprilis 1916, responderunt : « Obser-« ventur opera praescripta, prout descripta inveniun-« tur in *Raccolta di orazioni*, etc., a S. Congr. Indul-« gentiarum approbata die 23 iulii 1898, eodem anno « edita, pag. 54, n. 36 ».

Et feria V, die 13 aprilis 1916, Ss.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, supra relatam dubii solutionem E.morum Patrum ratam habuit et confirmavit.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius*.

L. ✠ S.

D. Pasqualigo, O. P., *Comm. Gen. S. O.*

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Die 22 Martii 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus in quo Rev. Marcus Pala, *Alumnus Seminarii Vaticani, quaestionem enodavit*

De privilegio Missam binandi quibusdam in festis.

Post Censorum animadversiones R. D. Alphonsus Carinci *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Sabinus, qui duas paroecias regit, legens in litteris pontificiis, tum Pii VII, tum Pii IX, tum Pii X, qui festa feriata nonnulla abrogarunt, quod fideles sint adhortandi, ut pro posse in diebus festis suppressis Missam audiant, privilegio binationis uti intendit etiam in Solemnitate s. Ioseph, in festo ss. Corporis Christi et in Nativitate b. Mariae Virginis, in commodum alterius paroeciae quam ut oeconomus administrat; eo vel magis, quia a populo adhuc voluntarie recolantur, cum adprobatione Episcopi, non tantum cum Missae auditione, sed etiam cum abstinentia ab operibus servilibus; ideoque, si ipse celebrare iis diebus detrectet, emolumentum oeconomo debitum integre non solvant paroeciani; ideo quaerit:

1. *Quid revera disponant citati Pontifices, circa modum recolendi dies festos suppressos?*

2. *Num in solemnitate s. Ioseph, et festis ss. Corporis Christi ac Nativitatis b. Mariae, ob rationem a Sabino adductam, ipse possit uti privilegio binationis?*

3. *Utrum pro ista binatione aliquid accipere valeat?*

Solutio.

Ad I. Notum est quod Urbanus viij, decreto 11 sept. 1642, numerum festorum, quae cum feriatione celebrandae erant, reduxit; ita ut omnes Dominicae dies et alia 38 festa ex antiquis feriatis diebus ubique terrarum recolerentur; disponens insuper, ut si alicubi plures essent Patroni Principales, de uno tantum, nempe de principaliori, festivitas cum feriatione ageretur.

Clemens xj postea decreto 6 dec. 1708 illis feriatis diebus adiunxit Festum Conceptionis Deiparae. Cum autem pluries Reges et Principes rogare coepissent ut Apostolica Sedes nonnulla alia festa supprimeret, Summi Pontifices huiusmodi supplicationibus fecerunt satis, pro temporum et locorum adiunctis.

Benedictus quidem xiv, rogatus quoque fuerat ut et ipse numerum festorum de praecepto imminueret, at ille, per suam bullam 14 nov. 1748 definivit, quod pro universa Ecclesia nil esset innovandum, licet particulares preces pro aliquibus locis excipiens, nonnulla festa et ipse suppresserit.

Pius autem vij, post magnam illam rerum eversionem in Gallia exortam, et postquam novus imperator Napoleo religionem Catholicam restituisset in suo imperio, Concordatum cum ipso inire non dubitavit, in bonum animarum, in quo, inter alia sacrificia, concessit ut in eodem imperio, quatuor tantum festa de praecepto haberentur, nempe: Nativitas Domini, Ascensio, Assumptio B. M. V. et solemnitas Omnium Sanctorum.

Item Pius ix, pro regno Pedemontano nonnulla festa suppressit, ut taceamus de aliis reductionibus in locis diversis.

Nostris tandem temporibus Pius x. suo decreto *Motu proprio* dato die 2 iulii 1911, pro universa Ecclesia octo tantummodo festa feriata retinuit, uti omnes norunt.

Notandum tamen est, quod Summi Pontifices, indulgendo ut fideles non amplius adstricti essent ad audiendum Sacrum et ad abstinendum ab operibus servilibus in festis diebus suppressis, quod fecerunt in commodum populorum, noluerunt tamen quod festa ipsa, quoad functiones liturgicas, aliquid deperderent.

Citatus Benedictus xiv expresse in Brevi, quo nonnulla festa abrogavit pro regno Poloniae, declaravit: « Non intendimus aliquid innovari, tam quoad servitium chori, quam quoad celebrationem divinorum officiorum ». Similiter Pius vij, per suum Legatum Card. Caprara, « eam tamen legem esse voluit ut in festis diebus vigiliisque eos praecedentibus, quae suppressa decernuntur, in omnibus ecclesiis nil de consueto divinorum officiorum sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia peragantur qua hactenus consueverunt ». Pariter Pius IX in indulto pro regno Pedemontano, 6 sept. 1853, aperte edixit: « ex hac vero de dierum festorum imminutione nihil innovatum volumus circa sacram liturgiam in ecclesiis servandam ». Hoc de oneribus Cleri. Quod autem attinet ad fideles, Pontifices suadebant eis ne omitterent auditionem Missae, eo vel magis, quia Parochi, etiam in diebus festis suppressis, applicare tenebantur sanctum Sacrificium.

Ad rem S. C. Concilii, die 3 maii 1912, declaravit quod Pius x, non obstante citato suo *Motu proprio*, « vult... ut iidem dies suppressi in sacris templis celebrentur non minori quam antea, solemnitate, et si fieri potest, eadem populi frequentia ». Ac paulo inferius: « Praecipit itaque... omnibus et singulis animarum curam gerentibus ut ipsi... ne cessent eos hortari vehementer ut iis etiam diebus pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda Sacra, aliaque pia exercitia peragenda ».

Nil dicimus de obligatione quam habent adhuc Parochi, applicandi sacrificium Missae pro populo, ut patet ex plurimis S. Sedis decretis, ac praesertim ex illo quod emanavit S. Congregatio Concilii die 8 augusti 1911.

Ad II. Si ergo festa suppressa adhuc a Clero celebranda sunt quoad ritum et externam solemnitatem, sicut antea, ut decrevit eadem Congregatio in citato decreto, si pastores animarum tenentur eodem modo celebrare Missam pro populo, illamque pro eo applicare, si invitare debent fideles suos ad frequentandam ecclesiam iis diebus ut antea, facile ortum est dubium in animo nostri Sabini, an possit binare diebus suppressis, ut populus alterius paroeciae cui inservit tamquam oeconomus, Missam audire queat in casu. Si enim populus huiusce paroeciae vacantis, desiderat obtemperare desiderio Summi Pontificis, pergitque ad suam ecclesiam iis diebus Missam auditurus, videtur quod oeconomus voto populi sui satisfacere debeat.

Attamen, cum Ecclesia non admittat binationem nisi in casu *verae necessitatis*, ut praeceptum adimplere possit populus christianus, liquet quod Sabinus ex communi sententia nequeat binare in diebus festis suppressis. Igitur licet cum solemnitate celebrentur festa Corporis Christi, Nativitatis Mariae Virg., et S. Ioseph in paroeciis Sabini nihilominus unam tantum Missam ipse celebrare potest.

Quod si populus revera desiderat cum feriatione festa illa adhuc servare, sicut et servat, postulationem offerat ad suum Episcopum, ut iis festivitatibus restituatur praeceptum, prout Sancta Sedes, aliquibus locis concessit; licet enim de facto populus cum abstinentia ab operibus servilibus, et Missae auditione festivitatem servet, hoc ex sua devotione facit, quae onus pro Parocho in casu non importat (1).

Alias S. Congregatio negaverat facultatem binandi in diebus festis suppressis, et maxime die 28 sept. 1837. Ratio

(1) Non omnes tamen Censores fuerunt in hac sententia, ne exceptiones nimium succrescant, praesertim circa novas leges.

ergo a Sabino adducta, quia scilicet timet quod Civile Gubernium illi neget stipendium, iis diebus, licet revera subsisteret, non ea est quae severitatem in lege binationis Missae imminuere possit (1).

Ad III. Dato et non concesso quod Sabinus binare posset in diebus festis suppressis, procul dubio eleemosynam accipere posset a Gubernio in casu; non ratione applicationis, sed ratione curae animarum, et maioris laboris prout declaravit S. Congregatio Concilii in *Treviren.* 23 martii 1861; civile enim Gubernium oeconomis spiritualibus non subministrat praecise eleemosynam pro applicatione Missae in festis, sed iis concedit statutum emolumentum, tempore vacationis, pro curis omnibus quas gerere debet et solet parochus. Igitur concludendo, dicendum est, quod Sabinus videat an alium Sacerdotem in proximam paroeciam, cui uti oeconomus inservit, mittere possit, pro satisfaciendo pio desiderio illius populi; alioquin, usque dum S. Sedes non mitiget legem circa Missae binationem, cum aliis piis exercitiis, cum sermonibus sacris, vesperarum decantatione, et cum processione votis populi sui indulgeat.

(1) Notavit aliquis ex Censoribus, S. Congregationem de Sacramentis, quoad festa nuperrime suppressa, nunc libenter dispensationem concedere, prout sibi constabat pro dioecesi Anagnina.

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis sandaliis eorumque ornamentis

(Continuatio, V. n. 5 curr. anni, pagg. 270-275)

§ 2.

De significatione lilii aut trifolii, quod plures crucem putarunt.

Quae de mystica sandaliorum eorumque ornamentorum significatione in genere, exposuimus, plana sunt atque manifesta. Sed res non ita se habet, cum agitur de signo, seu ornamento interpretando, quod plures crucem putarunt. Post accuratissimas investigationes, quas superius indicavimus, a tot viris in re Archaeologica peritis institutas, nullum superest dubium, quod illud signum, *lilium* ant forsan rectius *trifolium* exprimat. De huiusmodi ornamenti significatione, prout in pontificiis sandaliis adhibitum reperitur, Scriptores omnino silent; sed de eo non infrequenter disserunt, cum illud sub ratione symboli in antiquis nummis expressi considerant, vel sub ratione ornamenti vestium sacerdotalium. Nos quoque, si volumus veriorem significationem et sensum assequi, quem probabilius Pontifices intenderunt in illius ornamenti usu, praefatos Scriptores sequi debemus, et *lilium* sive *trifolium* sub duplici aspectu, tum symboli, tum ornamenti sacerdotalis, respicere debemus.

Utrumque signum, *lilium* nempe et *trifolium*, sub symboli ratione consideratum, *Spem* significare, plures docuerunt. Si varietas ornamentorum, quibus pontificia sandalia nitent, inspicitur, dificile erit determinare, an de lilio unius aut alterius speciei, candido aut rubro; an de foliis unius

aut alterius herbae agatur: haec eadem varietas occurrit in symbolis, in antiquis numismatibus expressis; varietas interpretationi non officit, et non obstante varietate, significatio non mutatur. Balduinus circa cuiusdam Antonii Augustini sententiam, bene notat quod, etiamsi herba trium foliorum, seu illud primum germen, quod iacto grani semine nascitur, in illis ornamentis esset recognoscendum, verum semper est, de eo veteres dicere usus fuisse: *Spes adhuc in gramine est*. Et ut liber suus cuique sensus sit, ex veteribus nummis duo exhibet exemplaria, quorum alterum *lilium* et alterum *trifolium* impressum habet, et utrumque inscriptionem refert: *Spes publica*, vel *Spes Populi Romani* (1).

Certum porro est scriptores gentiles in utroque signo communiter *Spei* symbolum intellexisse, et utrumque ad *spem* significandam adhibuisse.

Ad cuius rei cognitionem revocare praestat Romanos *Spem* veluti Deam veneratos fuisse. Praeter duas aedes eidem sacratas in urbe Roma, quarum altera in foro Olitorio in VII regione, et altera prope Tiberim extabat, aliae quoque non uno in loco habebantur; repraesentabatur autem manu dextera promiscue lilium aut trifolium ferens (2).

Quam suam divinitatem romani Imperatores, non semel aut iterum, sed pluries in suis numismatibus imprimi iusserunt. Tractatus manuales hac super re ad quinquaginta circiter romanorum Imperatorum numismata recensent *Spei* publicae symbolum exprimentia (3). Quoad lilium speciatim spectat, celebris ac nota est illa Poetae ad Marcellum acclamatio: « Spes unica nostri; — Tu Marcellus eris, manibus

(1) BALDUINUS, *De Calceo antiquo*, cap. 35, Amstelodami 1667, pag. 337.

(2) ROSINUS, *Antiquitatum Romanarum corpus absolutissimum*, l. II, cap. 18, Geneve 1632, pag. 237. — Sed de *Spei* divinitate videsis plura in recentionibus mytologiae lexicis ad verbum: *spes*, uti: ROSCHER *Lexicon D. Greech, U. Rom. Mytologie* Leipzig 1913, T. IV, 1295 et ss.; DARAMBERG ET SAGLIO etc.

(3) GNECCHI, *Monete Romane*, 3ª ediz., Milano, 1907, p. 290 et ss.

date lilia plenis » (1). Sed quid pagani in his symbolis legerint non nimis nostra interest: quod maxime ad nos spectat, est quid ecclesiastici scriptores intellexerint. Id porro ex eorum operibus clare eruitur.

Sancti Patres aliique scriptores satis clare indicant, lilium hyacinthinum, sive spectatum in se, sive spectatum in tribus foliis primigeniis mystice significare spem aeternae beatitudinis.

In Ezechiele Propheta Deus populo israelitico beneficia exprobraverat, quae ei effusa manu contulerat: inter alia, hoc etiam recenset: *Calceavi te hyacintho* (2). S. Hieronymus hunc locum commentario illustrans, revocat populo israelitico, Pascha celebraturo, praceptum fuisse, ut accinctis lumbis et pedibus calceatis illud perageret; deinde prosequitur S. Doctor: « Ista sunt calceamenta de quibus Apostolus scribit: *Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.* Philo, vir doctissimus Iudaeorum, *hiacinthon* in vestibus pontificis aëri comparat, per quem superna atque coelestia significari arbitratur. Nec prius Hierusalem calceatur *hyacinthinis,* nisi lavetur aqua. Unde et Apostolorum, quibus prius praeceperat Dominus, ut executerent pedum suorum pulverem, lavantur a Salvatore pedes » etc. (3).

Super his igitur ita argui potest: Si populus ille, cui *omnia in figuris contingebant;* qui erat umbra futurorum, a Deo *hyacinthis* mystice calceatus fuerat, quam potiori ratione in Ecclesia Summus Pontifex calceamenta sua hyacinthis ornare congruens putare potuit, ad innumera illa coelestia beneficia recolenda, quae sibi a divina largitae donata fuerunt?

Cum Deus summo Sacerdoti Aaron vestem in gloriam et decorem faciendam statuisset, intextam voluit auro et *hyacintho* (4). Hyacinthi significationem aperte exhibet S. Gre-

(1) BALDUINUS, l. c., pag. 338.

(2) Ezech. 16, 19.

(3) S. HIERONYMUS, in Ezech., cap. 16, 10. Migne, P. L. XXV, pag. 132.

(4) Ex. 28, 2-8.

goris M., dicens: « Quid per hyacinthum, nisi spes coelestium? » (1).

Idem S. Doctor in sua *Regula Pastorali* rationem indicans varietatum colorum in sacerdotali veste splendescentium, scribit varietatem colorum ideo a Deo praescriptam « ut quanto sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat demonstretur » (2). Docet deinde in auro, intellectus sapientiae principaliter significari, « cui hyacinthus, qui aureo colore resplendet, adiungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem coelestium surgat » (3). Quibus mire consonat S. Ivo Episcopus Carnotensis, scribens quod Pontifex tunica *hyacinthina* « cuius color caeli serenitatem imitatur, vestitur, ut per hoc intelligatur, quod Pontifex plus debet de coelestibus cogitare quam de terrenis » (4).

Etiamsi allatae auctoritates tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus, intelligendae forent non de lilio hyacinthino, sed de lapide pretioso eiusdem nominis; id quoad nos nihil refert: nam praeterquam quod utrique eadem est nomenclatura, utrique idem est et color, immo lapidi idem nomen videtur inditum, eo quod colore florem repraesentat (5).

Itaque calceatus hyacintho per expressam nobis imaginem exhibet animi, qui praepetibus spei subvectus alis, rapitur, ut loquitur S. Hieronymus, in occursum Domini in aëre, et ad coelestia regna festinat (6). Qua posita lilii

(1) S. Gregorius Mag., *Moralium* Lib. XXX, cap. VI, in cap. XXXVIII Iob. Migne, P. L. LXXVI, 537.

(2) S. Gregorius, *Regula Pastoralis*, part. II, cap. III, Migne, P. L. LXXVII, 29.

(3) Id. ib.

(4) Ivo Carnutensis, *Sermo de significatione indum. sacerd*; apud Hittorpium, Parisiis 1624, pag. 779.

(5) Balduinus, l. c., pag. 336. Hoc idem innuitur a clarioribus S. Scripturae interpretibus. Cfr. A Lapide in Ex. cap. 28, 2-8, in Ezech. cap. 16, 10, in Apocal. cap. 21, 20.

(6) S. Hieronymus *in Ezechiel.*, cap. XVI, v. 10. Migne XXV, 133.

hyacinthini significatione, nemo est, qui non videat, quanta congruentia eisdem liliis Pontificum calceamenta ornata fuerint.

Pontifices vero de facto liliis vel similibus floribus sandalia ornasse, confirmari videtur ex descriptione vestium in sepulchro Adriani IV (1154–1159) repertarum. Calceamenta dicuntur confecta ex corio turcico et ad flores margaritis exornata (1). Id procul dubio bene et congruenter explicat varia Pontificum calceamentorum ornamenta.

Si vero quis in praefatis ornamentis nonnisi lilium album videre vellet, et interpretandum esse existimaret, iuxta illud: *Ego flos campi et lilium convallium* (2), nos ei libenter assentiemus, et tunc eius significatio non longe aberraret a significatione Crucis postea adhibita. Per illud enim lilium, infinnita puritate candidum, et passione ac morte rubicundum, Christus significari omnes facile fatebuntur. Sed nobis properandum est ad Crucis significationem, in sandaliis Pontificum expressae, explanandam.

§ 3.

De mystica crucis significatione in R. Pontificis sandaliis expressae.

Non in facto incerto et varie admisso versamur; sed de interpretatione agitur signi, cuius usus a pluribus saeculis est certo invectus et nunc usque religiose custoditur. Sicuti de facto certo et constanti agitur, facti quoque significatio, ut pariter certa et constans sit necesse est.

Huiusmodi itaque crucis sensus et significatio est: *Quidquid honoris et venerationis in osculatione pedum Romano Pontificis praestatur, hoc in Christum Redemptorem omnium esse referendum, cuius vices in terris Pontifex gerit.*

Christum Dominum terminum constituere, ad quem tota ordinatur veneratio seu adoratio R. Pontifici exhibita, hic

(1) Dionisi, *Cryptae Vaticanae*, Tab. XLVIII, pag. 124.

(2) Cant. 2, 1.

illicque innuimus, et maxime in articulo primo demonstravimus. Sed summi Pontifices voluerunt, ut id fieret apertum et manifestum; propter quod crucem in sandaliis expressam deferunt, ut omnes intelligant honorem non proprie eorum personae, sed Christo, qui per crucem nos redemit, ultimo exhiberi.

In ipso Caeremoniali S. R. E. cum osculum pedis R. Pontifici cxhibendum statuitur, indicatur quoque, uti iam monuimus, id faciendum *in honorem Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius ipse in terris vices gerit* (1).

Quem adorationis terminum per Crucem significatum, Scriptores variis illustrant congruentiis. Iosephus Stephanus Valentini, rationes quasdam exhibens, quibus huiusmodi crucis declaratur usus, scribit: « Cuius rei duplex est caput: Alterum populorum reverentia, alterum Pontificum persona ». Quoad primum habet: « In primis Pontificum humilitas atque demissio, hac una in re maxime commendari debet, qui cum omnes populos communi voto, ut docuimus, ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, cruci Christi osculationem potius, quam sibi ipsi, tantum honorem deferri maluerunt, ut omnes christianos benigne ad oscula pedum exciperent. Itaque, ut expressam Christi imaginem referrent, et Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, crucem sandaliis affixerunt, ut christiani homines eos honores, quos debitos et necessarios Pontifici deferebant, cruce perspecta, alacrius exhiberent. Merito igitur Pontifex maximus gentes, quas ad ipsius pedes recumbere videbat, ad crucem Domini, quam sandaliis impressit, osculandam traduxit; cum in totius Ecclesiae more, teste Nicephoro, lib. 17, cap. 15, sit positum, non solum crucem venerationis causa osculis petere, sed etiam Christi et Sanctorum imagines capitibus et faciebus admovere » (2).

Quoad alterum scribit: « Romani Pontifices expressam

(1) *Sacr. Caeremon. S. R. C.*, L. III, sect. I, cap. III.

(2) Valentini, *De osculatione pedum R. Pontificis*, Romae 1588, pag. 149.

apostolici muneris imaginem praetulerunt et praeferunt, qui, cum docendi universum orbem curam acceperint, et evangelizandi potestatem; pedum quoque pulchritudine ornati sunt ad pacem et Evangelium deferendum, ut mundi et perfecti, crucis virtute in toto orbe decurrerent », et gentes ad quas talibus ornamentis insignes accederent, non solum « gratiam in nuncio atque Evangelio esse arbitrarentur, verum etiam totos pulchros ac speciosos agnoscerent, ad quorum usque pedes Spiritus Sancti virtus, crucisque gratia decurrisset » (1).

Praeterea: Omnium christianorum frons et pectus cruce Christi signatur, ne fidem erubescant, et per crucis trophaeum de diabolo triumphum reportent: « Romani vero Pontifices pedibus imprimitur, ut crucis virtute fultus, gressus nostros in viam pacis ducat ac muniat. Qui cum totius gregis christiani ductor ac praeceptor sit, oportebat quidem, ne pedibus aliquo incurreret, aut laberetur, ne temere ipse, dux omnium, lapsus, populum Dei in gravissimos errores praecipitem ageret. Quare ut Pontifex hoc sacrosanctum privilegium cruce Christi, in qua omnia mysteria, et sacramenta omnia continentur, sibi donatum ostenderet, pedes suos Christi cruce fulcivit; ne ipse qui nobis viam monstrat, et nos qui eius vestigia sequamur, aliquam aberrationem haberemus » (2).

Insuper, cum omnia quae ad salutem spectant et salutem operantur, habeant firmitatem, « non abs re Pontifices, ut hanc mysticam intelligentiam significare viderentur, crucem pedibus impresserunt, iuxta illud Psalmi: *Ut intingatur pes tuus in sanguine lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (3). Tunc enim pedes sanguine tinguntur cum cruce Christi sanguine decorantur, tunc linguae canum ipsomet sanguine imbuuntur, cum haeretici more canum, vestigiis

(1) Valentini, l. c., pag. 151.
(2) Valentini, l. c., pag. 152-153.
(3) Psalm. 67, 24.

summi Sacerdotis obvoluti pedes lambunt, veniam postulant, misericordiam exorant, et sandaliis impressam crucem osculantur » (1).

Ecclesiastici Scriptores, qui hac de re pertractant, allatas mysticas considerationes plus minusve repetunt et proponunt (2).

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) VALENTINI, l. c., pag. 134.

(2) ROCCA, *De S. Gregorio eiusque parentum imaginibus*. Opera Omnia. Romae, 1719, T. II, pag. 375. — BALDUINUS, *De Calceo antiquo*, cap. 27, pag. 264. — MARINGOLA, *Antiquitatum christianarum institutiones*, Neapoli, 1862, Tom. I, pag. 62.

Quaestiones Liturgicae.

Utrum Episcopi et Cardinales possint deferre Crucem pectoralem non tantum super Mozzetam vel Mantelletum, sed etiam super Cappam.

1. Fere omnes scriptores, qui de Cruce pectorali episcoporum egerunt, excepto Card. Bona, originem ducunt huiusmodi consuetudinis, ab antiquo usu fidelium gestandi Crucem in pectore. Confer Moroni (*Dizion. ad vocem*), et Rinaldi-Bucci olim Caeremoniarum Apostolicarum Magistrum (*De Insign. Episcop.* Ratisbonae, Pustet 1891).

Attamen ex iis quae infra referre curabimus tum ex Innocentio iij, tum ex Durando, aliter est dicendum. Quidquid sit de antiquo usu deferendi Crucem in pectore, subtus vel supra vestimenta, a fidelibus, nostris etiam temporibus, nonnullae sanctimoniales et aliqui Regulares, Crucem gestant, vel metallicam, vel ligneam, vel osseam, quae nullam habet relationem cum Cruce pectorali Episcoporum.

Licet ergo in nonnullis monumentis ante saeculum xj appareat Crux aliqua pendens in pectore, ut in sepulcro s. Orestis martyris (Moroni l. c.), vel Scriptores, ut s. Gregorius turonensis, aliique (Rinaldi l. c.) loquantur de imaginibus cum Cruce in pectore; nihilominus, ut optime probat Card. Bona (*Rer. liturg.* XXIV, x), de Cruce pectorali Episcoporum tamquam eorum dignitatis insigni, silent omnino Alcuinus, Amalarius, Strabo; imo aperte idem celeberrimus liturgista, loquens de Encolpion graecorum, et maxime de eo, quod, teste Baronio, Imperator imposuit super collum Eliae vicarii Hierosolymitani, ait: « Ego autem non video quomodo hinc colligatur Encolpium fuisse insigne Episcoporum, nam qui illud imposuit fuit Imperator, Elias vero

Presbyter erat non vero Episcopus; neque hic agitur de Cruce quam Pontifex Sacris operaturus pectori appendit, ut ex contextu manifestum est ».

2. Notandum in primis est, quod Crux pectoralis, non est unum ex insigniis episcopalibus proprie dictis, uti sunt Anulus, Mitra et Baculus pastoralis; nam novus Episcopus in ritu consecrationis, ex seipso ante tunicellam et dalmaticam sumit Crucem pectoralem, praedicta vero insignia accipit a Consecrante.

Imo, rigorose loquendo, Episcopi, Abbates et Cardinales, numquam deferre deberent Crucem, nisi in actu celebrationis Missae, aut Vesperarum solemnium. Rubrica Missalis (*Rit. Miss. serv.* I, 4): « Si celebrans sit Episcopus, antequam accipiat stolam, accipit parvam Crucem pectoralem etc. » Similiter Caeremoniale Episcoporum, tam ubi agit de Vesperis ab Episcopo celebrandis ritu pontificali (II, j, 4) quam ubi agit de Missa pontificali (II, viij, 14), nihil dicit de Cruce auferenda, dum Episcopus deponit cappam vel mantellettum vel mozzetam, quia supponit quod Episcopus eam non habeat, quando venit ad Ecclesiam solemniter celebraturus; sed inter res parandas pro Episcopo super Altare, notat Crucem pectoralem; quam dein dicit esse sumendam ante stolam. Pariter nil dicit de Cruce accipienda ab Episcopo postquam, depositis sacris paramentis, reassumit cappam vel mozzetam. Insuper idem Caeremoniale (I, iij, 1) quando loquitur de vestibus adhibendis ab Episcopo, qui ingreditur prima vice in suam dioecesim, dicit: « Uti poterit Episcopus vestibus violaceis, sive laneis sive ex cameloto, superindutus rocheto et mozzeta »; et tacet omnino de Cruce sumenda super mozzetam ipsam.

Hinc est quod usque ad primos annos saeculi xviij Episcopi et Abbates non accipiebant Crucem, nisi in celebratione Missae. Id autem fundatur in eo quod Crux pectoralis non adnumerabatur inter ornamenta pontificalia; quia Innocentius iij (Migne P. L. 217, *de Myster. Missae*, I, 10) scribit: « Novem sunt ornamenta Pontificum specialia, vide-

licet: Caligae Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirothecae, Anulus et Baculus ». Iisdem utitur verbis S. Thomas Aquinas (*in Libr. Sententiarum,* xxiv, 3) ubi agit de episcopalibus insigniis. Item Durandus (*Rationale Rit.* III, j, 7) qui obiit anno 1296; ideoque concludi potest quod ante saeculum xiv Crux pectoralis non erat prorsus recensita inter insignia episcopalia.

3. Verum quidem est, quod cl. Giorgi (*De liturgia Rom. Pont.* III, p. 571) adducens textum *Unius ex Ordinibus Missae Pontificalis,* ex codice 4727 Vaticano, saeculi xiv, inter alia quae propria sunt Romani Pontificis dum sacra solemniter celebrat, haec notat:.. « deinde cingulus cum subcinctorio, quod in parte sinistra Papae debet aptari; consequenter Crucem pectoralem, quam Diaconus Cardinalis tradit Papae deosculandam, deinde Fanonem... » de hac Cruce loquitur, ut vidimus, Innocentius iij (ibid. 53) dicens :... « ideoque Romanus Pontifex Crucem quandam insertam catenulis a collo suspensam sibi statuit ante pectus, ut Sacramentum quod ille (nempe Summus Sacerdos veteris testamenti de quo paulo antea locutus fuerat) tunc praeferebat in fronte, hic autem recondat in pectore ». Sed usus iste procul dubio tunc erat tantummodo exclusivus pro Romano Pontifice, ut evincitur ex verbis Innocentii iij; quod ita verum est, ut Durantes, qui scripsit librum *De ritibus Ecclesiae Catholicae* anno 1589 (Editio 1591), IX, 20), loquens de insignibus episcopalibus, taceat de Cruce.

4. Dissimulare tamen non possumus, quod in inventario cuiusdam Ioannis de Magnavia Episcopi Urbevetani anno 1365 descripto, et edito ab Aloisio Fumi (in *Studii e documenti di Storia e diritto,* Romae 1893-94) sub n. 292 legitur: « Item una crucetta de argento deaurato cum lapidibus minutis finis cum catenella de argento ponderis unius uncie cum dimidia, et medii quarti in casa (*sic* forsan capsa) de corio extimata j flor. auri ». N. autem 627 legitur: « Item una Crux parvuncula de argento cum pernis (*sic* forsan perlis) circuncirca et xii granatos ligatos (*sic*) in dicta Cruce, cum

cordula de sirico viridi extimata vj flor. auri ». Et etiam in quodam inventario Cathedralis Aprutinae descripto anno 1502, edito a F. Savini (in *Archiv. Stor. Italiano*, an. 1899 p. 46) habetur: « Item una cruceta de argento nigellato che porta lo Episcopo quando celebra » (1). Notatu digna est mentio coloris viridis, quae invenitur in secundo documento citato, quod est saeculi xiv, et pertinet ad Episcopum qui Romae in Curia degebat; quia apparet quod non semper utebantur Episcopi catenula, sed aliquando etiam chordula coloris episcoporum proprii, nempe viridis.

Ex his duobus inventariis, melius intelligitur quod scribit citatus Giorgi (I, p. 156) dicens antiquitus Episcopum potuisse uti Cruce pectorali in Missa *si ea uti velit;* et etiam explicatur quomodo s. Pius v in Rubrica Missalis (1570) et postea Clemens viij (1600) in Caeremoniali praescripserint usum omnibus Episcopis dum sacra celebrant. Crux pectoralis in sacris functionibus, ut scribit Moroni (*Dizion. voce Collana*) adhibetur ab Episcopis et Cardinalibus pendens ex chordula serica auro exornata; in vestibus autem ordinariis, ex quadam catenula aurea. Huiusmodi usus catenulae quamquam melius congruat cum iis quae scripsit Innocentius iij, ut supra vidimus, attamen recens est, nam saeculo xix ineunte, semper Episcopi utebantur dicto funiculo auro permixto.

5. Quando autem coeptus fuerit usus deferendi Crucem pectoralem supra mozzetam vel mantelletum, aut super vestem domesticam non possumus cum certitudine determinare. In omnibus imaginibus Episcoporum et Cardinalium saeculi xvij (loquimur de imaginibus genuinis, nempe depictis in vita eorum quorum repraesentant effigiem) numquam videtur ullus qui deferat Crucem. Cl. Battandier in suo *Anuuaire Pontifical* anni 1901 refert duas effigies Episco-

(1) Notitias huiusmodi accepimus ab eximio sacrae Liturgiae et Archaeologiae cultore, Rev.mo Marco Magistretti, Canonico Mediolanensi, amico nostro carissimo.

porum, qui vixerunt quidem saeculo xvij, nempe s. Francisci Salesii (1622) et ven. I. B. Gault Episcopi Massiliensis (1643), et de hoc scribit: Iste pertinebat ad ordinem Oratorii, et Crucem deferebat pendentem ex vitta quadam *nigri coloris*. Salesius vero, ut passim videtur in eius imaginibus, Crucem gerebat pendentem e collo a vitta satis ampla coerulei coloris. Nobis ergo videtur non agi in istis duabus imaginibus de Cruce episcopali, sed de alia Cruce (1).

Nihilominus ineunte saeculo xviij nonnulli Episcopi coeperunt deferre Crucem pectoralem super mantelletum. Huius rei testimonium habemus in epistola Benedicti xiv ad Nuntium in Lusitania Acciajoli, quam in parte refert Martinucci *Manuale Sacr. Caerem.* vol. IV, p. 8, et Moroni (l.c.), in qua Pontifex ait, non esse molestandos Episcopos, qui extra propriam dioecesim deferunt Crucem, eo vel magis quia ipsemet Pontifex excipiebat in audientiis Episcopos cum Cruce patenti in pectore: ergo delatio Crucis pectoralis, non est signum iurisdictionis.

Porro usus huiusmodi deferendi Crucem pectoralem extra sacras functiones, super mantelletum, universaliter acceptus est, non tantum ab Episcopis, sed etiam ab inferioribus Praelatis et Abbatibus, ita ut hodie nemo id nefas esse dicere possit. Imo habemus decretum S. R. C. n. 2710 diei 17 augusti 1833, in quo agitur de quodam Episcopo Titulari, et declaratur: « Si contigerit episcopali dignitate in-

(1) In vita s. Francisci Salesii legitur quod quadam die rogatus fuit ut sermonem haberet in domo quarundam sanctimonialium, et ipse super vestem communem sumpsit rochetum, et nil dicitur de Cruce. Apud moniales Visitationis a Salesio institutas, habetur adhuc sodalitium, quod vocatur: *Equitum s. Francisci Salesii*: huiusmodi autem sodales gestant sub vestibus Crucem argenteam pectoralem, pendentem ex vitta caerulei coloris. Forsan Crux quae pingitur in imaginibus huius Sancti non aliud est nisi dicta Crux sodalium, et eo vel magis hanc esse veritatem censemus, eo quod Crux ipsa depicta in pectore S. Francisci est argentea, non aurea.

signiri sacerdotem aliquem e coetu in stationibus inferioribus chori sedentium, verbi gratia inter beneficiatos, statim superius ascendet, et praelatitio habitu indutus, Crucemque pectoralem gestans, ante Canonicos locum obtinebit ».

Similiter in alio Decreto n. 4035 diei 20 iunii 1899, decernitur: quod Episcopi sive dioecesani, sive titulares, Crucem pectoralem detectam gestare possunt ubicumque degunt. Ergo et in habitu communi. Hoc ignoravit cl. De Herdt (Prax. Pont. I, 14) docens ex convenientia debere Episcopum extra suam iurisdictionem, tegere Crucem. Quapropter, optime notat Martinucci (ib.), etiamsi Caeremoniale non praescribat usum Crucis pectoralis, solum tamen Episcopi illa uti possunt supra habitum ordinarium.

6. Quoad vero Cardinales, dicendum est recentius usum Crucis super mozzetam accepisse. Imagines enim Cardinalium, etiam ex ordine Episcoporum, quae depictae fuerunt primis annis saeculi XIX, probant nullum ex ipsis hunc morem adhuc accepisse.

Moroni (l. c.) ait; quod suo tempore (articulum de Cruce pectorali edidit anno 1842) Cardinales Episcopi suburbicarii gestabant Crucem ordinarie tum super mantelletum, tum super mozzetam, alii Cardinales ex ordine presbyterali, charactere tamen episcopali insigniti, Crucem gerebant sub mozzeta.

(*Continuabitur*).

Consultationes.

Pro Rochester, N. Y. — I. Permittiturne Missa exequialis die festo S, Ioseph, 19 martii ?

Resp. S. Congregatio Concilii, die 3 maii 1912, quoad dies festos a Pio Pp. X suppressos, declaravit : « ..... vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur *non minori* quam antea solemnitate, et si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens ut relaxata maneat *tantummodo* sanctio, qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus ».

Cum ergo impedimentum Missae exequialis sit nota solemnitatis, et hodie, ut prius, videtur huiusmodi Missa impediri, ne minori dicatur celebrari solemnitate festum S. Ioseph. Sed in hoc festo consideranda est et imminutio ritus, quam subiit, nempe a duplici 1ª cl. reductum est ad duplicem 2ªᵉ cl. ; unde videtur huic festo facta esse exceptio, eo sensu, quod non amplius intelligatur eidem adnexa antiqua solemnitas, quae revera ad feriam IV ante Dominicam tertiam post Pascha translata est. Si igitur ageretur de ritu imminuto, reservata solemnitate, dici posset nihil esse innovandum, quia etiam Circumcisio Domini ritu gaudet 2ªᵉ cl. et tamen cum solemnitate maxima celebratur, atque ita impedit Missam exequialem ; at ex eo quod solemnitas reipsa translata fuit, concludendum est, saltem maiori cum probabilitate, festum S. Ioseph, die 19 martii non amplius esse de solemnioribus Missam exequialem impedientibus.

II. Permittiturne Missa Repositionis, tertia die « Quadraginta Horarum », licet SS. Sacramentum non reponatur, nisi de sero ?

Resp. Videtur esse negative respondendum: 1° quia Romae (ubi typica est expositio XL horarum), in ecclesia SS. Nominis Iesu, feria III post Dominicam Quinquagesimae, in qua singularis habetur usus reponendi SS. Sacramentum de sero, non canitur Missa de repositione; 2° quia etsi extra Urbem non obliget *Instructio Clementina*, quae huiusmodi expositiones moderatur, si tamen volunt exerceri privilegia ab ea concessa, debet omnino Instructio eadem integra retineri. Cum igitur Instructio Missam repositionis permittat taxative tamquam partem functionum repositionis illius, continuate peragendarum, si separetur Missa a repositione, non est haec amplius Missa repositititionis, ac proinde nequit dici permissa.

III. Quandonam praecise in genua procumbunt adstantes ad benedictionem papalem ab Episcopo post Missam Pontificalem impertitam? Nonne immediate ante *Precibus et meritis, etc.* Curnam, sedente in throno Episcopo, nequeat sedere Chorus ad Indulgentiarum formulam, i. e. *Rev.mus in Christo Pater, etc.*, et impertita benedictione, ad *Attentis facultatibus a Sanctissimo etc.*?

Resp. Etiam ad Benedictionem ab Episcopo nomine Papae impertitam, Canonici, Dignitates aliique, parati vel non parati, pro qualitate personae, debent vel inclinare vel genuflectere (S. R. C., n. 2891, I).

Ante formulam *Precibus et meritis,* nil aliud habetur, nisi Brevis Pontificii lectio; hinc, assurgente Episcopo post lectionem istam, Canonici et Praesules assurgunt, atque ita stabunt, etiam durante formula Benedictionis, dum ceteri in genua procumbunt vix dum incipit *Precibus et meritis.*

Formula *Rev.mus in Christo Pater* locum non habet. Ad verba *Attentis facultatibus,* non sedet chorus, sed stat, ob reverentiam debitam Summo Pontifici et Episcopo.

IV. Quomodo interpretandum illud: « ... ita precibus annuit, ut in memoratis ecclesiis unica Missa pro quolibet defuncto, vel cum cantu, vel etiam lecta de requie *bis* in hebdomada celebrari possit, sed, etc. » (S. R. C. in indulto

Missarum pro defunctis)? Utrum applicetur in casu decretum S. R. C., n. 3472, die 18 decembris 1878? Utrum *bis* significat plures Missas quolibet ex duobus diebus ?

Resp. Decretum citatum recte applicatur, ita ut plures Missae, quolibet ex duobus diebus, de requie celebrari possint, sed non eodem die pro eodem defuncto.

V. Velum calicis, ex praecepto Rubricae, debet esse sericum. Observaturne haec Rubrica extra Romam ? Si negative, curnam?

Resp. Observantiores ecclesiae, instituta etc. rite, tam in Urbe quam extra, Rubricae adhaerent, et non sunt probandi, imo reprehendi debent, qui talem praescriptionem (Ritus servandus in celebr. Missae, I, 1) parvipendunt.

VI. Chrismale praescribitur pro altari fixo. Quid in re de altari portatili, seu lapide parvo consecrato? Renovandum est chrismale, si destruatur?

Resp. Ex analogia, etiam ara portatilis deberet cooperiri chrismali cerato, quamvis desit positiva praescriptio. Ex convenientia renovabitur chrismale, si destruatur vel deturpetur; at cum nulla lex praescribat illud, nisi peracta consecratione altaris fixi, obligatio imponi nequit.

VII. Velum calicis, apud nos, partem calicis anteriorem dumtaxat cooperit, non totam partem posteriorem. Velum defert crucem. Quomodo agendum? Nonne ut pars calicis, non cooperta velo, sit versus pectus, et crux in velo depicta versus populum? Estne in casu ulla necessitas revolvendi (posteriorem) veli partem supra calicem, ut videtur credere Schober (*De Caerem. Missae*, pag. 8, n. 4, in fine): « Deinde bursam cum anteriore parte veli cooperire debet? »

Resp. Velum calicis, regulariter, deberet cooperire undequaque ipsum calicem; sed saltem exigitur a decreto S. R. C., n. 1379, ut cooperiat totam partem anteriorem, scilicet, quae visibilis est populo. Crux in velo non praescribitur, sed si adest debet in parte visibili aptari. Quod dicitur de tali modo velandi calicem super altari, dicendum est et de eo quando defertur a Celebrante ante et post ce-

lebrationem Missae; hinc est quod, rationabiliter, quando velum non cooperit nisi partem anteriorem calicis, hic revolvitur cum accipitur, ut pars visibilis tecta conspiciatur. Commoditatis gratia velum, ut nempe calix facilius accipiatur, revolvitur super bursam. Sed non est necessarium, si etiam a parte posteriori velum sit satis extensum, ut revolvatur ad ostendendam crucem in itinere; hoc dicimus quia minus, quam possibile sit, complexae reddendae sunt actiones a celebrante.

VIII. Defertur umquam manipulus cum pluviali? Ex.gr. Dominica *in Palmis*, Celebrans absque Ministris deferre debet manipulum, ut asserit Martinucci cum quibusdam aliis in benedictione palmarum, contradicentibus quasi omnibus?

Resp. In III novissima editione Martinucci notatum est omnes fere liturgistas non admittere manipulum una cum pluviali (vol. II, pag. 349, n. 21). Memoriale Rituum Benedicti XIII, ex Bauldry, illum praescribit, sed in futura editione typica, uti asseritur, excludetur.

IX. Ubinam, sive in clericos sive in laicos, ponuntur cineres, scilicet, in vertice vel in fronte capitis?

Resp. Rubrica dicit *imponit in capite;* similiter Caeremoniale Episcoporum: *imponit in caput;* item Memoriale Rituum Benedicti XIII. Ergo, cum frons non sit caput, in vertice capitis ponendi sunt cineres Quod confirmatur ex eo quod, ex Rubricis, qui cineres recipit, debet adesse *capite inclinato.*

Pro Rota (Verona). — In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, die 2 novembris, summo mane decantatur Officium defunctorum, et dein Missa solemnis in die Commem. omn. defunctorum. Postea locum habet funus alicuius defuncti. Quaeritur: Sacerdos (idem qui ante Missam decantavit, vel alius) debetne Missam exequialem decantare denuo *ut in Commemor. omn. defunctorum;* addita sub una conclusione oratione pro defuncto?

Resp. Si ecclesia non est cathedralis, vel collegiata, vel aliter choro adstricta, nihil opponi potest circa horam cele-

brandi Officium et Missam de die Commemorationis omnium defunctorum; secus enim oporteret ut se conformaret ordini iure constituto. Quod vero attinet alteram Missam solemnem, quidquid dictum sit de sumenda iterum prima Missa, ex quadam Auctoritatis dispositione, fertur quod novissimae Rubricae Missalis, in casu, dispositurae sint ut alia ex Missis illius diei sumatur, cui addatur commemoratio de particulari defuncto, cuius celebrari funus contingat. Nil tamen certi possumus affirmare, sed oportet ut expectetur novum Missale typicum, quod sub anni huius fine venturum promittitur.

Pro Château-Tierry (*Aisne*). — Abhinc paucos dies mihi quidam hanc quaestionem submisit: Cur in Republica gallicana dicimus in Precibus ferialibus ad Laudes et Vesperas hunc Versum: « Domine, salvum fac Regem », et non potius « salvam fac Rempublicam », ut in Missa, ex indulto. Aut saltem, cur hunc versum omittere non possumus? Respondi omnem immutationem in divino Officio prohiberi, et adesse S. R. C. responsum in hac materia « Nil immutantandum ». Hoc decretum quaesivi et non inveni. Possetne Ephemeridum Redactio illud indicare mihi vel summarie tantum?

Resp. Potius quam decretum sacrae Congregationis, rev. Inquirens innuit mandato S. Pii V, quod in sua Constitutione « Quod a nobis » continetur: « Statuentes Breviarium ipsum, nullo umquam tempore, vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum esse ». Restat igitur, ut indultum teneatur prout expressum est, absque ulla extensione, quae arbitraria profecto esset. Ceterum omnes norunt, sub verbo « rex » non intelligi tantum personam, quae stricto sensu regalem potestatem habeat, sed quamcumque auctoritatem, quae potest et esse collectiva, v. gr. quam vocant « Gubernium ». Habentur et qui personaliter regunt populos, et tamen titulo regis non gaudent, sed v. gr. Principis, Ducis. Clare patet ex praedicta Constitutione, quod neque omissio impune sustineretur.

Pro Veneta regione. — I. In plurimis ecclesiis, haec viget consuetudo: In praecipuis solemnitatibus, parochus in Vesperis celebrans, psalmis cantatis, retento vel exuto pluviali, scamnum relinquit, et ad balaustra se confert ad sermocinandum. Deinde, reassumpto pluviali si hoc deposuerat, Vesperas, a capitulo prosequendo, complet. Licitane est haec praxis?

Resp. Neque ex decretis, neque ex auctoritate Scriptorum, neque ex argumentis directis possunt huiusmodi difficultates resolvi, sed tantum ex sensu, qui dicitur communis, et ex generalibus principiis. Est quippe universaliter receptum, non posse ritus sacros extraneis actibus intermisceri: dicimus « extraneis », tales considerantes etiam partes, quae aliquomodo possent reduci ad idem obiectum, sed tamen a ritu respuuntur, qui integer usque ad finem perducendus est. Cur sermo non habetur ante vel post Vesperas, uti fit passim? Nil dicimus quoad dimissionem pluvialis, cum ex data solutione eliminetur occasio. Ergo consuetudo non sustinetur, utpote irrationalis.

II. In iisdem ecclesiis, habito sermone ut supra, in nonnullis solemnioribus festis Domini, antequam hymnus cantetur, exponitur in throno SS. Sacramentum, et deinde omnia peraguntur ritu praescripto pro Vesperis coram SS.mo et omissa antiphona finali B. M. V., recitato secreto *Pater*, canitur *Tantum ergo* et benedictio impertitur. Consuetudo haec, forsan, nullis contraria est praescriptionibus?

Resp. Circa opportunitatem exponendi SS. Sacramentum in Vesperis, quae ordinarie non admittitur, consulatur R.mus Ordinarius, qui iudex est in re; sed si facienda est huiusmodi expositio, ex rationibus superius adductis, fiat antequam incipiant Vesperae. Quoad omissionem antiphonae finalis B. M. V., nihil esset opponendum, quia, in casu sequendus esset ritus qui adhibetur in Octáva SS. Corporis Christi; in hac revera omittitur praedicta antiphona post horam coram SS. Sacramento celebratam, si cum benedictione SS.mi terminandum est.

Pro Hispania. — I. Quamvis iuxta Caeremoniale Epp., Pluvialistae in Vesperis non debeant esse Canonici, sed Beneficiati, attamen, ob exiguum horum numerum, consuetudinem in hac Cathedrali ab immemorabili tempore servatam, nec non Decretorum, num. 256 et 4123, benignam interpretationem, statutum est ut in solemnioribus festis sex adsint Pluvialistae, scilicet, duae Dignitates, duo Canonici duoque Beneficiati; in minus solemnibus duo Canonici et duo Beneficiati, ceteris vero duo Beneficiati, servata tamen hac lege, ut, saltem quando Dignitates Pluvialistarum munus exercent, Celebrans sit ipsis dignor.

Hoc modo agendi admisso, cum Beneficiati Pluvialistae, iuxta Caeremoniale Epp., praeintonare debeant antiphonas dignioribus chori, qui eas simul intonare debent, et nec praeintonator nec intonator in cantu sint instructi:

Quaeritur: 1° An tolerari possit praxis, huc usque servata, praeintonandi et intonandi antiphonas submissa voce, cum Cantores facile adhiberi non possint ex eorum exiguo numero?

2° Ob eamdem causam, de qua in quaesito praecedenti, quando duo tantum adsunt Pluvialistae, et praeintonatio a Cantoribus iuxta Caeremoniale Epp. fieri debet, an illa a Pluvialistis sub eadem forma suppleri possit, prout usque ad praesens? Et in casu negativo, an praedicta praeintonatio fieri possit ab uno ex Psalmistis non Presbytero superpelliceo induto?

3° In Matutino solemni, ob eamdem causam, omitti poterunt praeintonationes a Cantoribus faciendae, tantumque Celebranti cantum Hymni Ambrosiani praecini?

Resp. I. Nemo, nisi aptus, adhibendus est ad munus quodcumque in ecclesiis. Deploranda nimirum est pessima consuetudo, quae non invenitur profecto in profanis artium et officiorum exercitationibus, qua sacrae functiones debent, ob exercentium imperitiam, utcumque ad exitum deduci, fas omne etiam abrumpendo! Quando vero agitur de cantu, qui nequit nisi surdos latere, crescit inconveniens.

Declaratur in casus expositione, quod nec praeintonator nec intonator sunt in cantu instructi, et remedium proponitur praeintonandi et intonandi submissa voce! Remedium, imo, iam in praxim deductum dicitur! At quis non videt, ita legem omnino despici, et, ut despectus celetur, quasi furtive agi?

Remedium ergo oportunum, imo necessarium, est: Imperiti, uti ex conscientia debent, instruantur!

2° Si Pluvialistae essent periti, aliique deficerent, posset consuetudo romana, quam tamen non proponeremus nisi ex vera necessitate, in praxim deduci, ita ut praeintonatio a Cantoribus facienda fiat a Pluvialista. Sed in casu dicuntur adesse Psalmistae; his igitur competit ex Caeremoniali Episcoporum praeintonatio antiphonarum et psalmorum quando Pluvialistae sunt tantum duo. Nil autem refert, si non sint presbyteri, quia satis est si sint simplices clerici; imo adhiberi etiam valerent laici, talari et superpelliceo induti, si decore clericorum vices supplere possent.

3° Negative, et remedium praestetur prout supra dictum est.

II. In Vesperis a Canonico celebratis non viget in hac ecclesia Cathedrali praxis altare Ss.mi thurificandi, absque dubio ex distantia quae inter ipsum altare et maius intercedit, et forsan ex non explicita declaratione Caeremonialis Epp., lib. 1, cap. 23, n. 27, ut innuit clariss. De Herdt in *Praxi Pontificali*, tom. 1, n. 189. Continuarine potest praedicta consuetudo ob allegatas rationes, vel e contra standum est clariori declarationi Decretorum S. R. C., num. 915^3, 1322^1, 3110^6 et 3410^1?

Resp. Consuetudo haec, potius quam laudabilis, est prorsus damnanda, quia in detrimentum honoris cedit, quod debetur Ss.mo Eucharistiae Sacramento. Cum ergo deficiat in potissima ex conditionibus, quibus praestare debet consuetudo, ut possit sustineri, admitti nequit; standum igitur legi, etiamsi maiori cum incommodo.

III. Ex Brevi *Officii Pastoralis* Summi Pontificis Gre-

gorii XIII, d. d. 30 decemb. 1573, et Decreto S. R. C., n. 3111, in hac Cathedrali, quando in Dominicis agitur de festo I aut II classis, et Dignitas Missam celebraturus est, aquae benedictae aspersio fit a Diacono, alba et stola, more presbyterali, induto, et ab Acolythis associato. Hac caeremonia finita, Diaconus ad sacristiam revertitur, Dalmaticam assumit, et cum Hebdomadario ac Subdiacono ad portam sacristiae spectat adventum Choralium processioni claustrali interessentium, quibus tunc uniuntur;

Quaeritur: Haec praxis, tali loco ac momento se associandi, sustineri potest, aut e contra, finita aspersione, Celebrans ac Ministri progredi debeant ad altare maius, ut, ad Choralium transitum per ipsum, occupent locum eis debitum?

Resp. In hac, plus quam ter saeculari, consuetudine omittimus interloqui, et tantum opinionem nostram praeferendi ius commune proferimus. Respondemus autem petitioni quoad momentum et locum ingrediendi Celebrantis et Ministrorum in processionem. Profecto hanc praxim adprobare nequimus; indecora est expectatio eorum ad sacristiae portam, inconveniens illa insitio per viam. Neque conveniens esset expectatio Celebrantis et Ministrorum ad altare maius, eo vel magis quod Celebrans supponitur Dignitas capitularis. Ergo manet ut, vel finiatur, si nihil obstet, processio claustralis antequam accedatur ad sacristiam, et tunc ingrediatur ipsam Capitulum ad excipiendum Celebrantem; vel, finita processione ad altare maius, Capitulum expectet Celebrantem cum Ministris.

IV. Sustinerine in futurum poterit praxis, ut Chorales pluvialia non assumant nec in Missis pontificalibus, nec in Vesperis ab Episcopo celebratis, sive crastina die Sacrum agat, sive non, ob distantiam sacristiae a Choro, fidelium admirationem, videntium talem vestitionem et denudationem in suis stallis, ac praecipue quia tunc in Missa oblationum caeremonia, ab omnibus assistentibus admirata, absque caudis explicatis minus solemnis evaderet?

Resp. Supponimus legitimum usum pluvialium pro choralibus, et de eis non loquimur. Quoad difficultatem exhibitam, de distantia sacristiae, eam parvi faciendam esse dicimus, quia oportet ut sacrae functiones, etiam in sua praeparatione, decore perficiantur, et si tempus longius necessarium est, ne pigeat ut impendatur. Videatur potius, utrum parari possit locus aptus choro propinquior, vice sacristiae. Ràtio porro caeremoniae oblationum, ab assistentibus admirata ob caudas Canonicorum explicatas (splendor cultus ad pietatem aedificans, an vanitas vanitatum?), insufficiens et inepta dicenda est, eo vel magis, quod, nisi adsit speciale indultum, prohibentur omnino Canonici cappas explicare, quibus utuntur in choro.

V. In Hispania existit privilegium a Summo Pontifice S. Pio V concessum, die 17 decemb. 1570, quod Chorales incensari possunt per thuriferarium, loco Diaconi ;

Quaeritur: Quando thurificari debent Diaconus et Subdiaconus, tam in Missa pontificali, quam conventuali, an immediate post Celebrantem, vel post omnes Chorales, ac unusquisque Ministrorum a quo?

Resp. Hic quoque interloqui nolumus, stante privilegio plus quam ter centenario, quod ceterum oporteret in suis terminis cognoscere, facta praesertim consideratione ipsius privilegii, utrum sit potius Diaconi, qui eximitur ab incensatione choralium, an choralium; quod alterum revera intelligere nequiremus.

Dubio autem respondemus, non esse in casu resumendum a Diacono officium thurificationis, semel ac cessaverit, ut illud expleat thuriferarius, atque ideo oportet ut Diaconus post Celebrantem immediate thurificet Ministros maiores, et postea relinquat thuribulum thuriferario, ut ad chorales accedat. Quod vero attinet Ministros inferiores, hi turificabuntur a thuriferario iuxta consuetum.

VI. Vi eiusdem Brevis, de quo in consultatione praecedenti, etiam concessum est pro Hispania, ut in Missis solemnibus pax Choralibus non detur a Subdiacono per amplexum, sed ab Acolythis, mediante instrumento ;

Quaeritur: 1° Cuinam competat huiusmodi instrumentum deosculari pro pace danda, an Diacono, prius quam eam Subdiacono det, vel isti statim ac eam acceperit a Diacono, cum Auctores inter se non conveniant?

2° Et quando Episcopus cappa magna indutus Missae assistit in primo stallo Chori, an continuari possit consuetudo, qua, deosculato a Celebrante pacis instrumento pro Episcopo, ut et ipse deosculetur, statim cum illo per Beneficiatum tangantur alia duo pacis instrumenta, quibus datur omnibus Choralibus?

Resp. 1° Regula haec rationabilior videtur: Osculum instrumento pacis ab eo detur, qui alias per amplexum choro donaret. Cum ergo Subdiaconus sit, qui choro pacem deferre debet, ipse osculum instrumento pacis infigat.

2° Episcopus, in primo stallo chori sedens, ut primus choralium consideratur, non habens assistentes proprie dictos, et nulli speciali caeremoniae operans. Hinc et pacem recipit per Ministrum ordinarium, tempore quo danda est digniori de choro. Unde patet, non esse ei pacem donandam cum osculo a Celebrante accepto. Neque admitti potest communicatio pacis per tactum instrumentorum; haec actio videtur ridicula et inefficax.

VII. Viget in hac Cathedrali Ecclesia consuetudo ut solemniter canatur Martyrologium, non tantum in Vigilia Nativitatis Domini, sed etiam in Vigilia Conceptionis Immaculatae B. M. V. a Digniore Chori; sed facto elogio festi, suspenditur cantus, et a musicis decantatur in lingua latina Motetum festo annuntiato respondens, quo finito, Dignior prosequitur cantum Martyrologii;

Quaeritur: Continuarine potest haec praxis, interponendi in Martyrologio cantum praedicti Moteti, cum fiat ad solemnitatem augendam et in honorem tanti Mysterii?

Resp. Nequit haec praxis continuari, utpote quae est irrationalis, nequeunt enim interpolari partes sacrorum textuum, a Rubricis praescriptorum. Si vero consuetudo omnino aboleri non potest, nil prohibere videtur quominus, Martyro-

logio finito, cantus ille proponatur; laus est mysterii in Martyrologio enunciati, et ideo haud nimis extranea eo temporis momento.'

VIII. 1° An tuto teneri possit opinio Auctorum, genuflexionem simplicem Choralibus praescribentium in Matutino recitato, ad verba *Venite, adoremus...*, et versum integrum *Te ergo quaesumus* Hymni Ambrosiani; vel e contra standum est Caeremoniali Romano-Seraphico, n. 169, a S. R. C. adprobato, die 12 augusti 1908, genuflexionem duplicem in casu praecipienti?

2° Et in utroque casu, licebitne Cantoribus genuflectere in Invitatorio, quando integer versus recitatus aut cantatus fuerit, prout fit in Missa ad *Et incarnatus est?*

Resp. 1° Affirmative ad primam partem; negative ad secundam; habemus enim exemplum patens in genuflexione ad verba *Et incarnatus est,* quae non sunt pauca, in Symbolo Missae, dicente Rubrica (*Ritus celebr. Miss.*, VI, 3): « Cum dicit *Et incarnatus est,* usque ad *et homo factus est,* inclusive, genuflectit ». Quam genuflexionem esse unico genu faciendam declarat decretum S. R. Congregationis, n. 2587, IX.

2° Iuxta decretum S. R. C., n. 3003, I, ad ℣. *Et incarnatus est,* Canonici, qui propter cantorum defectum cum reliquis cantant, quum in Missa solemni dicitur *Credo,* debent genuflectere, dum Celebrans et Ministri genuflectunt, et postea canendo adstare legili, quin rursus genuflectant, ad differentiam aliorum qui non cantant, sed in presbyterio stant. Ad invitatorium igitur, cum non sit idem casus, genuflectentibus nimirum omnibus eodem tempore, facienda est, prout docent Auctores, vix dum pausam faciunt, cantato integro illo versiculo.

IX. Cum fundamento supponitur hanc Ecclesiam Cathedralem consecratam esse ex Officii Dedicationis recitatione a tempore immemorabili; attamen duodecim Cruces depictae aut sculptae non apparent. Hoc in casu,

Quaeritur: Quo loco fixi esse debent duodecim cerei, qui a primis Vesperis et per integrum festum ardere debent,

iuxta Decretum S. R. C., n. 3876, VI, VII, cum nullum Crucium vestigium exstet, et quamvis pingi aut sculpi possint, omissa unctionis caeremonia ut in Decreto n. 3157, IV, attamen duae Cruces, quae esse debent, iuxta idem Decretum, prope Ecclesiae ianuam, ad praesens nec pingi nec sculpi possint, ex defectu frontis principalis, in terram delapsae?

Resp. Servetur decretum n. 3157, IV, quo meliori fieri potest modo, scilicet pingantur duae Cruces, interea, dum expectatur renovatio frontis ecclesiae, loco, quantum fieri potest, propinquiori huic futurae fronti; verum enim et sic erit, eas esse prope, plus minusve, ecclesiae ianuam, quae supponitur in fronte.

X. Sustinerine potest consuetudo, qua Responsoriorum versus in Matutino recitentur ab omnibus Choralibus, aut melius est ut dicantur a Lectore, prout Auctores innuunt?

Resp. Sustinetur optime; est enim maiori laude dignus coetus totus choralium, si effective partem sustinet etiam illorum textuum divini Officii.

XI. Corpus S. Patroni Civitatis et Dioeceseos, quod in arca argentea continetur inclusum in altari ipsi dicato, et in parte contraria posteriori altaris maioris sito, ac ita disposito, ut pars media unius respondeat eidem parti alterius, thurificandum est tam in Missa quam in Vesperis, cum praedicta arca ita constituta sit inter duo altaria, ut aliquantulum ab altari maiori conspiciatur? Et in casu affirmativo, an thurificatio facienda sit a medio altaris, prout praescribitur pro Reliquiis, vel a cornu Epistolae, ut in praesens fit, forsan quia antiquitus iacebat in capella altari maiori contigua et in praedicto cornu Epistolae sita?

Resp. Quamquam casus istiusmodi tutius locali inspectione resolvuntur, videtur nobis satis clara expositio et descriptio facta; et, constito quod arca sacra a Celebrante conspicitur, dum incensationem peragit Altaris, eam considerare optime potest tamquam si esset exposita super ipso altari, in medio, ac proinde illam thurificare post Crucem.

Iuxta modum, qui in praesens tenetur, oportet ut Celebrans aliquantum Altare relinquat, quod non admittitur, ex principiis generalibus, nisi in Vesperis, in quibus, ex decreto S. R. C., n. 4044, III, admittitur per Celebrantem incensatio imaginum Sanctorum, hinc et inde iuxta Altare collocatarum.

XII. Quae praxis servatur in Alma Urbe, circa momentum sessionis in Missa qua habetur Sequentia: an immediate post datam a Celebrante benedictionem Subdiacono, vel post lectum a Celebrante Evangelium?

Resp. Post datam benedictionem Subdiacono, si danda est, videlicet in Missis quae non sunt de requie, et post lectam ipsam sequentiam per Celebrantem.

XIII. 1° Missa, in feria VI post Octavam Ascensionis, dicenda est post Tertiam vel post Sextam?

2° Quaenam ratio specialis adest, ut in praedicta feria, revera in Officio ac Missa ut prorogatio Octavae considerata, prohibitae non sint tam Missae votivae privatae quam de Requie?

Resp. 1° Iuxta Rubricas generales, tit. XV, « De hora celebrandi Missam », n. 3, Missa *in feriis per annum* dicitur post Sextam; sed feria praedicta certe non est de feriis per annum; ideoque, ut in tota structura sui Officii, consideranda est uti dies infra Octavam. Ergo Missa dicenda est post Tertiam.

2° Ratio prohibitionis infra Octavam est privilegium, quo ipsa Octava gaudet, et quo non gaudet illa feria sexta.

XIV. Velum humerale, quo induitur Subdiaconus pro patena sustinenda in Missa, iuxta Caeremoniale Epp., lib. 1, cap. X, n. 5, a latere dextero longius pendere debet; hodie vero ab aliquibus ornamentorum opificibus conficitur cum duabus bursis ad manus introducendas et obiectum sustinendum ab extremitatibus aequaliter distantibus.

Quaeritur: An ita confici possit velum humerale, et, in casu negativo, an uti possint quae ita sunt confecta?

Resp. Negative, et quae ita sunt confecta reducantur ad

formam praescriptam. Nimium novitatibus indulgere non est rectum, et in casu nemo non videt, quod laudabilior et magis decora sit traditionalis forma.

XV. Nimius ornatus cum floribus artificialibus, praesertim altaris, quo celebrantur functiones extraliturgicae mensuales, novendiales aut triduanae, limitari ne potest ad determinatum numerum, cum inter illas accendantur cerei vel lampades electricae magno numero, et adesse potest incendii periculum, quamvis remotum?

Resp. Tam ob periculum incendii, quam ob parsimoniam, quam natura sua requirit ipse ornatus, ne nimium indulgeatur florum arte compositorum ornatui; eo vel magis, quod, nisi saepissime renoventur, et maxima cura teneantur, potius quam ad ornatum dixeris eos esse positos ad dedecus et contemtum rerum sacrarum. Quod lucem electricam attinet super altari, stetur decreto S. R. C. diei 24 iulii 1914, quod et anteriora renovare curat (V. Menghini, *Decreta SS. Rit. Congr. notulis illustrata*, ab anno 1911 usque ad praesens, n. 44).

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 5 curr. anni, pagg. 307-320).

Quaestio.

In ecclesia Caietani, parochi, adstant, inter cetera, duo altaria, quorum alterum *privilegiatum* atque fixum et consecratum; alterum *Gregorianum ad instar* sed cum lapide sacro; inter utrumque, ut ipse opinatur, nulla interest differentia privilegii.

Solet autem vel in altari *Gregoriano,* vel in altero *privilegiato,* Missam celebrare *de vivis* pro fidelibus viventibus, necnon Sacrificium *de requie* pro defunctis.

Quaeritur:

1. *Quid venit nomine* Missae Gregorianae, *quid* altaris S. Gregorii in Monte Coelio in Urbe, *quidque denique* altaris Gregoriani ad instar?

2. *Adestne aliqua differentia inter altare* privilegiatum *et* Gregorianum?

3. *Potestne* Missa Gregoriana *celebrari pro vivis; daturne, nunc temporis, privilegium altaris* Gregoriani; *et ut applicari possint indulgentiae* altaris privilegiati *Missae pro defunctis, debetne esse fixum an mobile;*

praeterea possuntne consecrari altaria de schisto *aut alia materia, quae vulgo dicitur* di cemento armato?

Solutio.

Ad I. *Quid venit nomine Missae Gregorianae, quid Altaris Gregoriani in Monte Coelio, quidque denique Altaris Gregoriani ad instar?*

Resp. Missae tricenariae, quae appellantur *Gregorianae*, a Divo Gregorio Magno originem ducunt, a quo primitus institutae fuerunt, ut idem Summus Pontifex in suis *dialoghis* refert. Est pia omnium traditio ac firma fiducia, ab Ecclesia etiam probata, eiusmodi Missas maxima pollere efficacia ad aliquam animam e carceris Purgatorii poenis liberandam. Quod clare elucet etiam ex eiusdem D. Gregorii mirabili eventu: ipse enim, ut in eius scriptis narratur, earumdem Missarum virtute, liberatam in visu perspexit animam religiosi hominis Iusti, quamvis hic valde negligens in regulis suae religionis observandis accusaretur. Et istae Missae triginta, iuxta decreta S. C. Indulg., diei 14 ian. 1889, et S. Officii 11 dec. 1912, celebrari debent diebus triginta continuis sine interruptione, non tamen necessario in eodem altari et ab eodem sacerdote; et non satisfaceret obligationi curandi *tricenarium Gregorianum* fidelis quisquam si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committeret eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem; necnon qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die Natalis Domini), vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut non in triginta diebus continuis Missae omnes celebrentur. Et Benedictus XIV (*Instit.* 34, n. 22) ait: « Quod si intra trigesimum dierum numerum postremi tres dies Maioris Hebdomadae occurrant, diebus insequentibus numerus absolvatur ». Non videtur autem haberi continuatio, si uno vel alio die ob infirmitatem sacerdos impediatur a celebratione. Attamen, si sacerdos aegrotaverit, celebrationis tempore, curandum est ut subrogetur per alium

sacerdotem. Si sacerdos obierit, alius celebrationem prosequatur absque onere repetendi Missas iam celebratas.

Altare autem *S. Gregorii in Urbe in Monte Coelio* fundatum, illud est cui adnexa est virtus liberandi animam e carceris Purgatorii poenis pro unaquaque Missa, quae in eo celebretur.

Altaria Gregoriana denique *ad instar* ita appellantur quia passim a Summis Pontificibus concessa sunt ad similitudinem altaris ecclesiae S. Gregorii ad Coelium Montem. De privilegio tamen tum altaris S. Gregorii, tum aliorum *ad instar* non amplius dubitatur, post S. C. S. Off. 11 dec. 1912 ad VI decretum, quamvis ante illud privilegium fuisset sub valore tantum piae fiduciae ab Ecclesia probatae, uti patet ex decreto S. C. Ind. 15 mart. 1884 ad II.

Sed citato decreto, anni 1912, Sum. Pont. Pius Pp. X absolute declaravit altare S. Gregorii in Ecclesia coelimontana, et consequenter alia *ad instar* illius nuncupata, esse vere privilegiata.

Ad II. *Adestne aliqua differentia inter altare privilegiatum et Gregorianum?*

Resp. Differentia quae interest inter altare *privilegiatum* et altare *Gregorianum* haec est: utrumque nititur pia fiducia liberationis alicuius animae e Purgatorio. Primi tamen fiducia Ecclesiae suffragio tantum, alterius autem suffragio simul Ecclesiae et D. Gregorii speciali intercessione roboratur. Quare concludendum considerandam esse unamquamque Missam in hoc altero altari celebratam uti « specialiter » efficacem ad animae e Purgatorii poenis liberationem: quasi diceret quod si Missa, in altari privilegiato celebrata, est *efficax*, celebrata in altari *Gregoriano* est *specialiter efficax*. Quapropter hoc alterum altare *privilegiatissimum* appellatum fuit, non ex fructu in se, sed ex eiusdem fructus applicatione, quatenus nempe « facilius, plenius, citius sortiatur effectum ». Quod hactenus diximus, valet etiam pro altaribus « ad instar »: destinatio enim eiusmodi altarium a S. Sede facta est, cuius potestas in hac re haud est in dubium revocanda.

Ad III. *Potestne Missa Gregoriana celebrari pro vivis, et daturne nunc temporis privilegium altaris Gregoriani?*

Resp. Ad dubium propositum: « An Missae, quae *Gregorianae* appellantur et quae pro defunctis sunt celebrandae... pro vivis etiam celebrari valeant? », S. R. C., die 24 augusti 1888, respondit: « Negative ». Pro altaribus autem privilegiatis non sic. Inscriptio, quae reperitur in aliquibus altaribus, huius tenoris: « Altare privilegiatum pro vivis et pro defunctis », interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in altari de quo agitur, Missae sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his S. Sacrificium applicetur, intelligatur concessa plenaria Indulgentia: pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii (S. C. Indulg. 25 aug. 1897). Per decretum autem S. Officii (14 decemb. 1912 ad VII) nunc temporis et deinceps altaria *Gregoriana* non amplius conceduntur. Et ad dubia: Utrum concedatur privilegium personale altaris *Gregoriani ad instar?* Quid dicendum de concessionibus altaris *Gregoriani* personalis forsitan iam factis? », eadem S. Congr. S. Off., die et anno, de quibus supra, rescripsit: « Ad I. Negative. Ad II. Habeantur ut merae concessiones altaris personalis simpliciter privilegiati ». Notetur etiam, quod, ex hodierna praxi, neque altare privilegiatum pro vivis amplius conceditur.

Ad IV. *Ut sit altare privilegiatum, debetne esse fixum an mobile; praeterea possuntne consecrari altaria de schisto aut alia materia, quae vulgo dicitur « di cemento armato »?*

Resp. Ut indultum altaris privilegiati obtineri possit, fixum sit oportet, eo tantum sensu quod sit inamovibile; praeterea alicui mysterio vel Sancto specialiter sit dicatum, etiamsi sit ligneum cum solo sacrato lapide in medio et muro minime firmatum (S. C. Indulg. 18 iul. 1902). Multae disceptationes autem factae sunt circa materiam de qua altaria efformari debent. Altaria e *cemento armato*, uti vocaut, nequeunt consecrari, quia mensa, sive tabula altarium esse necessario debet ex naturali petra vel lapide. Unde admittuntur ex *schisto*, quia haec materia est reipsa massa natu-

ralis, est vera petra aut lapis; est similis massae terreae ex ergii.ı seu creta, sed semper petra vel lapis: non tantum enim requiritur firmitas compaginis materiae, quantum opus *naturale*, quod solum Christi personam significare potest. Quomodo enim sensus symbolicus haberi posset de illis verbis « de lapide vivo, summo, electo et pretioso », si lapis esset artificio compactus? Quapropter S. R. C., istis argumentis freta, cum decreto die 29 apr. 1887, declaravit retineri posse altare e *schisto* confectum, numquam autem permisit, quamvis saepe saepius efflagitata, ut consecrarentur altaria de *gypso;* neque ex hoc deduci potest licitum esse altaria consecrari de illa materia vulgo dicta « cemento armato ».

Quaestio.

Laurentius, gravi morbo affectus, e vivis excessit in hospitali Domo infirmorum, quae extra suae paroeciae limites exsurgit; parochus autem eiusdem loci, ubi ipse decessit, Missam exsequialem celebrat, eiusque cadaver ad coemeterium effert.

Qua re cognita, nonnulli consanguinei iterum atque iterum parochum Laurentii efflagitant, ut etiam in sua ecclesia Missam celebret exsequialem pro defuncto.

Quaeritur ideo :

1. *Quomodo potest parochus istorum desiderio obtemperare, cum iam peracta sit Missa exsequialis pro defuncto?*

2. *Cuinam ex duobus parochis, ad tramitem iuris, competat ius funerandi, ut in casu?*

Solutio.

Ad I. *Quomodo potest parochus istorum desiderio obtemperare, cum iam peracta sit Missa exequialis pro defuncto?*

Resp. « Exequiae, Missa exequialis, funus » liturgico sensu idem sonant; denotant enim summam illam rituum et precum funebrium, quae simul cum Missa de requie exercentur et recitantur in morte aut depositione alicuius defuncti in suo feretro. Ecclesia, quo magis foveret et excitaret fidelium pietatem erga defunctos, specialia et insignia privilegia concessit. Ut autem haec privilegia, quae *una vice tantum* pro unoquoque defuncto conceduntur, valorem habeant, primum omnium requiritur praesentia physica aut saltem moralis cadaveris in ecclesia, ubi Missa exequialis celebratur. Rebus sic stantibus, si Laurentii consanguinei, ut in casu, velint funebria denuo celebrare, ubi ipse decessit, cum omnibus ritibus et precibus ut in die depositionis et etiam cum Missis de requie lectis, parochus non permittat; Missa enim exequialis cum privilegiis ab Ecclesia concessis iam fuit celebrata, nec potest rursus cantari pro eodem defuncto, iuxta decretum S. C. Conc. die 16 apr. 1853: « absque indulto non licere ». Si autem consanguinei velint tantum renovare suffragia solemnia pro defuncto, tunc parochus celebrare ea potest, iuxta normas ab Ecclesia praescriptas.

In nostro casu igitur, ut possit parochus obtemperare desideriis consanguineorum Laurentii, Missam cum cantu laudabiliter die III, vel VII, vel XXX celebret; et expleta Missa, absolutionem ad tumulum impertiat.

Ad II. *Cuinam ex duobus parochis, ad tramitem Iuris, competat ius funerandi, ut in casu?*

Resp. Exorta controversia inter capellanos Domus hospitalis Maioris Bononiae et parochum S. Mariae Charitatis, in cuius paroeciae finibus est sita Domus hospitalis, circa ius funerandi pro illis qui decedunt in pio hospitio, die 24 ianuar. 1857 in S. C. Conc. discussum fuit dubium: « An capellano hospitalis (uti supra) competat ius ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium, seu potius spectet ad parochum in casu? »; et ita decretum fuit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

Cum igitur, ut patet non capellanis piae Domus hospitalis, sed parocho defuncti statutum fuerit pertinere ius funerandi, exorta est praeterea alia quaestio: utri parochorum spectet praefatum ius, parocho nempe, in cuius paroeciae finibus sita est pia Domus hospitalis, an illi, cui pertinet per domicilium defunctus. Petitum igitur fuit, pro hac nova quaestione, oraculum S. Sedis dubio sequenti: « An et cui competat ius funerandi in casu? » Et eadem S. Congregatio, die 14 maii 1881, decrevit: « Affirmative parochis domicilii defunctorum », quo statutum fuit non parocho, in cuius paroeciae finibus pia Domus hospitalis sita est; sed illi cui pertinet domicilium defuncti ius funerandi spectare; nisi aliam ecclesiam ad funus elegerit. Exceptis tamen infirmis incurabilibus, quibus nulla spes adsit sanitatem recuperandi, et ex hospitali exeundi, tunc absque dubio parocho loci, in cuius finibus sita est Domus hospitalis, ius competit funerandi. En igitur gravissima argumenta quae eiusmodi ius fulciunt. Ius, ut dicam, *parochialitatis*, oritur ex mutuis relationibus et officiis quae intercedunt inter parochum eiusque filianos: parochus administrare debet, filiani Sacramenta recipere. Ex quibus sequitur, ius funerandi non promanare ex materiali loco decessus, sed contra ex officio spirituali quod parochus exercet erga suos filianos, quamdiu vivunt. Improprie dicitur territorium pertinere parocho; iurisdictio enim, vel potius parochiale eius officium non loco adnexum est, uti est Episcopi iurisdictio, sed totum innititur et fundatur in personis filianorum. Quare parochus iurisdictionem non habet super alienum filianum, qui ad tempus et infirmitatis causa, ut in casu, in sua paroecia moratur; habet contra eamdem iurisdictionem in suos filianos ubicumque sint, ita ut possit etiam eorum confessiones excipere. Si defuncti in Hospitalibus et in quibuscumque hospitiis, quamdiu in ipsis vixerunt, domicilium suum vel quasi-domicilium in ipso loco non statuerunt, eorum exequiae suis propriis parochis pertinent (Gennari: Quist. Canon. p. 662, n. 518; p. 133, n. 90).

Ex quibus omnibus sequitur, ius funerandi spectare exclusive parocho Laurentii, ut in casu. Quod si autem Laurentius, antequam e vivis excesserit, voluntatem suam manifestaverit, ut sepeliretur in coemeterio, ut ex antiqua civili praxi, piae Domus hospitalis, tunc Laurentii parocho, ad tramitem iuris, « quarta tantum funerum » competeret (Acta S. Sedis vol. X, p. 508).

Novitas tamen ferocis belli, quod in universa exarsit Europa, novam induxit praxim Ecclesiae, quae tamen, nisi novae dispositiones, emanentur, vigorem habet, ut ita dicam, transcurrentem, donec scilicet huiusmodi gentium et populorum hostiliter pugnantium conditiones permaneant. Sacra enim Congregatio Concilii, die 7 iulii 1915, rescribendum censuit: « Dum ardet praesens bellum, capellanis castrensibus, qui in hospitalibus nunc pro militibus vulneratis aut aegrotantibus erectis inserviunt, exclusive competit ius funerandi, quoad milites, qui in praedictis hospitalibus decedant, dummodo exsequiae peragantur in sacello hospitalis, et cadaver, uti in Regularium exsequiis, sine pompa efferatur ad coemeterium »: quoad illud autem *sine pompa,* non intelligitur quod capellani prohibeantur stolam induere, crucem erigere, cadaver efferre luminibus accensis et sonitu campanarum funebri, secus non Ecclesiae catholicae, sed sectae protestantium funus videretur.

Notetur igitur solutionem nostram valere de iure communi.

Quaestio.

In Cathedrali ecclesia civitatis *B,* cuius titulus est *Conversio Divi Pauli Apostoli,* qui est idem *patronus principalis* civitatis eiusdem, et in ceteris ecclesiis, in ipsa urbe existentibus, atque aliis Sanctis dicatis, quando recitatur in Missis oratio *A cunctis,* ad literam *N.* invocari solet nomen *Divi Sebastiani, patroni minus*

principalis totius dioecesis: in ecclesiis vero dioecesis addi solet, ad literam *N.* in praefata oratione, tam in Missis, quam *in Suffragio* Officii, aut *patronus* pagi, ad libitum, aut Sanctus titularis paroeciae vel ecclesiae, in qua celebrat aut addictus est quisque sacerdos, vel uterque. Quaeritur ideo:

1. *Estne legitimus, et iuxta Liturgiae canones, usus, de quo supra, qui invaluit tam in Cathedrali, quam in ecclesiis civitatis* B. *necnon in ceteris dioecesis ecclesiis?*

2. *Qui Sanctus a sacerdote invocandus est ad litteram* N. *in privata recitatione divini Officii, et quaenam certa regula servanda est in prima et altera quaestione?*

Solutio.

Ad I. *Estne legitimus, et iuxta Liturgiae canones, usus qui invaluit tam in Cathedrali quam in ecclesiis civitatis B., necnon in ceteris dioecesis ecclesiis?*

Resp. Ante solutionem quaesiti pauca sunt praenotanda. *Patronus* et *titulus*, liturgice loquendo, saepe ab aliquibus scriptoribus confunduntur, ipsi tamen differunt inter se. Loquendo de ecclesiis, nomen *tituli* seu *titularis* rite usurpatur, quia ecclesia, in ipsa benedictione vel consecratione, suum nomen ab eo canonice derivat. Ex novis Rubricis in oratione *A cunctis*, ad litteram *N.* exprimendum est *tantum* nomen *Sancti titularis ecclesiae in qua Missa celebratur,* non autem *patroni,* maioris aut minoris, loci, neque nomen titularis ecclesiae celebrantis, neque titularis Ordinis, ad quem potest pertinere celebrans regulari Ordini adscriptus.

Si fuerint plures alicuius ecclesiae titulares ex.gr. s. Silvester Papa et Martinus Episcopus, omnes nominandi sunt. Quod si de Sancto titulari celebranda sit Missa, vel sit ex illis, qui in dicta oratione exprimuntur, omittenda est, in dicta oratione, eius nova nominatio; et, hoc casu, ad lit-

teram *N.* vel nullus exprimendus, vel, loco titularis ecclesiae, nominri potest patronus principalis loci, si vigeat consuetudo.

Ex hoc eruitur: 1° Quod in Cathedrali *B*, ad litteram *N.* in oratione *A cunctis*, nullus alius Sanctus nominandus est, et omittenda idcirco sunt verba *ac Beato Sebastiano*, utpote quia iam ibi commemoratur Divus Paulus Apost., qui est *titularis*, et non licet eum repetere; nec licet commemorare Beatum Sebastianum, cum non sit nec patronus maior et principalis loci, nec titularis ecclesiae, iuxta autem nostram opinionem, servatis servandis, si existeret vetus consuetudo approbata haec poterit servari; 2° in ecclesiis vero civitatis *B.* regulis liturgicis aperte contraveniunt celebrantes nominando in dicta oratione Beatum Sebastianum; cum contra, rite et iuxta rubricas, nominandus est Sanctus cui unaquaeque ecclesia est dicata, etiamsi non sit consecrata, sed solum solemniter benedicta (S. R. C. 28 nov. 1891); 3° idem dicendum est de ecclesiis eiusdem dioeceseos.

Ad II. *Qui Sanctus a sacerdote invocandus est ad literam N. in privata recitatione divini Officii: et quaenam certa regula servanda est in prima et altera quaestione?*

Resp. Certum est de praecepto in Suffragio, statutis temporibus, post Laudes et post Vesperas, fieri debere commemorationem *titularis* propriae ecclesiae.

Ad rem citamus verba clariss. Piacenza, quae referuntur in Ephem. Liturgicis ann. 1912, pag. 95: « Ad maiorem simplicitatem inducendam in Officio, et etiam ut magis conveniat cum commemoratione in Missa, statutum est, quod unum tantum Suffragium fiat, adhibendo antiphonam, quae ad B. Virginem Mariam et ad omnes Sanctos dirigitur; et oratio missalis *A cunctis*, in qua ad literam N. exprimi debet nomen s. Titularis propriae Ecclesiae. Quod si aliquis nulli Ecclesiae sit adscriptus, neque ratione beneficii, neque ratione ministerii ex deputatione Ordinarii, bene exprimere potest nomen Titularis propriae paraeciae (1).

(1) Huic postremae sententiae *Redatio* non favet.

Quaestio.

Franciscus, parochus, ut solemniores reddat dies, qui in anno incidunt, festos, sine ulla rationabili causa, duas Missas, et amplius, eodem die, de eodem Sancto, in eadem ecclesia, magna qua fieri potest pompa, solemnibusque cantibus, celebrandas curat. Quaeritur ergo:

1. *Licetne ex S. Liturgia eiusmodi consuetudinem servare?*

2. *Quaenam sunt Constitutiones circa Rubricam Missalis in eo quod pertinet ad plures Missas in Choro canendas, ratione habita praesertim recentis Bullae* Divino afflatu?

3. *Possuntne plures Missae cantari de requie eodem die, pro eodem defuncto, et in eadem ecclesia,* absente cadavere?

Solutio.

Ad I. *Licetne ex Liturgia eiusmodi consuetudinem servare?*

Resp. Ex decreto generali S. R. C. diei 30 iunii 1896 n. 3921, arguitur id quod sequitur: « Plures Missae de eodem Sancto, vel Mysterio eadem die atque in eadem ecclesia prohibitae, illae sunt quae, praeter conventualem, numquam in collegialibus ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Eapropter praefatae Missae, sive ad petitionem fidelium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non sunt vetitae ».

Ex decreto posteriori autem, diei 12 iulii 1901, eruitur: « Quando chorale officium non persolvitur, non prohibentur plures Missae cum cantu de eodem Sancto vel Mysterio

cum tamen iusta adsit causa ». Qua de re reprobanda est Francisci consuetudo, qui, *sine ullo rationabili motivo*, propter quamdam nescio solemnitatem, permittere solet ut duae vel plures Missae canantur, ut in casu. Solemnitas alicuius diei festi est potius reponenda in fidelium frequentia ad Sacramenta poenitentiae et eucharistiae suscipienda, necnon in divino verbo audiendo piisque precibus in communi exercendis. Habita etiam ratione quod Ecclesia, post complura decreta contraria, iustis et rationabilibus motivis benigne concesserit facultates quasdam; oportet tamen ut sacri ministri cum sobrietate et moderatione eis utantur, ne ingeneretur in fidelibus fastidium inutiliter functiones augustiores et solemniores repetendo cum detrimento illius religiosi silentii ac sanctae pietatis, quae domum Dei viventis decent, ipsam convertendo in aulam profanam, conventum curiosorum, ubi concentus exercentur, qui saepe saepius sanctis Ecclesiae legibus aperte contradicunt.

Ad II. *Quaenam sunt Constitutiones circa Rubricam Missalis in eo quod pertinet ad plures Missas in Choro canendas, ratione habita praesertim recentis Bullae « Divino afflatu ?* »

Resp. Iuxta Missalis rubricas, quandoque, cum duo officia in die cum Missa propria occurrerant, uti in Quadragesima vel in Vigiliis, in Choro duae illae Missae cantari debebant. Hodierna praxi tamen, post Bullam « Divino afflatu » hoc statutum est: « In ecclesiis, in quibus adest obligatio Chori una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant. Aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicam ». Excipiuntur ab hac regula aliqui dies omnesque Missae de fundatione, uti patet ex ipso capitulo (Tit. XII).

Ad III. *Possuntne plures Missae cantari* de requie *eodem die, pro eodem defuncto et in eadem ecclesia,* absente cadavere?

Resp. Plures Missae *de requie* cani non possunt pro eodem defuncto, in eadem ecclesia, eodemque die, etiamsi per

mittente ritu. Similiter et in die depositionis alicuius defuncti, etsi pluralitas Officiorum toleretur, nullo modo pluralitas Missarum indulgetur. Fas est ex integro huc Decretum S. R. C. ad *Tuden.* exponere: « In die depositionis aliquorum defunctorum, cantato Officio et Missa de requiem praesente cadavere, mos invaluit in aliquibus ecclesiis, quod etiam in duplicibus minoribus et etiam aliquando maioribus, adhuc praesente cadavere, cantentur iterum duo vel tres Nocturni defunctorum atque totidem Missae de requiem; ita ut una eademque die celebrentur Officium et Missa de die obitus, de die tertia, septima et trigesima a depositione defuncti. Quaeritur: An talis consuetudo liceat in diebus duplicibus minoribus vel maioribus, adhuc praesente cadavere; vel sit tollenda utpote contraria pluribus decretis Sacrae Rituum Congregationis? » Et s. Tribunal die 23 maii 1846, n. 3916 ad 11, respondit: « Tolerandam, quoad Officium defunctorum; tollendam, quoad Missas; quae unica esse debet, iuxta decreta alias edita ». Aliis diebus, 3° scilicet, 7°, 30° et anniversario, similiter una solum Missa cani potest in duplicibus (dd. 2915; 2 sept 1903); diebus vero liberis vel non privilegiatis, plures cantari possunt Missae sed non pro eodem defuncto (d. 3472).

Quaestio.

Donatus, parochus, recens in suum officium immissus, cum, quadam die, visitaret altaria suae ecclesiae, quorum alia consecrata, alia tantum altari portatili munita, unum reperit cum operculo urnulae seu parvi sepulchri parum firmo et vacillanti, aliud partim ruptum, aliud denique cum laesione in cornu Evangelii: quare opportunum ei videtur remedium afferre omnia haec restaurando cum paullo caementi. Volens insuper ardenti sui populi desiderio obtemperare, imaginem prin-

cipalem cuiusdam altaris cum alia substituit, suae conscientiae quietem praebens regula illa liturgica fretus: « Concursus populi ad celebrandum aliquem Sanctum, aut Mysterium, semper ab Ecclesia habitus est tamquam bona causa »; transfert denique mensam alicuius altaris, quae humiditate marcescit, in alium locum magis siccum et commodum. Quaeritur ergo:

1. *Quale dicitur* altare fixum, *quale* portatile; *et licetne transferre unum aut alterum in locum diversum quin dissacretur?*

2. *Licetne substituere imaginem et titulum altaris, necnon titulum alicuius ecclesiae?*

3. *Quid dicendum de Donato?*

Solutio.

Ad I. *Quale dicitur altare* fixum, *quale portatile, et licetne transferre unum aut alterum in locum diversum quin dissacretur?*

Resp. Altare (ab *alta ara*) in quo sanctum Missae Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo, a Cardinali, sive ab Abbate facultatem a Sede Apostolica habente, consecratum: vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo, vel alio ut supra, consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit oportet, ut Hostiam et maiorem partem Calicis capiat. Cardinalibus, episcopali charactere destitutis, sed presbyterali insignitis, recentissime concessa est facultas, uti supra, nempe altaria consecrandi.

His positis: altare potest esse *fixum* seu immobile, vel *portatile* seu mobile. *Fixum* dicitur si mensa lapidea cum stipite similiter lapideo ita coniungitur, ut mensa et stipes quid unum efficiant. Mensa absolute constare debet unico et integro lapide; pro stipite sufficere possunt quatuor columellae in angulis, dummodo et hae sint ex lapide et ta-

lem soliditatem exhibeant, qua altare nullimode moveri possit (S. R. C. 6 nov. 1908). Eo in casu unctio Chrismatis (in consecratione), in modum Crucis, fiat in fronte, seu in medio spissitudinis anterioris mensae (decr. cit.). Non potest autem consecrari ad instar altaris fixi, cuius mensa sustentatur solum marmoreis columellis positis in fronte et in lateribus, subtus vero et a parte posteriori vacuum et apertum est « ad recipiendam arcam ligneam, quae inservit paramentis asservandis » (S. R. C. 20 decem. 1890); si ad hunc usum non sit destinatum, illud consecrari potest (6 novemb. 1908). Quoad mensam altaris *fixi*, eius latitudo, a fronte ad gradum candelabrorum, sit oportet septuaginta circiter centimetra; eius longitudo ad ecclesiae et sacelli mensuram dimetiatur, idest a metris tribus ad metrum unum et cent. circiter septuaginta; altitudo tandem, a suppedânei planitie, metrum unum sit aut metrum unum et vix aliquot centimetra. Suppedaneum, pro altaribus, in genere, ex communiori consuetudine, longitudinem non excedat mensae altaris, sed inferiores gradus suppedaneum et mensam ipsam circumeant. Sint oportet gradus et suppedaneum aequalis altitudinis, quatuordecim circiter centimetra; suppedaneum, quod et dicitur predella, latitudinis circa septuaginta quinque centimetra. – Altare *portatile*, seu *ara portatilis* vel simpliciter *ara*, est simplex lapis consecratus, qui absque nexu, mensae sive ligneae, sive ex alia materia confectae, inseritur. Altaria portatilia, quae sunt ex lapide, non quidem marmoreo, sed duro et compacto, idonea pro Sacrificio haberi possunt; non vero ea quae ex lapide pumiceo sive ex gypso constant. Insuper lapides sacri, quorum sepulchrum, non in medio, sed in eorum fronte effossum fuit, in posterum non sunt admittendi (S. R. C. 13 iun. 1899).

Altaria portatilia habeant spissitudinem trium saltem centimetrorum. In Visitatione Apostolica, nuperrime Romae habita, ita praescriptum est: « Altaria portatilia debent esse ad minus triginta tria longitudinis et vigintisex centimetrorum latitudinis ». Pro valida consecratione altaris, non

tamen legi conformi, sufficit ut in sepulchro includantur Reliquiae unius Sancti Martyris, cum SS. Confessorum aut Virginum Reliquiis vel non (S. R. C. 16 febr. 1906). In sepulchro altaris *fixi* clauduntur Reliquiae in capsula quadrata cum operculo simili ex lamina plumbea vel argentea: sit autem tam ampla ut SS. Reliquias, grana tria incensi, et istrumentum consecrationis, in pergamena charta scriptum, capere valeat, et suo operculo clausa ac sigillo episcopali munita in sepulchro facile recondi possit. In sepulchro vero altaris *portatilis* reconduntur Reliquiae (non praescribitur vasculum) et tria grana thuris, urnula vero clauditur ab Episcopo mediante caemento ad hoc benedicto cum parvulo claustro lapideo. Sigillum Episcopi super parvum sepulchrum apponi non debet (S. R. C. 10 maii 1890).

Quando in altari lapis sepulchri firmus non invenitur, sed certo constat numquam fuisse amotum, Episcopus potest per se (vel per alium, si obtinuerit facultatem subdelegandi), quin lapis amoveatur, firmare novo addito caemento, prius, iuxta Pontificale Romanum, benedicto: ita plura decreta. - Altare autem tam *fixum* quam *portatile*, consecrationem amittit, si sepulchrum aperiatur, si huius operculum rumpatur, si lapis notabiliter frangatur, ita ut una ex crucibus, sacro Oleo delibuta, separetur; et insuper, quoad altare *fixum*, si mensa a stipite amoveatur, etsi tantum pro una alterave causa sublevetur vel ad momentum: ita ex pluribus decretis S. R. C. Dissacrato altari *fixo*, si commode consecratio denuo peragi nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur ad instar altaris portatilis (S. R. C. 10 nov. 1906). Quod si agatur de ecclesia consecrata et nullum altare remaneat *fixum* consecratum, aliud altare, etiam minus principale (S. R. C. 31 aug. 1872), quamprimum fieri poterit, rite consecretur: ratio est quia unum aut pluria altaria fixa et consecrata, absque ecclesiae consecratione, esse possunt; non autem ecclesia consecrata absque uno saltem altari propter integritatem actus: siquidem ecclesia dedicatur et consecratur propter altare.

Ad II. *Licetne substituere imaginem et titulum altaris, necnon titulum alicuius ecclesiae?*

Resp. Maxime consonum est Ecclesiae legibus in altari fixo consecrato, sive maiori, quam minoribus, collocare imaginem illius Sancti, in cuius honorem solemniter consecratur et dicatur, ne illius memoria depereat, a quo tamquam peculiari titulo nuncupatur: alterius autem Sancti imaginem in hoc altari consecrato, festorum occasione tantum, apponi licet, sed stabiliter absolute prohibetur; quinimo titulus altaris fixi, absque indulto apostolico, mutari nequit: ita ex decreto S. R. C. 27 augusti 1836, n. 2752 ad 7. Quod si agatur de altaribus ut portatilibus non consecratis, licet aliquando mutare titulum aut eis desuper aliam tabulam pictam aut simulacrum collocare, dummodo fiat de licentia Ordinarii et non sit altare iurispatronatus cum expressa obligatione a patrono praescripta servandi eumdem titulum: quo in casu hic servari debet in obsequium tabulis fundationis, quibus Romanus Pontifex tantum derogare potest. Et si in altari consecrato, contra decretum expositum, apponitur alia imago alterius Sancti, ut visitantes huiusmodi altare « lucrari possint Indulgentias concessas visitantibus altare postremi huius Sancti », S. R. C. decretum censuit: « Si altaria sint consecrata, negative; secus affirmative, dummodo fiat de licentia Ordinarii » (12 novemb. 1831 ad 56 in veteri collectione). Ex quo desumi videtur Indulgentiam minime lucrari visitantes hanc imaginem in hoc altari, non proprio, expositam. Altare autem reaedificatum loco altaris privilegiatis destructi cum eodem titulo, in eodem loco vel in eadem ecclesia, privilegium non amittit (S. Indulg. Congr. 18 iul. 1712-24 aprilis 1843). Item dicendum est de titulo ecclesiae consecratae vel tantum solemniter benedictae, cuius titulus, absque Indulto apostolico (quod ordinaria praxi minime conceditur), mutari nequit ab auctoritate ordinaria (S. R. C. 6 septembris 1834-27 augusti 1836). Si autem ecclesia ex toto destruatur aut in perpetuum dissacretur, seu loci sacri qualitate amissa, in usum profanum convertatur, ita ut ite-

rum benedici aut consecrari oporteat, perit etiam titulus, ac de eo nihil amplius fit, nisi ipse, quod maxime convenit, restituatur: sin vero erigatur sub alio titulo, tunc priore amisso, vel *retento tamquam contitulari*, posterior vigeat, uti S. R. C. die 16 maii 1885 censuit pro pago vulgo *Casamicciola* post collapsum templum S. Mariae Magdalenae vi terraemotus.

Ad III. *Quid dicendum de Donato?*

Resp. Ex his quae supra declaravimus, primo et secundo huius quaestionis quaesito respondendo, patet Donatum male se gessisse. Debebat, si oporteret, altaria suae ecclesiae cum caemento restaurare, praevia facultate *subdelegandi* a proprio Episcopo a S. Sede impetrata, eique collata, et cum caemento ab eodem Episcopo benedicto. Quare cum ageretur de operculo urnulae fatiscenti, absque alicuius culpa, sed ob temporis vetustatem, poterat quidem ipse Donatus cum caemento illud firmare, modo tamen nuper descripto. Cum ageretur vero de operculo sepulchri penitus aut partim fracto, sive ad altare portatile pertineret, sive ad altare fixum et consecratum, hoc, uti diximus, veluti dissacratum considerari debebat.

Quod vero laesionem inventam in cornu Evangelii in uno de altaribus (fixo et consecrato vel in altari portatili), si laesio notabilis erat, ita ut divideret et separaret unam ex crucibus in angulis positis, quae sacro Oleo in consecratione unctae sunt, eiusmodi altare, fixum vel portatile, considerari debet pariter dissacratum. Similiter debet Donatus retinere uti dissacratam mensam ab eo translatam, vel legitimo motivo, in alium locum, quando eiusmodi mensa pertinebat ad altare fixum et consecratum. Si autem erat mensa, solo altari portatili munita non poterat idem Donatus transferre altare e loco ad locum absque Episcopi licentia. Denique ad imaginem principem unius ex altaribus, fixi vel portatilis, aliquam imaginem substituere Donatus non poterat: nam si altare erat consecratum, non licebat sine indulto apostolico, quod semper fere negatur; si autem

altare munitum erat tantum lapide sacro, poterat obtemperare desiderio populi, praevia licentia Episcopi, dummodo tamen non esset iurispatronatus cum obligatione expressa patroni servandi praescriptum titulum.

Quaestio.

Lucius parochus, viva pietate flagrat pro animabus in Purgatorio degentibus. Quare, suo arbitrio interpretatus praescriptiones, quae in Missali *(Ritus celebr. Miss. tit. XIII, n. 4)* continentur, saepius solet, post Missam lectam *de requie* aut *de vivis*, eadem casula nigri coloris, aut pluviali nigro indutus, si *de vivis* celebrat, absolutionem impertire aut ex eodem altari, aut prope tumulum, incenso non adhibito: tenet insuper, uti sub praecepto praescriptam, absolutionem ad tumulum post Missam in cantu *de requie*, et, in sacristiam rediens, solet, suae devotionis gratia, et quidem non semper, alternatim cum Clero recitare Antiph. *Si iniquitates,* cum psalmo *De profundis* et oratione *Fidelium*. Praeterea cum in solemni die *Commemorationis Defunctorum* incidat, in eadem ecclesia, solemnis expositio SS. Sacramenti, idem Lucius licitum et legitimum tenet Missam celebrare defunctorum in alio altari cum paramentis nigri coloris, uti ex currenti rubrica. Quaeritur ergo:

1. *In quo differt absolutio feretri ab absolutione ad tumulum, et in his absolutionibus quaenam est sub praecepto praescripta; in duobus vero casibus, de quibus supra, debentne adhiberi pluviale et incensum, an non?*

2. *Potestne impertiri, eodem die, in eadem eccle-*

sia, et pro eodem defuncto, altera absolutio? quinam est locus adsignatus sacerdoti celebranti pro singulis casibus, et estne absolute necessarius sacerdos celebrans ad illam impertiendam?

3. *Quid dicendum de Lucio?*

Solutio.

Ad I. *In quo dieffret absolutio feretri ab absolutione ad tumulum; et in his absolutionibus quaenam est sub praecepto praescripta; in duobus vero casibus debentne adhiberi pluviale et incensum, an non?*

Resp. Absolutio ad feretrum differt ab absolutione ad tumulum in eo quod ista locum habet post Missam, *absente*, illa autem *praesente cadavere*. Absolutio post Missam ad tumulum, *absente cadavere*, non est praeceptiva: « Finita Missa, si facienda est absolutio », ita Missale rom. (Ritus celebr. Miss. tit. XIII, n. 4), qui loquendi modus obligationem non parit. In officio autem exsequiali, praesente corpore, absolutio praeceptiva est: ita ex Rit. rom. (tit. VI, c. 4, n. 18). Absente corpore, dari potest obligatio absolutionem faciendi ab varias rationes, ex. gr. ob stipendium vel legatum sub tali onere relictum (d. 3369[2]). Absolutio post Missam fieri potest quoties Missa de requie celebrari potest. Post Missam de tempore vel de Sanctis, etsi pro defunctis applicata, absolutio fieri vetatur; etiamsi post eam nigra paramenta assumpta sint, nisi absolutio fiat omnino independens a Missa; et, hoc in casu, dummodo sacerdos eam peragat sine Ministris paratis (12 iulii 1892, 1° maii 1912). Circa consuetudinem autem inveteratam solemnia defunctorum suffragia adsignandi dominicis aliisque diebus festis, eaque peragendi, constituto tumulo in medio ecclesiae, ante Missam parochialem, quae canitur vel legitur de dominica vel de festo occurrente, S. R. C. die 16 febr. 1900, n. 4052 censuit: « Relate ad officium defunctorum permitti posse, nisi agatur de do-

minicis et festis maioris solemnitatis: circa tumulum vero obstat decretum Montis Regalis, n. 3201, diei 20 mart. 1869: hinc paulatim et prudenter eliminandus est abusus » (1). Ex his colligitur: 1° cantari potest officium defunctorum et absolutio ad tumulum quotidie peragi, etiam in diebus funeribus vetitis, exceptis tamen festis 1ae classis et dominicis; 2° in diebus 1ae classis non licet absolutionem ad tumulum impertire ne privatam quidem; 3° in diebus permissis, in quibus Missa diei occurrentis cantari debet, absolutio non est stricte facienda post Missam ut ipsa veluti Missae continuatio retineri possit; sed ea peragenda sane est independenter a Missa. Absolutio autem fieri haud potest absque tumulo aut lectica, vel saltem lodice funerea explicata ante gradus altaris, nec sine pluviali nigri coloris et incenso (5 mart. 1904); in defectu pluvialis, celebrans, iuxta Rubr. Miss., manet sine casula et manipulo, in alba nempe et stola transversa: crux processionalis, pro defuncti absolutione, semper est deferenda, quamvis feretrum in choro sit positum; et absente corpore et etiam absque Ministris, celebrans, in aspersionibus et incensatione, tumulum circumire debet (20 iun. 1899).

Ad II. *Potestne impertiri eodem die, in eadem ecclesia et pro eodem defuncto altera absolutio? quinam est locus assignandus sacerdoti celebranti pro singulis casibus, et estne absolute necessarius sacerdos celebrans ad illam impertiendam?*

Resp. Non est liturgicae legis menti conforme pro eodem defuncto in ipsa die et ecclesia, plures peragere absolutiones, sicuti plures pariter exsequiales Missas canere: pro pluribus autem defunctis, sicut permissum est plures Missas de requie cantare, ita non repugnat plures absolutiones peragere.

Caeremoniale Episc. et Pontificale Rom. quinque quidem praescribunt absolutiones, sed pro officio pontificali

(1) Consulantur nihilominus decreta nn. 3780 ad 8, et 4183; nec non et decr. n. 4270, ex quibus permittitur, saltem ex indulto, absolutio maiori amplitudinem, servatis servandis.

tantum et solum pro primis exsequiis quae ad castrum doloris fiunt pro anima Summi Pontificis, Cardinalis, Episcopi proprii, Regis etc. Si absolutio post Missam fiat, idem qui eandem celebravit, excepto Episcopo dioecesano, absolutionem facere tenetur: non autem Episcopus titularis et iurisdictione destitutus nisi Missam ipse celebraverit (d. 9 maii 1893). In absolutione, *praesente cadavere*, celebrans se sistit ad pedes defuncti, inter altare nempe et feretrum, aliquantulum versus cornu Epistolae, ne altari tergum directe vertat, et ut Crucem subdiaconi respiciat. *Praesente corpore sacerdotis*, celebrans se sistit ad pedes defuncti, inter feretrum nempe et portam ecclesiae. *Absente autem corpore sacerdotis*, sistit inter altare et tumulum, excepto casu quo cadaver sit moraliter praesens (d. 20 iun. 1899); et tumulus *absente corpore sacerdotis, non moraliter quidem praesentis*, eodem modo est collocandus ac pro laico defuncto. Evenire tamen potest quod celebrans absolutionem peragere debeat ex altari, in quo Missam celebravit. Tunc ille, ea peracta, ad scamnum accedit in plano, in cornu Epistolae, ut planetam ac manipulum deponat et pluviale induat. Rebus omnibus dispositis, celebrans ascendit in laterali parte, et in cornu Epistolae sistit. Post versiculum *Requiem* etc. Responsorii *Libera me, Domine*, stans in eodem loco (d. 1° febr. 1907) thus ponit in thuribulum, iuxta solitum.

Ad rem notandum: *absente corpore*, dicenda non est oratio *Non intres*, quae recitanda tantum est quando cadaver sit realiter vel saltem moraliter praesens. Quod autem attinet ad conclusionem orationis in absolutione ipsa, etiam in die Commemorationis Defunctorum, sub brevi semper terminare oportet, iuxta Ritualis rubricam. In nova vaticana editione ponitur, ad rem, regula generalis valde simplex et commoda: « Conclusio longa orationum adhibetur tantummodo in Missa et officio, extra vero semper brevis ».

In reditu autem ad sacristiam, celebrans, recitare debet, non in cantu, alternatim cum clero vel clericis, vel per se, sive Missa celebrata fuerit pro uno, sive pro pluribus de-

functis. Antiph.[m] *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis* et in fine oratione *Fidelium:* quae preces omitti debent tantum in die *Commemorationis Omn. Fidelium Defunct.* (11 mart. 1899), et quotiesscumque celebratum est pro *omnibus Defunctis*, ob eaudem rationem.

Quod autem pertinet ad Missarum celebrationem in *Commem. Defunct.* cum SS. Sacramento solemniter exposito, permittitur Missas lectas, non autem in cantu, celebrare de requie, non vero in altari expositionis, non cum paramentis nigri coloris, sed violacei (dd. 3177-3864). Sed si extet in dicta die obligatio Missae conventualis cum cantu, vel suspendatur expositio tempore Missae de requie, quod non putamus nocere Indulgentiis orationi XL horarum adnexis; vel Missa conventualis, debita cum licentia, legatur, in colore violaceo, prout aliae; ratio enim huius derogationis videtur sufficiens in casu, nisi aliter per novas rubricas disponatur.

Ad III. *Quid dicendum de Lucio?*

Resp. Ex his quae singillatim exposuimus, clare patet Lucium male interpretatum esse, aut saltem non fuisse satis versatum in Ecclesiae rubricarum praescriptionibus.

Ille enim absolutionem peragere immediate post Missam lectam, *absente corpore*, nullatenus potest, nisi illis diebus, in quibus ipse *de requie* celebrat. Post Missam autem de requie in cantu, *absente corpore*, absolutio non est de praecepto, et potest etiam omitti, nisi celebrans sit devinctus dispositione fundatoris, aut stipendio sub tali onere relicto, quia tunc tenetur ex iustitia vel sola piaque voluntate fidelium. Post Missas vero *de vivis* potest eam facere, *absente corpore, independenter tamen a Missa*, uti diximus, exceptis omnino dominicis et duplicibus 1ae classis. Semper autem adhibere debet pluviale nigrum et incensum: extra Missam autem adhibendi non sunt Ministri parati etc. In diebus autem quibus a ritu Missa *de requie* non permittitur, uti supra, non licet constituere tumulum in medio ecclesiae dum Missa de festo celebratur, sed collocari ille debet in actu absolu-

tionis. Preces vero et psalmus *De profundis* praescripta sunt post absolutionem, plurali numero et sine cantu, in omnibus officiis *de requie*, nisi in die II novembris, et quando item agitur de *omnibus* Defunctis. Denique bene ipse se gerit Missam cum paramentis nigris in altari expositionis non celebrando: paramenta violacei coloris tamen adhibere oportebat.

Quaestio.

Sacerdos quidam S. Sacrificium celebrat calice et patena usus, quae cum fuerint iterum inaurata, tamen nondum ab Episcopo reconsecrata sunt. Quaeritur ergo :

1. *An calix non consecratus, ad Missae celebrationem adhibitus, remaneat consecratus, si cum eo Sacrum peractum fuerit?*

2. *Quid vicendum de usu, qui invaluit in processionibus B. Mariae Virginis Perdolentis vel, uti dicunt,* de Passione, *in quibus pueri et etiam puellae patenas et calices in usum Sacrificii addictos, afferunt?*

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA
IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*
AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Appetente die, et Benedicto XV Pontifici Maximo et catholicis omnibus admodum fausta, ob sollemnia sacra Iacobi maioris Apostoli, Patroni Eius caelestis, libet gratulationibus votisque humillimis nostris eximium quoddam adiungere ornamentum, subiecto memori titulo, qui per occasionem initi ab Ipso sacerdotii, non sine praesensione eventurae claritudinis, conscriptus est.

PETRE · APOSTOLORUM · PRINCEPS
QVEM · IN · ROMANA · SEDE · POPULOS · VERITATIS · LVCE
COLLVSTRANTEM · COLIMVS
TV · MIHI
IACOBO · DELLA · CHIESA · EX · ALMO · COLLEGIO · CAPRANICENSI
SACRIS · TVO · IN · ALTARI · TVASQVE · SUPER · EXVVIAS
PRIMVM · OPERANTI
DIE · NATALI · CHRISTI · DEI · A · MDCCCLXXVIII
PRAESENS · ADESTO
TV · MIHI
ADDE · ARDOREM
QVO · TVAE · POTESTATIS · IVRA
TVEAR · INTEMERATA · ET · INTEGRA
ET · FORTI · PECTORE · MALE · OMINATOS
HOSTIVM · IMPETVS · IN · PONTIFICES · MAXIMOS
CONTVNDAM

Gratulationis et benevolentiae gratia scripsit
ANTONIUS ANGELINIUS *e Societate Iesu.*

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

Solvitur dubium de SS. Numismatibus loco scapularium benedicendis.

DECRETUM.

Proposito dubio, quod sequitur, a R.mo Procuratore Generali Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum: « Utrum sicut sufficit primum scapulare (v. g. B. Mariae V. de Monte Carmelo), quod in adscriptionis actu induitur, benedicere, quin deinde alia eiusdem generis scapularia nova benedictione egeant pro eadem persona, ita etiam sufficiat primum numisma benedicere, quin alia numismata, quae primo deperdito vel usu detrito assumuntur, nova benedictione muniantur, vel utrum numisma toties sit benedicendum quoties, primo deperdito vel usu detrito, novum sufficitur? ».

E.mi Patres Cardinales Generales Inquisitores, in Congregatione habita feria IV, die 10 maii anni 1916, responderunt: « *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam ».

Quam dubii resolutionem SS.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Papa XV, in audientia R. P. D.

Adsessori S. Officii impertita feria v, die 11 maii eiusdem anni benigne approbavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsessor*.

Commentarium.

Clemens XI in suo Brevi 24 Novembris 1702 confirmat quoddam decretum, in quo dicitur, admissos ad aliquam canonice erectam confraternitatem *teneri prima vice* habitum, seu scapulare benedictum a Superioribus Religionis vel ab alio Sacerdote, cui dicta benedicendi facultas fuerit attributa (*S. Cong. Indulg. 19 Sept. 1850, Decr. auth., n. 350*). — Insuper ad dubium: «... Sacerdos habens auctoritatem benedicit iuxta normam praescriptam scapularia, quae in toto territorio per virum saecularem distribuuntur. Lucrarine possunt hoc modo indulgentiae?» S. Cong. Indulg. die 11 Aug. 1862 resp.: « Negative quoad devotos, qui *pro ingressu* in Societatem habitum benedictum de manu Sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt » (*Decr. auth. n. 397*).

Ex supradictis decretis iure merito deducuntur:

1° Ille qui rite semel adscripti Sodalitati vel scapulari induti, postea scapulare dimiserunt, non tenentur ad novam scapularis receptionem, si volunt indulgentias concessas lucrari, sed sufficit, ut scapularia ipsi denuo per se ipsos simpliciter resumant (*S. C. Indulg. 27 Maii 1857, Decr. auth. n. 379*).

2° Benedictio et impositio scapularis, a Sacerdote facultatem habente, tantummodo necessaria est *in prima receptione cuiuslibet scapularis*; nam semel debite indutus hoc habitu, et admissus (si locum habeat) in Confraternitatem respondentem, quilibet potest, si primum scapulare sit de-

tritum vel perditum, sibimet imponere aliud scapulare non benedictum.

Per diuturnum tempus exceptio habebatur pro scapulari SS.mae Trinitatis, quod toties quoties renovabatur, erat benedicendum (Cf. *Rescripta auth. S. Congr. Indulg., n. 29, p. 19 et p. 476 in nota*); sed huic legi Leo Pp. XIII per decret. S. C. Indulg. d. 24 Aug. 1895 derogavit (Vide *Anal. Iur. Pontif., an. 1895, pag. 491*).

Porro, pcstquam decretum S. C. S. Off. d. 16 Decembris 1910 (*Act. Apost. Sedis, vol. III, p. 22*) emanatum sit, vi cuius loco scapularis seu scapularium ex panno numisma metallicum, debitis conditionibus praeditum, deferri potest, quidam putarunt pro eiusmodi numismate idem privilegium vigere ac pro scapularibns ex panno, nimirum quod sufficiat ut primum numisma sit benedictum, quin alia numismata, quae primo deperdito vel usu detrito assumuntur, nova benedictione muniantur.

Pauci auctores hanc quaestionem tractarunt. Inveni solummodo cl. I. B. Menghini, qui in hisce Ephemeridibus, anno 1911, pag. 169, eam quaestionem sequentibus terminis solvit: « Sufficit adscriptus ad ss. scapularia, si primum tantum benedicatur, et in casu, de quo sub num. 18 sermonem fecimus, primum post susceptionem (Decr. auth. cit. n. 421); sed non ita pro numismate (saltem donec id ulterius concedatur); atque ideo, deperdito benedicto numismate, aliud similiter benedictum quaerendum est. Hoc saltem ad securitatem, quia cum agitur de Indulgentiis, non valent interpretationes privatae et extensiones de casu ad casum, praesertim quum interest privilegium ».

Quod autem alii auctores de hac quaestione non sunt locuti, est iuxta me ob sequentem rationem: per decretum S. C. S. Off. d. 16 Decembris 1910 ea quaestio iam soluta erat. In eo enim decreto permittitur tantum cuilibet fideli, postquam consueta forma unum vel plura scapularia ex panno rite susceperit, ut ipse, loco scapularium ex panno *deferat* unum numisma ad hunc effectum approbatum et

benedictum (1). Supponitur ergo quod scapularia ex panno iam sint debite benedicta et imposita. Non habetur itaque prima receptio scapularis seu scapularium *cum numismate approbato et benedicto*, et consequenter non adest paritas casuum: sed habetur solummodo substitutio istius numismatis loco scapularium ex panno *in delatione*, postquam quis debite indutus fuerit scapulari vel scapularibus ex panno. Ut autem quis eiusmodi numisma scapulari vel scapularibus ex panno sustituere possit in delatione, praefatum decretum explicite requirit, ut illud numisma quasdam conditiones habeat, et inter alias *ut sit rite benedictum ab eo qui ad hoc debita facultate polleat* (2).

Iure merito ergo S. Congr. S. Officii ad praefatum dubium respondit: numisma, quod in delatione scapularis seu scapularium ex panno substituitur, toties esse benedicendum, quoties, primo deperdito vel usu detrito, novum sufficitur.

P. V. ab A.

---

(1) Habetur exceptio pro militibus durante bello, uti patet ex sequenti indulto:

Ex audientia SS.mi d. 10 Novembris 1914: Benedietus Pp. XV « benigne indulgere dignatus est, ut omnes Sacerdotes, ex utroque Clero, licet nondum ad Confessiones adprobati, in utilitatem militum cuiusvis gradus, qui e nationibus sint bellum gerentibus, usque dum hoc idem bellum ardeat, singulis scapularium benedictionibus ditandi praescripta a S. Officio numismata plenam habeant facultatem, eaque libere omnino uti possint ac valeant *(quin tamen prima scapularia ex panno, uti par est, recipiendi lege, teneantur)*. Contrariis quibuslibet, iis nominatim quae statuta sunt in Motu Proprio d. 7 Aprilis anno 1910, minime obfuturis ». *(Vide Act. Apost. Sedis, vol. VI, pag. 673).*

(2) Insuper, si numisma primum benedicendum est, quamvis benedictum sit scapulare cui sufficitur, ita secundum, tertium etc. est benedicendum, secus etiam pro primo oportebat declarari non esse benedicendum, eo quod sufficeretur scapulari benedicto.

Red.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I.

DIOECESIUM TOTIUS ITALIAE ET INSULARUM ADIACENTIUM

De festo Translationis Almae Domus B. M. V.

Celeberrimum prae cunctis Marialibus Orbis Catholici Sacrariis promerito ac iure Lauretanum habetur, illudque fere sex abhinc saeculis Christifidelium praecipuae venerationis cultusque maximi cohonestatur significationibus: Domus, inquam, natalis Beatissimae Virginis Mariae, divinis mysteriis consecrata; ibi enim Verbum caro factum est. Felix ea Domus olim angelico fâmulatu e Palaestinae sacratis regionibus primum in Dalmatiam, inde Lauretanum in agrum Picenae Provinciae mirabiliter translata, atque in sinu Catholicae Ecclesiae collocata, perenni miraculorum virtute et caelestium gratia beneficiorum ditata supereminet. Mirificae vero huiusmodi Translationis festum, diei propriae, h. e. decimae decembris, exeunte saeculo decimo septimo adsignatum, in Ecclesiis memoratae Provinciae Picenae, ac sensim tum aliarum Italiae tum plurimarum exterarum totius Orbis regionum, cum Officio ac Missa propriis, usque ad annum millesimum nongentesimum decimum tertium sine intermissione quotannis rite celebratum fuit.

Quibus omnibus permoti, et concrediti gregis ferventia quoque vota, ne dicam, omnium catholicorum fidelium probe noscentes, cuncti Sacrorum Antistites dioecesium Provinciae Picenae, ne tanti Virginei Sa-

crarii cultus longe lateque diffusus sensim in dies aliquid detrimenti capiat, Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Pp. XV enixe precati sunt, ut festum Translationis Almae Domus B. Mariae Virginis pristino honori restituens, quotannis celebrandum concedere dignaretur.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV supplicia haec vota ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relata, peramanter accipiens, pro sua quoque spectata erga Deiparam pietate, decrevit, ut festum *Translationis Almae Domus B. M. V.* sub ritu duplici maiori a singulis Italiae et insularum adiacentium dioecesibus, necnon ab Ordinibus Regularibus et Religiosis Familiis etiam proprio Kalendario utentibus atque intra fines earum Dioecesium commorantibus, die decima decembris, cum Officio ac Missa propriis iamdudum approbatis, quotannis celebretur: servatis Rubricis.

Insuper eadem Sanctitas Sua benigne indulsit, ut eiusmodi festum Beatae Mariae Virginis ad ceteras omnes Dioeceses et Religiosas Familias, singulis tamen R.mis Ordinariis vel respectivis Superioribus legitime petentibus, sub iisdem clausulis et conditionibus extendi valeat.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 aprilis 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf. *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II.

SEDUNEN.

Dubia de festo Dedicationis Ecclesiae.

R.mus D.nus Iulius Mauritius Abbet, Episcopus Sedunensis, Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit quae sequuntur:

I. Debetne affigi festum Dedicationis ipsi diei mensis, qua Ecclesia consecrata fuit, si haec dies est nota, celebrata solemnitate externa eadem die Dominica, qua antea?

II. Debetne festum Dedicationis ita alicui diei mensis affigi, ut Dominica sequens sit eadem Dominica, qua celebratum fuerat festum Dedicationis tempore elapso?

III. Debetne solemnitas externa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in tota Dioecesi celebrari, vel tantum in urbe Episcopali?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* quoad festum cum Officio et Missa. Posse et non teneri quoad solemnitatem externam.

Ad II. *Affirmative,* si non innotescat dies consecrationis, aut agatur de festo Dedicationis Ecclesiarum consecratarum, una eadem die celebrando.

Ad III. Posse et nullibi teneri, iuxta Decretum S. R. C. diei 28 octobris 1913, tit. I, n. 2.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 5 maii 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf. *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S. Alexander Verde, *Secretarius.*

Commentarium.

Satis clarae et perspicuae sunt dispositiones huiusmodi decreti. Solemnis Consecratio alicuius Ecclesiae quodammodo est Natale ipsius, iuxta s. Leonem magnum a Guyet citato (Heortol. I, iij). Dies ergo quo peracta fuit Consecratio, quovis anno solemniter est recolendus, ex antiquissima lege, quae originem ducit a vetere Testamento, et iuxta Catalanum (Comm. Pontif. Rom. Pars II, tit. II, n. lviij) firmata fuit a Felice Papa iv, atque in Iure comprehensa (Gratian. can. xv, de Consecrat.). Porro sicut in die natalitio, scilicet in die quo aliquis Sanctus ex hac vita exiens aeternamque ingreditur, Ecclesia Christi solet illius memoriam celebrare, ita et de Ecclesiae Consecratione quotannis anniversarium concelebrat, in ipso die quo eadem dedicatio peracta fuit.

Quapropter, sicut pro celebrandis festis sanctorum, Mater Ecclesia ut plurimum quidem eligit diem quo Sanctus in Gloriam beatificam intravit, aliquando tamen eligit aliam diem, maxime si dies natalitia sit a maiori festo impedita, ita facere consuevit pro determinanda die pro recolendo anniversario Dedicationis alicuius Ecclesiae.

Consecrator in actu Dedicationis aliam diem assignare potest pro Anniversarii Dedicationis ipsius celebratione, iuxta S. R. C. decretum, *19 februarii 1587* citatum a Gavanto *sect. 8, c. 5, n. 4*, et a Cavalerio *(t. 1. c., 1, decr. 1)* licet hoc non inveniatur in Collectione Gardelliniana, et iuxta aliud decretum, *19 sept. 1665, n. 2343*. Secundum autem doctrinam Gavanti (*loco citato*), Guyeti (*l. 2, c. 1, quaest. 3*) et Cavalerii (*loco citato nn. 18-23*), non tantum potest, sed DEBET Episcopus aliam diem assignare, quando Dedicationis Anniversarium occurreret in diebus privilegiatis a Rubrica numeratis, scil.: Assumptio, Annunciatio et Immacul. Conceptio b. Mariae, Nativitas s. Ioannis Baptistae, solemnitas S. Ioseph, ac festa Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et

et Oo. Sanctorum, ut taceam de aliis solemnioribus festivitatibus D. N. Iesu Christi.

« Cum enim, ait Cavalerius hi dies repellant quodcumque festum, amotio festi Dedicationis in aliquo eorumdem incidentis, non tam congrua, quam necessaria redditur... Ne igitur officium Dedicationis semper vage, et seiunctim ab eiusdem Dedicationis celebritate recolatur, et ne mutuo duo occurrentia festa se impediant, satius est Dedicationis festum in alterum mutare diem, in qua et solemnitas et officium, absque ullo incommodo alterius solemnitatis, celebrari queant ».

Insuper citati auctores docent, convenire, ut Episcopus mutet diem Dedicationis, etiam cum Ecclesia dedicatur diebus Purificationis, Visitationis et Nativitatis B. M. V. propter mysteria in eis celebranda, quae propterea non sunt omittenda: diebus 2 et 3 novembris, propter officium defunctorum, quod in eis celebrandum venit; item diebus quae occurrunt a 10 mensis decembris usque ad octavam Epiphaniae, et a mense februario usque ad ferme totum iunium, propter impedimenta plurima accidentalia hisce temporibus possibilia, et quia ut plurimum absque octava Anniversarium celebrandum foret.

Hoc sensu intelligendum est huiusmodi decretum (aliaque antecedentia) circa diem proprium Dedicationis. Etenim si nota sit dies, in qua, antequam celebraretur in Dominica, anniversarium Dedicationis, recolabatur, scilicet vel ipsa dies vera Consecrationis, vel dies quam Episcopus Consecrator destinavit pro recolendo ipso Anniversario haec sumi debet ut decretum hoc optime servetur.

Exempli gratia: Ecclesia tua consecrata fuit in festo Annunciationis b. Mariae, quando hoc festum celebrabatur sub ritu dupl. 2 cl., et Consecrator, ne tantum mysterium in tua Ecclesia die propria impediretur, destinavit diem 7 iulii pro anniversario recolendo. Postea tu simul cum aliis Dioecesis Ecclesiis Anniversarium celebrasti: nunc ergo, tu non debes reponere anniversarium in ipsa die Consecrationis, nempe die 25 martii, sed in assignata die 7 iulii.

Quod autem attinet ad solemnitatem externam, si tu mavis illam agere in Dominica qua huc usque anniversarium celebrasti, bene potes, ut declarat Decretum hocce, sed *non teneris* scilicet nulla lex ad talem solemnitatem servandam in Dominica te obstringit.

Ad II. Optima responsio data est secundae quaestioni: scilicet, si de tua Ecclesia non novisti diem in qua revera consecrata est, vel diem in qua assignata fuit Dedicatio ipsa tu bene potes eam celebrare in fixa die, quae non longe distet ab illa Dominica in qua hucusque celebrasti. Porro si ex. gr. Dedicatio omnium ecclesiarum dioecesis celebrabatur Dominica III iulii, tu bene poteris assignare anniversarium celebrandum die 15 illius mensis, et sic Dominica quae sequitur semper erit III illiusmet mensis.

Ad III. Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis sub ritu I classis cum octava recitari debet in tota dioecesi, tam intra quam extra civitatem episcopalem, iuxta novissimas rubricas; attamen, quoad solemnitatem externam, nemo adstringitur eam servare, imo in praxi populus eam non servat, maxime si recolit devotis obsequiis et frequentia anniversarium propriae Ecclesiae parochialis. Opportunissime ergo S. R. C. respondit POSSE ET NULLIBI TENERI.

Dr. P. PIACENZA.

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Die 5 aprilis 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. Paulus Marella, *Alumnus Seminarii Vaticani quaestionem enodavit:*

De lectionibus infra octavas quae non sunt in Breviario Romano, ex Octavario desumendis.

Post Censorum animadversiones R. D. Ioannes Baptista M. Menghini *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Ex abrogatione aliquot festorum facta in reformatione calendarii perpetui ecclesiae Collegiatae s. Florentii Episcopi, nonnullae liberae remanserunt dies infra octavam sancti Titularis. Hinc exorta est quaestio inter Canonicos, Conradum et Opilium; ille ait quod lectiones pro diebus liberis praedictis, ex Octavario Romano desumendae, sumi debent prout iacent in ipso Octavario, non tantum quoad textum, sed etiam quoad earum distributionem per dies infra octavam, ita ut, ex. gr. lectiones assignatae pro die II, sumi nequeant pro die III, etc. Alter vero tenet, quod Octavarium Romanum sit velut pretiosa arca, ex qua desumi possunt lectiones II et III Nocturni pro diebus infra Octavas, quae non sunt in Breviario Romano; ideoque Episcopus potest ad libitum desumere lectiones, quas magis congruas esse putat pro festis

et Sanctis dioecesis suae, praesertim inspectis rebus gestis a quolibet Sancto. Ad solvendam ergo huiusmodi quaestionem, proponuntur sequentia dubia:

I. *Quae auctoritas inest in libro cui titulus « Octavarium Romanum »; qua de causa confectus fuit, quinam eo uti possunt?*

II. *Ex eo quod Octavarium Romanum dicitur adprobatum a S. Rituum Congregatione, sequendum ne est prout iacet, etiam quoad distributionem lectionem?*

III. *Utrum Episcopus possit ex Octavario desumere lectiones pro Octavis festorum suae dioecesis, quae magis congruae sibi videntur; et quid ad rem tradunt Auctores liturgici?*

Solutio.

Ad I. De Octavis in genere; et quando ortae sint in Ecclesia Christi, pluries egerunt «Ephemerides Liturgicae»; ideoque pro responsione huius primi quaesiti sufficit ut dicamus de *origine* et *valore* libri cui nomen est *Octavarium Romanum*.

Officium Octavarum in Breviario romano iuxta antiquas Rubricas consistebat in ipso officio festi, cuius est Octava, mutatis tantummodo lectionibus trium nocturnorum, et aliquando etiam aliqua antiphona; nunc vero ex novissimis Rubricis, infra Octavas Communes antiphonae et Psalmi cuiusvis horae canonicae sumuntur ex feria.

Quod autem hic dicimus de Octavis festorum ritus duplicis I classis, ante reformationem Breviarii a Pio X ordinatam, dicendum quoque erat de Octavis festorum ritus duplicis II classis; imo et de Octavis duplicium maiorum quae aliquibus in locis celebrabantur. Post tamen Breviarii reformationem, uti notum est, officium dierum infra Octavas nunc celebratur tantummodo pro Octavis duplicium I classis;

quia Octavae festorum II classis hodie excoluntur more antiquo, nempe in die tantum Octava, et quidem sub ritu simplici. Prouti videre est in Breviario Romano, et etiam in Breviariis a Romano diversis, Lectiones quae dicendae sunt per Octavas, semper diversae sunt, et nunquam eaedem repetuntur.

Rubrica enim (tit. VII, n. 4) ait: *Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis et novem Lectionibus..... et omnia dicuntur sicut in die Festi; praeter Lectiones quarum primae tres semper sunt de Scriptura occurrente in officio de Tempore..... aliae Lectiones II et III Nocturni dicuntur quae infra Octavam positae sunt.* Haec est regula generalis, et nulla datur Octava in Breviario quae non habeat pro singulis diebus liberis Lectiones II et III Nocturni suis locis appositas; mens est enim Ecclesiae, ut quoad fieri potest Lectiones, ad maiorem instructionem, sint variatae.

Hoc autem bene se habet pro Octavis quae sunt in Breviario; attamen in locis particularibus in quibus Octavae celebrandae sunt de Titulari Ecclesiae, vel de loci Patrono, accidit quod deficiant lectiones propriae pro singulis diebus infra Octavam, nisi Patronus vel Titulus sint Sancti, qui cum Octava celebrantur in Breviario, uti ex. gr. S. Ioannes Baptista; S. M. Laurentius, Nativitas b. Mariae. Pro Octavis localibus citata Rubrica prosequitur dicens: *Infra Octavam vero Patroni vel Titularis Ecclesiae aut alterius Festi quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habeantur propriae et approbatae Lectiones, pro II et III Nocturno infra Octavam repetantur Lectiones positae in Communi Sanctorum.*

Huiusmodi autem dispositio Rubricae, necessaria fuit; et licet omnino desideret Ecclesia ne Lectiones infra Octavas repetantur, ut expresse notat et insinuat, nihilominus, quoniam impossibile esset providere in volumine Breviarii lectiones proprias pro singulis casibus particularibus, ex necessitate, coacta fuit Ecclesia permittere, ut repetantur Lectiones de die festo, vel de Communi.

Hac de re ita loquitur Gavantus in sua praefatione ad Octavarium, prope finem: « Quoniam vero pro naturae nostrae imbecillitate facile lassescimus, et consuetudine aurium, in iisdem divinis officiis repetendis, assuescunt et languescunt animi; ut contra potius exardescant ii, Maiores nostri Spiritus sancto ducti (immutatis reliquis, ut una eademque sit solemnitas) Lectiones varias e Ss. Patribus prompsere, tum II tum III Nocturni, quae iuvant mirifice, et contra taedium, et ad excitandam pietatem ».

Quibus opportune adnotatis, addit idem Gavantus: « Quod utinam in omnibus Octavis contigisset fieri! Desideratae sunt enim hactenus Ss. Patronorum et Titularium particularium Ecclesiarum Octavae, infra quas eadem relegere, quae in die Festo sunt lecta, videbatur satis grave ». Hinc origo libri Octavarii Romani; ut scilicet haberentur lectiones propriae pro celebrandis Octavis, quae non sunt in kalendario Romano. Summo ergo labore, ut fatetur Gavantus, selegit « ex oceano Ss. Patrum magis recondita », et paravit lectiones pro II et III Nocturno pro festis nonnullis evangelium speciale habentium, ac pro Communibus Sanctorum; in quo labore vires accepit et adprobationem a Silvio Cardinali Antoniano, qui fuit unus ex consultoribus pro revisione Breviarii sub Clemente viij, nec non et a Card. Bellarmino, qui, ut notat Gavantus « utinam edidisset tantus vir quae iam, si non omnia, paraverat multa ad has ipsas Octavas celebrandas! quae nescio quo fato deperdita, in nostra hac, perdenda potius, sunt commutata ».

Huiusmodi opus Gavanti S. R. C. ex relatione praedicti Card. Bellarmini, adprobavit, et posse imprimi « seorsum a Breviario » decrevit, die 19 februarii 1622.

Cum autem postea nonnulla festa cum Octava aliquibus in locis celebrari coeperint, eadem S. R. C. suo decreto 25 iunii 1902 adprobavit Supplementum ad Octavarium. Dicendum est tamen quod iam ante annum 1902 habebatur supplementum aliquod ad Octavarium, eo quod in decreto 2624 d. d. 29 dec. 1884 *in Lucionen.*, responsum

est, posse sumi ex Supplemento Octavarii lectiones dierum infra Octavam Patrocinii s. Ioseph. Quod autem desiderium sit eiusdem Congregationis ut omnes adhibeant Octavarium Romanum pro celebrandis Octavis Patronorum et Titularium, facile eruitur ex decretis eius 2735, 3876, 2981, et a supra citato 3624.

Auctoritas ergo huius libri emanat ex ipsis verbis adprobationis, absque enim ulla speciali permissione, qui celebrare debeat Octavas particulares, recurrere potest ad Octavarium, neminique prohibitum est illo uti.

Ad II. Per se libri liturgici sumendi sunt prout iacent, nullique licitum est ullam variationem inducere; attamen Octavarium Romanum, ut vidimus, est quidem unus ex libris Liturgicis, sed non eadem auctoritate gaudet qua potiuntur reliqui libri, qui de praecepto utendi sunt. Per se ergo lectiones quae disponuntur in Octavario debent sumi eodem ordine quo inscribuntur in eo, attamen, si ex. gr. ego infra Octavam mei Titularis, vacuos habeam tantummodo duos dies infra Octavam, vel tantum diem octavam, nil vetat ut ex lectionibus Octavarii eas seligam, quae magis congruunt cum Sancto a me celebrato.

Huiusmodi quaestionem sibi posuit Guyet (Heort. III, iij, 10): « An cuique liberum sit eiusmodi lectiones (Octavarii) usurpare, non tantum iis diebus quibus singulae assignantur (id enim per se patet), sed etiam aliis sive infra Octavam sive extra in Festis Sanctorum...... prout opportunum videbitur. Respondeo Gavantum ipsum non videri repugnare si fiat, nam in Adnotatione ad Rubricam 26 de lectionibus, concedit initium Sermonis seu Homiliae, si ea die qua positum est non potuerit legi, propter Festum aliquod, posse resumi aliquo ex sequentibus diebus, prout magis videbitur congruere. Ex quibus verbis facile eruas liberum haud secus esse, in qualibet occasione ex omnibus Octavarii lectionibus quae ad unum Commune pertinent, illas assumere, quas aptiores quisque cuius interest iudicabit. Et vero cum approbatae sint illae omnes, et ex se indiffe-

rentes ut hac vel illa die recitentur, nihil plane optioni huic videtur obstare ».

Ad III. Ex dictis liquido profluit responsum ad III quaesitum. Episcopus optime potest eligere ex Octavario Romano lectiones illas, tam pro II quam de III Nocturno infra Octavas suae Dioecesis recitandas, quas magis congruere censet pro festis propriis, easque in libello Proprio evulgare. Ideoque ex duobus contendentibus in casu, Conrado et Opilio, responsum Accademiae nostrae favet opinioni Opilii ; nempe revera Octavarium est velut quaedam pretiosa arca, ex qua desumi possunt lectiones II et III Nocturni pro diebus infra Octavas, quae non sunt in Breviario Romano. Si enim per se non obligat Octavarium Romanum, sed tantummodo illo uti possum, ad maiorem commodum et ne repetantur lectiones festi ; ex illis lectionibus, quae proponuntur, non sum adstrictus eas assumere prout iacent dispositas, sed illas valeo recitare quae ad Sanctum, cuius ago Octavam magis sunt aptae.

Notandum hic placet, quod de Octavario Romano nullum verbum unquam habuere Rubricae Breviarii, sed de eo locuta sunt tantummodo nonnulla Decreta S. R. C. ; in novissimis tamen Rubricis Breviarii Pii x (tit. i, n. 7) de Octavario agitur, ubi legitur : « Lectiones vero ij et iij Nocturni in diebus infra Octavam, quae proprias non habeant, sumuntur ex Octavario Romano ».

Item in generali decreto S. R. C. d. d. 28 octobris 1913 (tit. II, n. 3), edicitur : « Lectiones ij et iij Nocturni singulis diebus per Octavas festorum duplicium II classis (ex. gr. S. Laurentii et Nativitatis b. Mariae) Ecclesiae universalis hucusque assignatae inserantur in Octavario Romano » ; in locis enim in quibus praedicta festa recoli debeant cum Octava, ratione Tituli ecclesiae vel loci Patroni, lectiones ipsas quisque prae manibus habere poterit, pro diebus infra Octavam, et pro die octavo.

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis sandaliis eorumque ornamentis

(Continuatio, V. n. 6 curr. anni, pagg. 331-339)

§ 4.

Quid fecerint RR. Pontifices, ut praefatos sensus manifestarent.

Romanorum Pontificum firma voluntas et attentio in Christo indicando, tamquam termino illius adorationis, quae ipsis osculo pedis exhibetur, eousque pervenit, ut id vel per opera arte facta demostraverint. Huc spectant quaedam opera musiva, in quibus ipsi Pontifices repraesentari voluerunt ante Christi Redemptoris thronum provoluti, pedes eius humiliter et reverenter osculantes.

In istis operibus conspiciendis fieri non potest, ut mens non advertat sensum ex eis, ad instar loquelae, prodeuntem. Primum praeclarum huiusmodi opus musivum extat in abside Basilicae S. Pauli extra moenia. In eo considerando, tota attentio nostra sistitur in exiguissima et vix visibili Onorii III imagine ad pedes Domini inclinata. Summus iste Pontifex in tali brevi figura, se repraesentari fecit, ut manifeste suam Christo demonstraret subiectionem; et tamquam nihilum ante ipsum se profiteretur, : « Honorius lui baise les pieds — scribit hac de re Cl. Marucchi — par un motif d'humilité, le portrait du Pape est de toutes petites dimensions, comme celui de Paschal I^ier^ a S.^te^ Marie in Domnica » (1). Quia tamen se, qua Pontifex repraesentari voluit, so-

(1) Marucchi, *Basiliques et Eglises de Rome,* 2.ª edit. 1909, pag. 140.

lemnioribus pontificiis indumentis ornatum se exhibet: « In habitu papali cum planeta et pallio » (1), uti de alia huiusmodi repraesentatione loquitur quidam historicus, quo significare voluisse videtur illud obsequium, quod sibi, qua Pontifici, osculo pedis exhibetur, non sibi ipsi, proprie et ultimo, tribui, sed Christo, cui, qua Pontifex, nomine omnium fidelium, imo nomine totius Ecclesiae illud idem obsequium humiliter et devote offert.

Aliud non minus insigne opus musivum ab iisdem artificibus, vel saltem ab eadem schola elaboratum ac praecedens, conspiciebatur in fronte veteris Basilicae Vaticanae. Opus est priori admodum affine. Loco Honorii III ponitur Gregorius IX, qui eodem modo repraesentatur in perexigua imagine inclinata ad pedes Domini Salvatoris, quasi eius dexterum pedem exosculans. Is quoque vestimentis papalibus indutus exhibetur, cum *planeta* nempe et *pallio* (2).

De hoc praeclaro opere summariam descriptionem nobis reliquit Iacobus Grimaldi, Archivii Basilicae S. Petri custos, eo tempore confectam (1606), quo nondum opus dirutum fuerat, eique praesens templum cum nova facie, nondum substitutum. Is itaque scripsit: « Facies anterior veteris basilicae S. Petri, a Gregorio IX Pontifice maximo cuius ante pontificatum archipresbyter fuit, opere musivo exornata, habet has imagines: Salvator noster Iesus Christus, sedens in throno maiestatis suae, pollice cum anulari coniuncto benedicens; a dextris eius beatissima Deipara Virgo, a sinistris S. Petrus; ad pedes Salvatoris imago Gregorii IX in habitu papali cum planeta et pallio, offerens super pulvinar ad pedes Salvatoris aureum numisma ». In tota repraesentatione res, quae peculiari attentione digna indicatur, est subiectionis actus a Gregorio IX Redemptori praestitus. Ita praefatus scriptor suam descriptionem concludit: « Notandum est in hoc musivo quod Gregorius IX offert aureum

(1) Grisar, *Analecta Romana*, pag. 493.
(2) Grisar, *Analecta Romana*, pag. 492-493.

pedibus Salvatoris, quod magnae submissionis est indicium. Sic offert imperator summo Pontifici in coronatione, ad offertorium » (1). Cl. Grisar cum aliis, dicit erronee hunc Scriptorem aurei numismatis oblationem deprehendisse (2). Nullum de hac oblatione extat vestigium in aliis similibus operibus sive pictis, sive aliter expressis. Dicendum videtur, devoti obsequii praestandi causa solummodo, Gregorium IX voluisse se tali modo et positione figurari, eodem modo quo Honorium III, antecessor se repraesentari fecit.

Utrumque praeclarum opus illustravit Cl. H. Grisar, cuius erudita verba, sermone quo scripta sunt, audire praestat. En itaque propria Cl. Archaeologi verba: « Tutte e due le opere (tum illud, quod extat in abside Basilicae S. Pauli, quam illud quod extabat in fronte Basilicae S. Petri) vennero assai verosimilmente lavorate dagli stessi maestri, o almeno dalla stessa scuola. Le somiglianze nella composizione sono evidenti. A S. Paolo erano occupati i musaicisti di Venezia che Onorio III, predecessore del Papa Gregorio IX, aveva chiesto ed ottenuto da parte del doge della repubblica, come risulta da uno scritto di Onorio, reso testè di pubblica ragione (3). I medesimi musaicisti, od i loro allievi svolgono il loro stile sul frontone di S. Pietro, e forse la loro presenza in Roma e l'opera loro ben riuscita in S. Paolo ha svegliato da prima il pensiero di far sostituire al primitivo e guasto quadro a musaico della fronte di S. Pietro, che adesso conosciamo dal codice di Farfa, una scena più bella e più grandiosa. Molta conformità fra i detti musaici delle due chiese si vede subito nel modo con cui il fondatore è rappresentato. Qui, come là, infatti il relativo Pontefice comparisce in piccolissime dimensioni a ginocchio e inclinato verso il piè destro del Salvatore nell'atto di voler esprimere la sua venerazione (certo per mezzo del bacio del piede) e manifestamente di

(1) Apud Grisar, *Analecta Romana*, pag. 189.
(2) Grisar, l. c., pag. 493.
(3) Presutti, *Regesta Honorii III*, 2ª ed. sub die 23 Ian. 1218.

presentargli ad un tempo la sua opera, il musaico, « *In habitu papali cum planeta et pallio* », così di Gregorio IX in S. Pietro, scrive il Grimaldi. Il che vale per l'appunto di Onorio III in S. Paolo. Anche il nome del Papa scrittovi d'accanto si legge in ambidue i luoghi » (7).

Quoad autem numismatis oblationem super pulvinar factam, en eiusdem cl. Scriptoris sententia: « Ma quando il Grimaldi parlando della figura di Gregorio IX dice: " fere prostratus offerens super pulvinar ad pedes Salvatoris aureum nummum ", ciò che altri hanno dopo di lui ripetuto, questo ragguaglio è erroneo. Messa a riscontro colla figura di Onorio III, si manifesta per una misintelligenza, sorta nel Grimaldi probabilmente dall'essere stato il musaico vaticano assai deperito. Il cuscino *(pulvinar)* non si trova cioè nella mano del papa, ma sta come il solito cuscino de' piedi sotto la figura di Cristo sul gradino del trono. Di una moneta non si vede qui nulla. Sarebbe del resto difficile, per la forma di omaggio presupposta dal Grimaldi, vale a dire per mezzo della presentazione d'una moneta, trovare una analogia nel campo dei prodotti artistici pontificii » (8).

Sunt igitur opera musiva, quae descripsimus, solemnia documenta, quae Romanorum Pontificum humilitatem simul ac eorum in Christum Redemptorem summam pietatem palam faciunt. Haec revocanda putavimns ad uberius illustrandum finem seu scopum osculi pedis Romano Pontifici exhibiti.

Duobus descriptis musivis operibus, aliud non minus insigne addi potest, in quo obsequium osculi pedum, non Christo Domino, sed eius Sanctissimae Matri exhibetur. Est ceteris antiquius et extat in Ecclesia S. Mariae, quae appellatur *in Domnica.* Hoc praeclarum opus Paschalem I Summum Pontificem exprimit, ante B. Virginem Mariam genuflexum, qui manus ad pedes eius extensas tenet, quasi eos ori admovere intendat (9).

(1) GRISAR, l. c., pag. 493.
(2) GRISAR, l. c., pag. 493.
(3) Cf. DE ROSSI, *I mosaici cristiani delle Chiese di Roma.* Tavola XXIII.

Hisce omnibus non obstantibus, non defuere, qui altam osculi pedum significationem, tum per Crucis in sandaliis delationem, tum per monumenta expressam, intelligere renuerunt. Tunc Romani Pontifices, ne cuiquam scandali occasio daretur, humanae compatientes infirmitati, hoc obsequium, non tantum non exegerunt, sed illud praetermitti quam libentissime permisere. Huius rei testis est omissio osculi pedum, quam Eugenius IV, Patriarchis et Episcopis Graecis ad Ferrariense Concilium accedentibus, indulsit, cuius omissionis historiam superius innuimus (1). Testis quoque est huius obsequii omissio, quae in solemni Napoleonis I Galliarum Imperatoris coronatione a Pio Papa VII fel. rec. permissa fuit (2). Nos autem testes sumus de duorum recentiorum Pontificum summa humilitate, nempe: Pii X s. m. et Benedicti XV feliciter regnantis, ad quorum pedes, cum pluries pervolvi contigit, potius quam pedes, manus osculandas exhibere vidimus.

Harum quoque considerationem studium concludere non possumus, quin animadvertamus, minimum ornamentum in sandaliis, quae sunt Pontificii vestimenti pars infima, suam magnam habere significationem, et quidem non privato ingenio inventam, sed communi et publico Scriptorum testimonio assertam.

Tractatiunculae nostrae, qualiscumque sit, finem imponimus et quod corpore pluries praestitimus, nunc spiritu et toto cordis affectu renovantes, ante Romani Pontificis thronum in genua procumbimus, eius supremam potestatem profitemur, eumque S. Bernardi Abbatis verbis salutamus: « Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu priceps Episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditae, cui oves creditae sunt..... » (3).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

(1) *Ephemerides Liturgicae*, 1915, pag. 722.
(2) Ibidem, pag. 414.
(3) S. BERNARDUS. *De Consideratione*. L. II, cap. VIII.

Quaestiones Liturgicae.

Quaer. **In quanam Missa locum non habeat influxus commemorationis Officii quoad CREDO, si hoc Officium iure ad CREDO gaudeat?**

Resp. Cum haec quaestio sit magni momenti, et casus pro pluribus Missis occurrere possit, non inutile erit hanc quaestionem aliquatenus penitius examinare et lectoribus harum Ephemeridum proponere.

Ille autem influxus certe locum habet in Missa de duplici et semiduplici, etiamsi de eo tantum commemoratio in Officio recitata fuerit. Hoc punctum clare definitum est a S. R. C.: Sacerdos celebrans die non impedita Missam votivam de die infra Octavam B. M. V. aut alicuius Sancti, de qua tantum commemorationem in Officio recitavit, debet in eiusdem Missa *Credo* dicere, si nempe illa Octava *Credo* habeat (S. R. C. 15 maii 1903 ad 2, n. 4115). Pariter in Missa votiva Symbolum adhiberi debet, si pro votiva sumatur Missa duplicis, eo die ad instar simplicis redacti, cum idem festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat (S. R. C. 12 maii 1905 ad 7, n. 4157).

Difficultas praedicti influxus solummodo adest pro Missa de Feria, de Vigilia, pro Missa votiva privata et pro Missa de die Octava alicuius festi duplicis II classis. Insuper notandum est quod commemoratio Officii, in Missa addenda, ius habere possit ad *Credo,* tum ratione festi, tum ratione Octavae, tum ratione Dominicae.

Examinemus nunc separatim singulam Missam, pro qua aliqua difficultas adesse potest, utrum necne addendum sit *Credo* in dictis Missis, si commemoratio in eis addenda ius ad *Credo* habeat, sive ratione festi, sive ratione Octavae, sive ratione Dominicae.

I. **In Missa de Feria vel de Vigilia:** Circa utramque Missam habemus sequens S. R. C. decretum: In Missa de Vigilia vel de Feria non est dicendum *Credo* ratione Festi vel Octavae Symbolum habentis; in eisdem autem Missis, si propriam Praefationem non habeant, dicenda est Praefatio propria festi vel Octavae cuius factum sit Officium. (Die 24 maii 1912 ad VI — Act. Apost. Sedis, vol. IV, p. 419).

Symbolum tamen dici debet in Missa Vigiliae Nativitatis Domini, occurrentis in Dominica (S. R. C. 7 sept 1816 ad 16, n. 2572). Ita hoc anno, Vigilia Nativitatis Domini occurrente in Dominica, dicitur in Missa *Credo* (1). Symbolum vero non est dicendum *in Missa Rogationum* in Festo S. Marci, etiamsi hoc incidat in Dominica (S. R. C. 25 sept. 1688, n. 1801, et 7 sept. 1816 ad 16, n. 2573), vel infra Octavam Paschatis (S. R. C. 5 iulii 1698 ad 12, n. 2002).

Notandum est praedicta Decreta (in secundo casu allata) iuxta me ita intelligi posse et debere, quod *Credo* non sit dicendum *in Missa Rogationum,* si, ut in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis etc., dicatur altera Missa conventualis de Festo S. Marci, vel de Octava Paschae, cum in eo casu non fiat in Missa de Rogationibus commemoratio S. Marci vel Octavae Paschae, et consequenter in hac Missa influxus Festi vel Octavae commemorati locum habere nequeat quoad *Credo,* etc. Si vero in aliqua Ecclesia una tantum Missa celebretur et fiat Processio, eo in casu Missa celebranda est *de Rogationibus* cum commemoratione S. Marci vel diei infra Octavam Paschae. An autem in hoc casu addendum sit *Credo* ratione Festi vel ratione Octavae? Sunt auctores qui iuxta eorum principium *negative* respondere debent, cum etiam in

(1) Item dicendum est *Credo,* ut mihi videtur, in Vigilia Epiphaniae, ritus semiduplicis cum haec Vigilia locum teneat Officii Dominicae quae vel occurrit die 1 ad 5 ianuarii vel a superveniente Festo aut Dominica infra Octavam Epiphaniae impeditur (*Vide Rubr. special. Brev. in Vigil. Epiph.*).

hoc casu Missa censeatur ferialis et consequenter ritus simplicis, uti satis patet ex orationibus communibus iuxta Missale in hac Missa addendis, si qua commemoratio specialis non occurrat. Ego autem magis inclino pro sententia *affirmativa,* quod in eo casu *Credo* addendum sit in eiusmodi Missa, si nimirum in ea sit facienda commemoratio Dominicae, vel Festi vel Octavae *Credo* exposcentis, idque praesertim ob solemnitatem Dominicae, vel Festi, vel Octavae et concursum populi.

II. **In Missa votiva privata:** hic distinguendum est, utrum dicta Missa sit *mere votiva,* an potius *festiva* censenda.

Supra iam vidimus quod si pro Missa votiva sumatur Missa duplicis eo die in Officio tantum commemorati, tunc in ea Missa Symbolum dicendum sit, si hoc Festum *Credo* exposcat, v. gr. in mea Ecclesia die 4 aprilis fit Officium S. Benedicti a S. Philadelpho Conf. Ordinis nostri cum nona lectione et commemoratione S. Isidori Ep. Conf. et Doct.: in dicto casu, si Missa celebratur de S. Benedicto, tunc ratione Commemorationis S. Isidori addendum est *Credo* iuxta decretum S. R. C. 21 iunii 1912 ad 4 (A. A. S., vol. IV, p. 448). Si vero eo die Missam votivam celebrare volo de S. Isidoro ritus duplicis iuxta indultum S. R. C. 28 octobris 1913, 2 (A. A. S. Vol. V, p. 457), tunc etiam *Credo* addendum est, ut in decreto supra allato (nempe d. 12 maii 1905 ad 7, n. 4157) statuitur. Pariter, si apud Franciscanos, qui privilegio gaudent celebrandi quolibet sabbato Missam de Immaculata Conceptione B. M. V., etiam in duplici maiori, quis intendit celebrare illam Missam in Sabbato infra Octavam Assumptionis B. M. V., is debet sumere Missam de eadem Octava B. Mariae (etiam si de ea Octava Officium non fuerit recitatum), eamque dicere debet cum *Gloria* et *Credo* ac Praefatione huius Octavae (Vide decr. S. R. C. 15 maii 1903 ad 2, n. 4115, supra allatum). Uti patet in utroque ultimo casu Missa non est mere votiva, sed potius festiva, ideoque more festivo dicenda.

Si autem Missa sit *mere votiva* et *privata,* v. gr. si quis

Franciscanus velit celebrare Missam de Immaculata Conceptione B. M. V. in aliquo Sabbato, in quo non occurrit aliquod Festum vel Octava eiusdem Deiparae, et in ea Missa facienda est commemoratio alicuius Festi vel Octavae, ius habentis ad *Credo*, an tunc in illa Missa votiva addendum sit *Credo*? Respondendum est *negative*, cum in hoc casu Missa sit mere votiva et privata, et consequenter ritus mere simplicis, in qua Missa dicere *Credo* pugnaret contra naturam eiusmodi Missae. Hoc etiam conforme est decreto S. R. C. d. 15 maii 1819 ad 1, n. 2597, in quo dicitur: Symbolum dici non posse in Missa votiva S. Francisci, quae celebratur in Ecclesia Patriarchali Assisiensi, diebus Dominicis. Notandum est hanc Patriarchalem Ecclesiam, ex indulto Apostolico Pii Pp. VII, privilegio gaudere Missae votivae quotidianae de S. Francisco, exceptis dumtaxat Solemnitatibus Natalis Domini, Paschatis et Pentecostes.

Adverte etiam *Symbolum* et *Gloria* dici debere in Missis votivis *pro re gravi*, excepto tantum quando Missa celebratur cum paramentis violaceis, ut pro infirmis vel aliquo actu simili moestitiae vel poenitentiae, quia tunc non dicitur *Gloria*, nec *Credo* (praeterquam in Dominicis, in quibus *Credo* non omittitur) (1). S. R. C. 19 maii 1607 ad 12, n. 235 et 13 febr. 1666 ad 4, n. 1333. Cf. Decr. gener. S. R. C. 30 iunii 1896, II, 3, n. 3922.

III. **In Missa de die Octava alicuius duplicis II classis:** Utrum in hac Missa dicendum sit *Credo*, necne, si Festum huius Octavae ius ad Symbolum habeat, est quaestio quae fuit in his Ephemeribus aliquatenus in controversiam vocata. Ego anno 1914 (pag. 127) de hac quaestione interrogatus putavi quod dies octava, etsi simplex, si saltem commemo-

(1) Haec verba in parenthesi posita, fuerunt addita ab auctore Indicis Generalis decretor. S. R. C. Hoc est conforme Rubricae gener. Missal. tit. XI, ubi in fine dicitur: « Item dicitur *Credo* in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica ».

retur, retineat eumdem influxum in Officio et Missa (praeterquam omissionem 3 Orationis in Missa), ac dies octava communis duplicis I classis, et consequenter tunc affirmavi in illa etiam Missa dicendum esse *Credo*, si eius Festum ius ad Symbolum habeat. In praesenti autem, omnibus iterum perpensis quae relationem ad hanc quaestionem habent, opinor in Missa diei Octavae simplicis omittendum esse *Credo*.

Rationes tamen quae me cogunt ad hanc conclusionem non sunt illae quas quidam praeclarus Rubricista in his iisdem Ephemeridibus saepe attulit (vide an. 1914, p. 684; an. 1915, pag. 624 et an. 1916, p. 238). Hic laudatus Liturgista (quem multum veneror) in favorem suae assertionis affert rationes sequentes: 1. dicere *Credo* in Missa de die Octava alicuius duplicis II classis est contra naturam eiusmodi Missae, uti patet ex Missa de S. Mariae in Sabbato et ex Missis votivis Sanctorum ius ad illud habentium; 2. Haec assertio corroboratur decreto S. R. C. 10 novembris 1906 ad II, 2, n. 4192.

Resp. ad I.^m Iuxta me non satis constare videtur quod dicere *Credo* in Missa de die Octava duplicis II classis sit contra naturam eiusmodi Missae, cum etiam in Missa *Rogationum* etsi ferialis et ritus simplicis uti supra vidimus, *Credo* addendum esse videatur, si nempe in hac Missa Commemoratio sit facienda sive Dominicae sive Festi sive Octavae *Credo* exposcentis. Nonne etiam Missa votiva de Officio duplici de quo commemoratio tantum recitata fuit in Officio, *Credo* habeat, si hoc festum ius ad illud habeat? Et si dies Octava nihil aliud sit quam prolongatio seu repetitio Festi, et eadem Octava participet influxus Festi in alias partes tum Officii tum Missae, quae diei Octavae congruunt, non videtur adesse particularis ratio, ob quam Symbolum in eiusmodi Missa omittendum est, si Festum huius Octavae ius ad illud habeat, consideratis nempe Rubricis Missalis et decretis S. R. C. hodiedum vigentibus. Insuper exemplum de Missa S. Mariae in Sabbato non est

praecise ad rem, cum haec Missa uti quaelibet Missa de aliquo Sancto ritus simplicis, numquam considerare potest uti prolongatio seu repetitio alicuius Festi, et consequenter in his Missis quaestio esse nequit de influxu Octavae quoad *Credo* et alias partes Missae.

Resp. ad II.[m] Praedictum Decretum S. R. C. iuxta Indicem Generalem, verb. *Credo*, ita sonat : « *Credo* in Missa Conventuali de duplici vel semiduplici, extra Dominicam, omittitur, quando diebus infra Octavas B. Mariae Virg., praefato Officio duplici vel semiduplici impeditis, Missa de Octava (loco votivae de Immaculata ex privilegio concessae) solemniter, vel in cantu, vel Conventualis instar celebretur : *quum in Missa Conventuali de duplici vel semiduplici commemoratio Octavae per se excludatur*, ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, et *Credo* in Missa Conventuali de duplici vel semiduplici tantummodo *ratione Octavae* requiratur ; hinc de Octava in casu nulla ratio habenda est, 4192 ad 2. Vide 4116 ad 2 et 2319 *Reliqua dubia* ad 26 »

Dictum itaque Decretum rite inspectum nullimode favet assertioni contradictoris nostri, cum in eo agatur de duplici Missa Conventuali, scilicet de Officio duplici vel semiduplici, et de Missa de Octava B. M. V. In eo casu enim in Missa de Officio duplici vel semiduplici locum non habet Commemoratio Octavae et consequenter in ea Missa omittendum est *Credo*. In Missa autem de Octava omittitur commemoratio de duplici vel semiduplici et in ea sine dubio *Credo* addendum est, si illa Octava ius ad *Credo* habeat. Quod ita intelligendum sit dictum decretum, id magiis patet ex duobus aliis decretis ibi allatis.

Quidquid sit, omnibus rite perpensis, quod haec dies Octava duplicis II classis sit ritus tantum simplicis, et usque nunc nulla dies eiusmodi ritus ius ad *Credo* habuerit, dicendum est, donec S. Sedes non aliter determinaverit, eiusmodi Missam Symbolo non gaudere. Et si Missa *Rogationum*, quamvis ferialis et ritus simplicis, ius ad *Credo* habere possit, si qua Commemoratio in ea sit facienda *Credo*

exposcens, id fieri videtur magis propter solemnitatem diei occurrentis et concursum populi quam ob naturam Missae, et consequenter haec Missa consideranda est, uti exceptio ad regulam, *cum exceptio firmet regulam*, uti dicunt Canonistae. Haec conclusio corroboratur decreto S. R. C. d. 7 aug. 1914 ad 2 (Ephemer. Liturg. an. 1914 p. 707), ubi statuitur: si infra Octavam simplicem Nativitatis B. M. V. dicenda sit Missa votiva eiusdem B. M. V., legenda est Missa ut in Festo Nativitatis B. Mariae cum *Gloria*, sed *sine Credo*. — Ita salvo meliori.

Quaer: **Celebrans ante vel post Missam transiens ante Altare in quo Ss. Sacramentum est inclusum, vel ante quodcumque Altare ubi Missa celebratur post Consecrationem et ante Communionem (1), debeatne unicum genu flectere capite detecto vel cooperto?**

Resp. Si Sacerdos calicem defert, *cooperto* capite genuflectere debet; si vero calicem non portat, tunc *detecto* capite. Idem enim videtur, utrum Ss. Sacramentum sit in Altari inclusum an apertum in Altari, cum in utroque casu Sanctissimum non sit expositum pro adoratione fidelium. Porro in Rubrica Missalis (*Rit. celebr. Mis.*, tit. II, n. 1) dicitur: « Si vero contigerit eum *(Celebrantem nempe)* transire ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reverentiam. Si ante locum Sacramenti, genuflectat ». Ex qua Rubrica auctores melioris notae deducunt Celebrantem in utroque casu capite *cooperto* illam respectivam reverentiam

(1) Supposito casu, quo Sacerdos, ultro, scilicet nulla facta inquisitione, illud momentum advertat, iuxta S. R. C. decretum d. 20 maii 1904 ad 2, n. 4135.

(2) Et eius annotator, G. Schober in hoc loco addit: « Sententia haec posterior S. Doctoris, iuxta quam Sacerdos unum tantum genuflectit, et statim, quin caput detegat, iterum surgit, omnino tenenda est propter praxim Romanam, quae hodie adhuc viget, et ubique sequenda est; nam praxis Romana est optima Rubricarum interpres.

praestare debere. Martinucci-Menghini (*Manuale Ss. Caeremon.*, P. I, pag. 345, n. 17) sequentia habent: « Si transeundum erit ante altare maximum, reverentiam mediocrem faciet, ac si aderit Ss. Sacramentum in tabernaculo seu ciborio reconditum, genu dexterum usque in terram flectet, biretum neque in reverentia sibi detrahens neque in genuflexione ». S. Alphonsus M. de Ligorio (*Liber de Caeremon. Mis.*, cap. II, §§ 7 et 8) ita loquitur: « Si transit ante Altare, in quo facta est consecratio,... potest genuflectere capite non detecto, quia Sacramentum reconditum super Altari considerari potest, sicut absconditum in tabernaculo. Et sic praticatur Romae, ut Meratus testatur (2). Si transit ante Altare maius, in quo est Sacramentum, unum genu flectit, quin birretum tollat... » Item R.mus I. F. Van Der Stappen (Tom. III, Tract. *de celebr. Ss. Miss. Sacrif.*, qq. 185 et 186, nn. 3 et 4) dicit: « Sacerdos deferens Calicem... ante Altare in quo habetur Tabernaculum cum Ss. Sacramento incluso, capite cooperto unum genu flectit ». Et infra idem auctor addit: « Si in casu Sacerdos transiret immediate ante Altare cui magis particulariter appropinquaret, et ubi nulla adhibita speciali inquisitione, certo et indubitanter noverit in Missa haberi Sacramentum praesens super Altare, ex. gr., si clare audit Orationem Dominicam dici, aut fieri Communionem Sacerdotis, in tali casu non perperam capite cooperto unum genu flectit in transitu ante Altare (*Ephemer. Liturg.*, XIX, 1905, pag. 20) ». Eodem modo loquuntur alii Rubricistae.

Casu vero, quo Celebrans calicem non portat, ipse manibus iunctis ante pectus incedere debet, et tunc praedictas reverentias *capite detecto* facere oportet. Cl. Meratus (in Gavant., P. II, tit. II, n. 1, II) ait: « Advertendum tamen est Bauldryum *part. 3, tit. 2, n. 1*, docere, quod si Sacerdos non deferat calicem (quia forte rationabili de causa est iam ad Altare praeparatus) procedit iunctis manibus, et caput detegit imagini, quae est in sacristia, et Altari quando tran-

siens ante illud genuflectit vel profunde se inclinat (1), quia manus non habet occupatas ». Idem habet S. Alph. M. de Ligorio (*Lib. de Caeremon. Mis.*, c. II, n. 12): « Advertendum, quod Sacerdos, si calicem non portat, manibus ante pectus iunctis incedere debet; et tunc omnes istas reverentias capite *detecto* facere debet ». Itidem dicit R.mus I. F. Van der Stappen (op. cit., q. 190): « Attamen pro Sacerdotibus aliquando etiam dari et admitti potest rationabilis causa, ex. gr. senium, infirmitas, ob quam calix in antecessum ad Altare iam praeparatur *(in Missa etiam privata)*; in quo casu Sacerdos e Sacristia ad Altare accedit iunctis ante pectus manibus », et « omnes reverentias quae superius indicatae fuerunt inter eundum ad Altare,... facienda sunt *detecto capite* ». In hoc conveniunt passim Rubricistae.

Quaer. **Quot et quales Orationes dicendae sint in Missa tam de Festo quam de Feria maiori in Festo S. Hermenegildi, occurrente in aliqua Feria post Dominicam Passionis?**

Resp. 1° In Cathedralibus et Collegiatis, ubi celebrantur duae Missae Conventuales, in Missa de Feria non est facienda commemoratio de Festo semiduplici (scilicet de S. Hermenegildo), nec in Missa de Festo semiduplici fit commemoratio Feriae; in utraque tamen Missa 2ª Oratio est *Ecclesiae* vel pro Papa. In Ecclesiis vero, ubi una tantum Missa Conventualis locum habet, Missa celebratur de Festo semiduplici cum 2ª Oratione Feriae et 3ª *Ecclesiae* vel pro Papa. Idem dicendum est de aliis Missis privatis quae de Festo semiduplici celebrantur (*Cf. Rubr. gen. Missal., tit. IX, n. 5 et S. R. C. 10 ian. 1693 ad 7, n. 1890*).

2° In Missa privata de *Feria maiori* a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Coena Domini, post Orationem diei, dicitur 2ª Oratio *Ecclesiae* vel pro Papa (*Rubr.*

(1) Cf. ea quae anno praeterito in « Ephemer. Liturg. » de hac inclinatione diximus.

special. in Dom. Passionis), nisi nempe adsit alia commemoratio simplicis vel simplificati (uti in casu commemoratio S. Hermenegildi), tunc 2ª Oratio communis omittitur.

De Missa votiva lecta, ex indulto permissa in duplici maiori et minori.

Quando aliquibus Sanctuariis aut Ecclesiis, vel Communitatibus Religiosis concessum est privilegium Missam votivam lectam celebrandi etiam in duplicibus maioribus et minoribus, exlusis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, v. gr. privilegium Franciscanis concessum celebrandi Missam votivam lectam de Immaculata Conceptione B. M. V. in Sabbatis, eo in casu: 1° quibusnam diebus ea Missa votiva prohibeatur, inspecto hodierno iure liturgico? et 2° quid in iis diebus vetitis tunc sit permissum?

Resp. Ad Iᵐ. Loquendo in genere de omni Missa votiva lecta, quae ex indulto celebrari potest etiam in duplici maiori et minori, ea Missa prohibetur:

1° In omnibus Dominicis et Festis de praecepto, etiam suppressis.

2° In omnibus duplicibus I et II classis.

Notandum est *a*) quod in denotatione Festorum 1ᵃᵉ et 2ᵃᵉ classis iam omnia Festa de praecepto, saltem in Ecclesia universali, contineantur, excepto S. Silvestro (31 decembris), in quo etiam illa votiva prohibetur in parochia quae unum Sacerdotem habet et ubi Missa parochialis de illo Festo celebranda est.

b) Cum iuxta decreta S. R. C. d. 20 april. 1822 ad 5, n. 2619 et 30 iunii 1896, VI, n. 3922, Missa votiva pro Sponsis prohibita sit in diebus Dominicis aliisque diebus de praecepto, nec non diebus duplicia excludentibus, ita pariter dicendum est de illa Missa votiva privata quae simili privilegio gaudet, uti in casu.

3° Insuper dicta Missa votiva privata iuxta ipsummet indultum prohibetur *in feriis, vigiliis et octavis privilegiatis.*

Quaenam autem hodiedum censentur illae *feriae et vigiliae privilegiatae?*

Iuxta Decretum S. R. C. datum die 8 februarii 1913 (*Act. Apost. Sedis, vol. V, p. 43*) sunt sequentes: *a*) omnes Feriae Quadragesimae (a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV maioris Hebdomadae); *b*) Feriae Quatuor Temporum; *c*) Feria II Rogationum; *d*) Feriae in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae, et *e*) Omnes Vigiliae, sive communes sive privilegiatae.

Quaenam vero sunt Octavae ita privilegiatae, ut excludant dictam Missam votivam? Certe, inter eas Octovas censentur quae duplicia 1ae vel 2ae classis excludunt, uti sunt Octavae Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Domini?

An autem inter Octavas, quae dictam Missam votivam prohibent, etiam recensendae sint illae Octavae *quae non excludunt duplicia maiora et minora*, uti sunt dies infra Octavas Ascensionis et Nativitatis Domini? Mihi videtur negative esse respondendum: *a*) quia praefatae Octavae tantummodo sunt privilegiatae in hoc sensu, quod de eis semper fiat Officium aut Commemoratio (Rubr. nov., tit. III, n. 2); dies autem infra dictas Octavas excludunt tantum Festa simplicia, non autem duplicia maiora vel minora, ita ut aequiparandae sint quoad hoc punctum aliis Octavis communibus. *b*) Missa votiva lecta pro Sponsis eodem modo prohibetur infra Octavas quae admittunt duplicia maiora et minora, et consequenter dicta Missa pro Sponsis dici potest infra Octavas Ascensionis et Nativitatis Domini, quando non occurrat aliud Festum classicum. Pari modo ergo dicendum est de Missa votiva privata, quae ex indulto eodem modo privilegiata est, uti est v. gr. apud Franciscanos Missa votiva privata de Immaculata Conceptione B. M. V. in Sabbatis. Cf. insuper Suffrag. Gardell. super Decret. S. R. C., n. 2620-4588 ad V.

4° Demum praefata Missa votiva prohibetur in Feria III et IV Rogationum, si fiat Processio et in ea Ec-

clesia una tantum Missa habeatur (1). Haec quoque Missa votiva prohibita censetur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, cum hae dies iuxta Rubr. nov. tit. IV, n. 6, excludat tum Festa occurrentia quae non sint duplicia I classis, tum Festa transferenda cuiusvis ritus (Cf. S. R. C. 19 maii 1895 ad 2, n. 3855).

Resp. Ad II^m. Quum in supradictis *feriis et vigiliis* prohibetur praefata Missa votiva privata, tunc iuxta Decretum supracitatum d. 8 februarii 1913 permittitur, ut « loco huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungatur Oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post Orationem feriae seu Vigiliae, vel in Missa de Feria seu Vigilia ante aliu Orationes. Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quotias Missa in cantu commode haberi nequeat ».

P. VICTORIUS AB APPELTERN, O. M. CAP.

De Missa Sancti simplicis in Quadragesima.

Q. — Missae privatae in feriis Quadragesimae dici ne possunt ad libitum de simplici occurrente cum commemoratione et ultimo evangelio feriae, vel potius celebrari an necessario debeant de ipsa feria cum simplicis commemoratione? Huius petitionis ratio est quod *Ephem. Liturgicae*, anno 1915, p. 305 et 375 recitare permittunt ad libitum Missam quae ex his duabus magis placuerit celebranti, et solutionem hanc anno currenti confirmant p. 117. An recte?

R. — Cum bona pace cl. solutoris cui contradicere intendimus, en argumenta quae nobis videntur in contrarium decretoria.

---

(1) Idem dicendum est in Ecclesia, ubi unus tantum Sacerdos adest, qui Missam Conventualem vel Parochialem celebrare debet (Cf. S. R. C. 27 mart. 1902 ad 1 et 2, n. 4093).

Mens recentiorum rubricarum indubie est Tit. X, n. 2 ut, quoad fieri potest, totus reviviscat pristinus honor qui olim tribuebatur feriis Quadragesimae, et idcirco quam minime omittantur harum feriarum Missae, quae ex omnium confesso pulcherrimae Missalis reputantur et mira venustate et pietate praeditae (Cfr. Doct. Piacenza, In Constitutionem « Divino afflatu », p. 114).

Porro quid statuat rubrica ad hunc finem secure pertingendum? Primo, magis amplum facit et auget ius celebrandi Missas privatas feriarum Quadragesimae. In antiquo iure liturgico non poterant celebrari praefatae Missae in duplicibus quibuscumque; hodie excluduntur solum e duplicibus I et II classis, celebransque in omnibus aliis sumere potest Missam de feria, si libuerit, prae altera Missa duplicium occurrentium in Quadragesima.

Secundo, actum est de iure celebrandi Missas votivas privatas in Quadragesima. In antiquo iure licitae erant Votivae privatae absque ulla limitatione; in praesenti autem vetantur sine ulla exceptione. Hinc qui dicere non voluerit Missam de semiduplici occurrenti, superest ut ille sumat Missam de feria occurrenti, non autem aliam. quia sic textualiter praescribit rubrica. Hucusque nulla discordia.

Si vero habetur officium de feria et commemoratio de festo simplici, quid agendum?

Hic non amplius datur optio, sed Missa de feria est recitanda. Si quidem rubrica, taxative loquens de Missis privatis Sanctorum quae celebrari queunt ad arbitrium sacerdotis in feriis Quadragesimae, nullo modo inter eas computat Missam de simplici occurrente. Si tamen legislator ad hunc casum extendere voluisset facultalem optandi ad libitum, certo erat hic locus declarandi, si non egit, ergo noluit. Quod et confirmat iuris axioma: *Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*, praesertim quum omnis alia interpretatio iret contra legis scopum et mentem quae est favere, quantum libet, celebrationi quadragesimalium Missarum.

Quin imo Missarum votivarum privatarum prohibitio plenior est quam privatarum de Requie exclusio. Non solum recurrente semiduplici festo, sed etiam feria, prout statuit ipsum decretum S. R. C. 19 aprilis 1912 ad VII, absolute prohibentur *privatae de Requie*, excepta tantum prima cuiuscumque hebdomadae die libera. Ergo a fortiori prohibentur *votivae privatae*, etiam recurrente feria cum simplici commemorato, quoniam ne una quidem habetur exceptio pro huiusmodi Missis.

Insuper in casu Missa simplicis est ad minimum Missa *festivo-votiva*, et cum aliunde non reponitur in numero Missarum diei *praescriptarum a rubrica*, consequitur eam a mente legislatoris exulare, et dici non posse in feriis Quadragesimae, etiam ad libitum, quin peioris conditionis fiat Missa feriae, cui rubrica tamen unice intendit favere; haec enim Missa diei, tam praescripta quam praelata in rubricis, fieret inferior, si tantum commemoraretur, ut patet, in Missa simplicis. Ergo.

A. Fourneret
Parochus Langr. dioecesis.

De oratione imperata seu de collecta.

Oratio imperata, ait cl. Van der Stappen, vocatur illa, quae nullam habens relationem cum officio diei, non vi Rubricarum, sed ex praecepto speciali Ordinarii, in missis per aliquod tempus addenda praescribitur, ex causa rationabili, ut secundum rerum adiuncta bono alicui communi provideatur. In Rubricis aliquando vocantur *collectae* orationes missae quae dicuntur ante epistolam; frequentius tamen et communius in decretis hoc nomen restringitur ad orationes votivas, quae nullam habent, ut diximus, relationem cum officio diei, de quibus nobis est sermo.

Collectas imperare facultatem habet tantum Ordinarius, scilicet, Summus Pontifex, ubicumque voluerit, et Episcopus Ordinarius, in sua dioecesi.

Nulla lex praescribit quot numero collectas possit Or-

dinarius imperare; praxis tamen fere universalis est, Roma exemplum dante, ut Ordinarii fere semper unam, et identidem duas collectas imperent, prout bonum commune postulat (Cfr. *Ephem. Liturg.* 1, 1887, pag. 611), quae praxis, maxime cum servetur in Urbe, profecto de iure ab Ordinariis omnibus teneri potest, ut nulli sacerdotum ius detur de illorum agendi modo conquerendi.

Praelati Regulares etiam locales non possunt ordinare collectam dicendam in missa a subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis, quam pro necessitate communi, sine licentia Episcopi Ordinarii loci (S. R. C. 27 mart. 1779, n. 2514 ad 6). Ex his deducitur quod nullus sacerdos proprio marte orationem aliquam in missa addere valeat, ut melius eius intentioni, qui stipendium pro missa dedit, satisfaciat, vel pro aliqua necessitate; nisi ritus missae orationes stricte dictas votivas permitteret, aut quando tertia oratio a Rubricis praescripta esset ad libitum celebrantis relicta.

Collectas dicere obligantur omnes sacerdotes qui missam in loco, in dioecesi, in qua est ab Ordinario imperata, celebrant. Et ideo etiam in ecclesiis regularium, aliisque ecclesiis exemptis; et non licet clero earumdem ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id iusserit (S. R. C. decr. n. 2613[1, 2]).

Quaeritur, in quibus missis dicenda est oratio imperata, et in quibus casibus omittitur? Respondetur: Haec oratio seu collecta dici debet in omnibus missis, tum privatis, tum cantatis, tum solemnibus; ita ut numquam ratione solemnitatis tantum extrinsecae omitti possit.

Haec collecta, vel collectae, nisi sint pro re gravi, ab Ordinario praescriptae, prohibentur:

1. in duplicibus I et II classis;
2. in dominicis I et II classis;
3. in vigiliis Nativitatis et Pentecostes;
4. infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi; ac infra alias octavas particulares privilegiatas, si quae habeantur.

5. quando orationes a Rubrica praescriptae ternarium numerum superant.

Si tamen collectae imperatae sint ab Ordinario pro re gravi, omittuntur:

1. in duplicibus I classis;
2. in dominica palmarum;
3. in vigiliis Nativitatis et Pentecostes.

Quod si Ordinarius collectas pro re gravi praescripserit, *etiam in duplicibus I classis dicendas,* eae omittuntur:

1. in festis Nativitatis Domini et Epiphaniae:
2. in ultimo triduo Maioris Hebdomadae;
3. in dominica Paschatis;
4. in festo Ascensionis;
5. in dominica Pentecostes;
6. in festis ss. Trinitatis et ss. Corporis Christi.

Insuper quaeritur quo loco et quomodo dici debet oratio imperata? Respondetur: Oratio seu collecta imperata dicitur: 1° semper post omnes commemorationes speciales et communes a Rubricis praescriptas, quarum nulla unquam propter eam debet omitti: dicitur etiam post orationes votivas late dictas de ss. Sacramento et de anniversariis summi Pontificis et Episcopi, sed ante orationes votivas stricte dictas, quas celebrans ad libitum suum dicere potest in missa ritus simplicis, eo numero ut simul cum his sumptae ad quinque vel septem surgant: 2° Collecta imperata semper dicitur sub altera conclusione, et numquam coniungitur cum oratione substantiali missae; ita ut si unica tantum dicenda sit oratio in missis hac cum sua conclusione dicta, praemisso iterum *Oremus*, dicatur collecta imperata cum sua conclusione; si plures orationes sunt dicendae, ipsa dicatur suo loco ut supra, scilicet immediate post orationes a rubricis praescriptas.

Si plures collectae simul imperentur, observandum est: Si Ordinarius duas vel plures collectas praescribit, dicuntur, non ordine temporis quo praescriptae sunt, sed ordine dignitatis, vel eo ordine quo in missali referuntur, vel iuxta gravitatem gratiae obtinendae; et si agatur de

orationibus mysteriorum aut sanctorum, iuxta notum ordinem dignitatis personarum. Sed in casu consulendae sunt « Ephemerides Liturgicae » loco citato, pagg. 14 et 15, in quibus perspicue regulae proponuntur super expositae pro oratione seu collecta imperata, qualiter ordinarie praescribitur.

Aliquando praescribitur pro re non simpliciter gravi, sed gravissima, uti factum fuit a Summo Pontifice Pio IX pro Concilio Vaticano, 11 aprilis 1869; et uti diebus nostris Roma ad pacem implorandam; in casu servanda sunt quae praescribuntur et quo modo praescribuntur: in tali casu oratio seu collecta imperata dicitur etiam in omni festo, et dominica duplicis I classis, nee non feria privilegiata, exclusis excludendis ut supra; talis autem collecta pro re gravissima adiungitur orationi substantiali missae sub unica conclusione, nisi alia commemoratio specialis sit facienda (D. 3211). Hoc procul dubio statutum est, ne solemnitas I classis, suam dignitatem imminutam habeat, cum unica oratio sit indicium magnae solemnitatis; ideoque, ex una parte oratio *pro re gravi* non omittitur, et ex alia, unica tantum oratio quodammodo dicitur, cum unica sit conclusio (Cfr. *Ephem. Liturg.* an. 1915, pag. 10 et seqq.). Item dicendam in missis celebratis coram Venerabili Sacramento in altari exposito, occasione Orationis XL horarum (DD. 2323[1], 2327, 3245[2], 3574 ad V), in quibus collecta pro re gravi dicenda est sub unica conclusione. Quod si in missa festi I classis facienda sit aliqua commemoratio, puta dominicae occurrentis, tunc collecta adiungitur huic commemorationi, iuxta decretum 3365. P. D. A.

(1) Quod oratio sive collecta, ait commentator decreti 2597, a Superioribus imperata sit omittenda in festis rit. dupl. I class. tam certum est quam quod maxime. Declaratum id lego a Sacr. Congr.ne die 7 aug. 1627, quae ad dubium: « an oratio, *Deus, refugium nostrum*, quando Sanctissimus eam pro re gravi dicendam iubet, dicenda sit etiam in festis primae classis? » respondit: Non esse dicendam ». Confirmatur decreto 23 decembris 1914, in quo eadem S. Rituum Congregatio praescribit: « Si episcopus collectam *pro re gravi* simpliciter praecipiat, absque ulla mentione duplicium I class., collecta omittenda est in omnibus duplicibus I class., in vigiliis Nativitatis D. et Pentecostes, et in Dominica Palmarum ».

Consultationes.

Pro Gallia. — I. Ordines periti, innixi decreto: *in Placentina* antiquae collectionis, diei 11 aug. 1736, adnotant haec: « Exequiae, in triduo 2° mai. hebdom. fiunt sine cantu et sine lumine »; hoc videtur contradicere decreto S. R. C. n. 1589, ad IV, quo ad quaes.: « Dubitatur, quae ratio vel forma servanda sit in funeralibus alicuius defuncti, tam adulti quam parvuli, in feria V, VI et sabbato maioris hebdomadae », respondit S. C.: « Non debet alterari usus communis: alias enim omissa non fuisset regula ».

Resp. Criterium certum, quo reputari debeat abrogatum decretum, non amplius in authentica Collectione insertum, est existentia alterius decreti asservati, et illi contradicentis. Ergo hic valet omnino decretum n. 1589, IV, et perperam citatur decretum anni 1736. Hoc eo vel magis, quod in decreto 1589 datur ratio decisionis appellando ad Rituale Romanum: « alias enim omissa non fuisset regula », scilicet regula pro iis diebus in ipso Rituali.

II. Munus rectoris uniuscuiusque ecclesiae est, suppeditare pro Missa celebranda duos cereos maxima in parte cerae apum; 1° Hoc praeceptum nonne est sub gravi aut sub levi? 2° Quid sentiendum de Missa celebrata cum solis candelis stearinicis? 3° Quid dicendum de benedictione SS. Sacramenti data ad altare in quo sunt solae candelae stearinicae accensae? 4° Celebrans immunis est a peccato, et quali?

Resp. Cum normae, hac de re, relictae fuerint Ordinariis (decr. S. R. C., n. 4147), etiam quoad moralem obligationem, necesse est se remittere Ordinariis eisdem.

Candelae, saltem *notabili* cerae apum quantitate non

mixtae, penitus reiiciuntur in casibus praedictis (decreto citato).

Candelae sub gravi, ait Noldin, esse debent ex cera apum; causa autem mediocriter gravis ab hac lege excusat, Scienter candelas ex cera adulterata conflatas adhibere, non videtur esse gravis defectus (Idem).

Candelae ex stearina neque admittuntur cum aliis in altari ad maiorem solemnitatem (S. R. C., n. 3377, III).

III. Paramenta sacerdotalia confecta ex tela aurea, ratione pretiositatis, possunt adhiberi ex decreto S. R. C. pro albo, rubro et viridi colore; nonne ista decreta possunt applicari paramentis factis ex textura ferrea deaurata? in lingua gallica *Or mi fin?*

Resp. Affirmative, quia verum est superficiem illius texturae esse ex genuino auro. Putamus tamen, in dubii expositione *ferrea* dictum esse pro qualibet lamina metallica, nescimus enim an reipsa habeatur textura ex ferro deaurato.

IV. Rev.mus Piacenza dicit, quod si agantur exequiae alicuius defuncti in die Commemorationis omn. def. cantatur Missa de die cuius orationi adiungitur oratio in die obitus sub eadem conclusione, adestne decretum novum S. R. C.?

Resp. Expectatur reipsa S. Sedis declaratio, etiam pro designatione Missae, ex tribus de die: sed haec forsan prodibit cum rubricis Missalis, quae parantur.

Pro Bordeaux. — Cur in « Ephemerides Liturgicae », anni curr. (p. 166, die 18 nov. 1917), officium indicatur de Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli, non autem de Dominica XXV post Pentecosten?

Resp. Quia sic faciendum praescribunt novissimae rubricae, occurrente festo Domini novem lectionum cum Dominica minore (tit. IV, n. 1); atqui Dedicatio in casu est festum Domini novem lectionum, et Dominica XXV post Pentecosten est Dominica minor, ergo...

Pro Parisiis. — S. R. C. huic quaestioni: « In Missis

de *Vigilia* dicendumne est *Credo*, ratione festi symbolum habentis? », respondit, die 24 maii 1912 (Acta Ap. Sedis): *Negative;* quaeritur num responsio valeat etiam pro *Vigilia Ascensionis,* in cuius Missa adhibetur color albus, recitatur *Gloria* et in cuius officio *Te Deum* recitatur? V. gr., anno 1918, officium Apparitionis S. Michaelis Archangeli, cuius Missa symbolo gaudet, occurret in Vigilia Ascensionis. Quaeritur: Dicendum necne *Credo* in hac Missa Vigiliae?

Resp. Negative; quia festiva indoles Missae Vigiliae Ascensionis non auget ritum eius, qui manet simplex; atqui in simplicibus, prout ex. gr. in S. Maria in Sabbato, etiamsi Sanctus alias exigat symbolum, numquam dicitur *Credo;* ergo etiam in Missa Vigiliae Ascensionis, quamquam festiva, dicendum non est.

Pro Gallia. — Die 27 maii, in festo S. Bedae, duo simplicia festa in dioecesi Suessionensi habemus; prius (propter *proprietatem*) S.ae Restitutae, Virg. M.; posterius S. Ioannis I. S. Restituta non habet IX lectionem propriam, ideo de ea fieri nequit ad Matutinum. Non nobis indicanda videtur ut legenda IX lectio S. Ioannis I, ut in Breviario; quia, si festum proprium non habet Commemorationem ad Matutinum per IX lectionem a fortiori festum non proprium hanc IX lectionem habere nequit. Sed tunc, VIII lectio S. Bedae dividenda est. Ubinam? Post: « servitus corporis »?

Resp. Non est sufficiens ratio deficientiae lectionis de Sancta Restituta, ut privetur Sanctus Ioannes sua lectione; quia Commemoratio in Matutino non est indicium maioris praerogativae; si concessa est, legitur, sin minus, non. Imo si alicubi impediatur v. gr. S. Georgius M., ob occurrens duplex, nulla ei fit iniuria, quod non commemoretur in Matutino, quamvis ritus eius sit semiduplex. Si ergo non fit umquam iniuria Sancto, qui privetur IX lectione, etiamsi ritu nobiliori gaudeat, ita non fit si in locum eius, quo cessit, ingrediatur alter. Eo vel magis quod IX lectio est commemoratio accessoria, et ad abundantiam. Nequit ergo privari S. Ioannes iure quod possidet, nullum alienum laedens.

Pro Diamantina (Brasilia). — Celebrans solemniter, si Episcopus interest paratus pluviali in throno, postquam exposuit Sanctissimum super altari, debetne, dicturus *Dominus vobiscum*, vertere renes Episcopo, et sic manere dum diaconus cantat *Ite, missa est,* vel dicere *Dominus vobiscum* in latere epistolae ne vertat renes Sanctissimo neque Episcopo?

Resp. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et potius dicendum est, non posse Celebrantem terga vertere Sanctissimo et Episcopo, si stet rubricae dicenti in Missali: « Non vertit se ad populum in medio altaris, ne terga vertat Sacramento, sed a latere evangelii *(Fer. V in Coena Domini)* ». Ergo rubrica indicat a latere evangelii esse faciendum a Celebrante quod in medio. Quomodo igitur Episcopus stabit a tergo Celebrantis, qui terga vertit, de more, altari, non quidem in medio, sed in cornu?

Similiter, imo clarius, Caeremoniale Episcoporum: « Dum vertit se ad populum, dicturus *Dominus vobiscum,* non utique in medio altaris *vertit renes...* sed in latere evangelii (lib. II, cap. XXIII, n. 7) ».

Ex diocesi C. in Canada. — I. Si Vigilia Epiphaniae privilegiis gaudeat Dom., nonne in ea, sicut in Dom. anticipatis, dici debet *Credo?*

Resp. Affirmative, uti iam alias diximus et probavimus.

II. 1° Nonne iura Octavae etiam simplicis extendi debent ad diem Octavam? 2° Cur non ergo dici debet *Credo* die 3 ianuarii?

Resp. 1° Affirmative, sed non ea quae sunt incongrua. 2° Quia repugnat ritui simplici.

III. Quaenam ℟℟. dici debent in feriis Quadragesimae, feria 2ª Rogationum et Vigilia Ascensionis, cum lectionibus I Nocturni, quando in eis occurrit festum IX lectionum non exceptum? Novissimae Rubricae habent (Tit. I, n. 4): « In Officiis quae..... occurrunt in feriis lectiones de Scriptura nullimode habentibus, tam lectiones, quam responsoria, quae propria non sint, sumuntur de Communi, etc. »

In casu lectiones non sunt propriae, propria autem sunt responsoria; quod videtur indicari in Vigilia Ascensionis ubi datur 3^um^ ℟. pro Officio novem lectionum, licet lectiones necessario sumantur de Communi.

Resp. Responsoria de Communi, si festum non est, ut dicitur in dubio, exceptum, si scilicet non habentur propria. In casibus propositis, responsoria, quae incongrue appellantur propria, et melius appellarentur de tempore, non sunt dicenda, nisi cum lectionibus de evangelio, si fiat de feria vel vigilia, et cum lectionibus I Nocturni in Rogationibus et in Vigilia Ascensionis, si in ipsis occurrat officium IX lectionum, in quo recitari oporteat lectiones de Scriptura currenti, scilicet de tempore, omissas vel omittendas (Rubr. feria III in Rogationibus).

IV. Facultas dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quae conceditur Ordinariis per litteras S. Congregationis Concilii, 3 maii 1912, referturne ad solos dies festos, de quibus in dictis litteris agitur, an ad quodcunque festum, quod cum debita populi frequentia devote celebratur, v. gr. festum S. Patritii in multis orbis locis?

Resp. Ex verbis litterarum: « Quo autem christifideles magis excitentur ad *supradictos dies festos* pie sancteque excolendos », patet facultatem referri tantum ad dies in iisdem litteris descriptos. Si ergo festum S. Patritii vel aliud cum debita populi frequentia celebratur eo quod prius erat de praecepto, valet facultas, secus non valet. Exorbitaret enim interpretatio facta pro quolibet festo, etiam prius ex sola devotione celebrato.

Pro Placentina dioecesi. — Die 13 iunii huius anni, feria tertia post Pentecosten, poteratne apud familiam, in huius scilicet paroecia, celebrari funus militis bello interempti, forsan die 6 iunii, quo nimirum telegraphicum nuncium pervenit in patriam?

Resp. Rarum profecto est inveniri Kalendaria ecclesiastica seu *Ordines*, in quibus desit enunciatio dierum, quibus non licet Missas de requie celebrare; sed, etiam deficiente

eiusmodi instructione, mirum est inveniri parochos ignaros dierum pro funeribus exceptorum!

Missa de requie solemnis vel cum cantu, prima vice post obitum, nequit celebrari nisi diebus liberis a festo duplici I aut II classis, et a Dominicis vel festis de praecepto, etiam suppressis, necnon Vigiliis, Octavis et feriis privilegiatis. Ergo prohibebatur feria tertia post Pentecosten, in casu. Neque dici potest hanc Missam considerari potuisse pro defuncto, non quidem physice, sed moraliter praesente cadavere, quia, etiamsi iusta praesumptio haberi potuerit, non fuisse peractas exequias praesente corpore, considerato loco et momento quo miles decessit, ita ut reipsa exequiae parochiae essent primae exequiae de iure, tamen praesumptio nequibat haberi, imo cum horrore eam reiicere oportebat, quod cadaver post tot dies esset adhuc insepultum! Et si sepultum iam erat, cum non amplius iuxta decreta tempus utile adesset, eo quod transactum esset biduum, omnino deerat fundamentum, quo exequialis dicenda fuisset Missa, ac proinde permitteretur. Dato ergo quod funus considerari potuerit *primum* de iure, non tamen celebrari poterat feria tertia post Pentecosten, quia cadaver neque moraliter erat praesens. Oportebat igitur funus transferre ad diem 19 iunii.

Pro Rucupis, in America. — Mos viget pluribus in locis utendi in altaribus, ad expositionem SS. Sacramenti, luminibus ex oleo, saltem ad ornamentum, sin minus ad cultum in vasculis vitreis oleo plenis, interdum autem cera, cum ellychnio, etc. Quaeritur, utrum haec praxis, etiam extra Missam, decretis prohibeatur, in mensa, in gradibus supra mensam?

Resp. Decretum S. R. C., n. 4035, VI, ad dubium: « Permitti ne possunt in ecclesiis lumina ex oleo, quae mensae altaris imminent, et ardent etiam tempore Sacrificii? » respondit: « Negative ». Die 20 iunii 1899. Ex hoc decreto plane eruitur, tam tempore Sacrificii, quam alio quocumque tempore, non permitti super altari imminentia,

ergo etiam ad gradus candelabrorum, lumina ex oleo. Si vero agatur de luminibus ex cera, sed in vasculis, uti expositum est, si non directe prohibita, saltem ex convenientia arceri debent, quia ex universali praxi Ecclesiae lumina in altaribus debent esse in forma candelarum. Addatur ratio, ex periculo quod vitrei vasculi, nimio calore perrumpi queunt, et ita periculum proximum habetur commaculandi altare etc. Ne introducantur igitur periculosae et inconcinnae novitates.

Pro Viroduno. — Cathedralis ecclesia die 11 novembris consecrata est, ita ut de die octava Dedicationis ipsius agendum sit die 18 eiusdem mensis, qua occurrit Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli de Urbe. Communiter, nulla difficultas, quia Officium agitur de die octava Dedicationis ecclesiae cathedralis, cum commemoratione Dedicationis Basilicarum. Sed anno proximo, 1917, dies 18 novembris incidit in Dominicam; dubitatur proinde, utrum eo die agendum sit de Dedicatione Basilicarum, cum commemoratione Dominicae et diei octavae Dedicationis cathedralis, an potius de Dominica cum commemoratione Dedicationis Basilicarum et diei octavae?

Resp. Brevitatis gratia, non repetimus quae anno elapso diximus pro simili controversia (pagg. 691–693), et ad ea Lectores remittimus. Concludimus autem, animadvertentes, in Kalendario Virodunensi nullimode haberi occursum Officii Dedicationis Basilicarum SS. Apostolorum cum Dominica, quia dicti Officii in perpetuum facta est reductio ad solam commemorationem. Occurrit ergo in casu solum dies octava Dedicationis cathedralis cum Dominica, et consequenter prona est quaestionis solutio: Officium fiet de Dominica, cum commemoratione diei octavae et Dedicationis Basilicarum. Quomodo enimvero revivisceret Officium Dedicationis Basilicarum, quando in construendo Kalendario annuali, non amplius existente illo Officio, proponenda est electio tantummodo inter duo, ut ita dicam, contendentia, quae sunt: Officium octavae et Officium Dominicae? Ridi-

culum esset evocare proverbium: Inter duos contendentes tertius gaudet! Uno verbo: Nullum habetur Officium occurrens de Dedicatione Basilicarum SS. Apostolorum, proindeque de illo nulla quaestio.

Pro Nuceria Superiore. — I. In *Ephemeridibus Liturgicis* currentis anni, pag. 169, ad II Vesperas diei 6 iunii, pro S. Norberto ponitur ℣. *Elegit;* numquid non agitur de errore; namque, iuxta rubricas Breviarii romani, anno 1897 reformatas, pro simplificatis, qui commemorantur in utrisque Vesperis, « in II Vesperis antiphona sumenda est e Laudibus, et ℣. ex I Vesperis »?

Resp. Ita quidem agendum est, quia etiam in novissimo Breviario apposita est praedicta rubrica, inter eas, quae anno iubilaei 1900 tamquam typicae sunt propositae, quin in additionibus et variationis illi contradicatur.

II. Ad pag. 246 earundem *Ephemeridum,* anni 1915, sub lit. *b)* incisum: « Quod in duplici II cl. fiat commemoratio ad I Vesperas de quocumque duplici maiori vel minori occurrenti vel praecedenti, etsi simplificato », nonne deficit in eo quod non meminit semiduplicis simplificati?

Resp. Si quaestio referatur ad illud verbum *occurrenti*, Affirmative, quia rubrica novissima, tit. VII, de Commemorationibus, n. 2, ait: « In occurrentia (in duplicibus II cl.), fit commemoratio... de quolibet duplici vel semiduplici », et excludit simplex, dicens: « ...de simplici, de quo tamen non fit in I Vesperis ». Si vero quaestio est de concurrentia cum praecedenti, recte se habet doctrina illa, dicente eadem rubrica: « de Officio praecedentis, diei, etiam a nobiliori impedito... semper fit commemoratio, *praeterquam de festo semiduplici* ».

III. Item, ad pag. 234 eiusdem anni 1915, sub die 18 novembris, in Vesperis ponitur commemoratio Dominicae, praecedentis etc. Si hoc intelligendum est de II Vesperis, curnam commemoratio praecedentis? Si diverso modo, quomodo emendandum est?

Resp. Quum in redigendo Kalendarii specimine pro

Ephemeridibus prae oculis habitum fuerit aliud Kalendarium, in quo ex errore die 18 novembris, ad II Vesperas, notatum erat: « Vesperae de sequenti Dominica, com. praecedentis, etc. », in correctione, qua dictum est: « In Vesperis (scilicet de Dedicatione Basilicarum SS. App.) com. Dominicae », ex inadvertentia remansit verbum illud « praecedentis », id est Dedicationis, quod amplius, evidenter, locum non habebat, cum de illa factum fuerit integrum Officium Vesperarum, ita disponente nova rubrica, tit. VI, n. 2: « Dominicae minores cedunt Vesperas... et omnibus festis Domini, non vero diebus octavis item Domini, quae non sint privilegiatae ».

M.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 6 curr. anni, pagg. 361-384).

Solutio.

Ad I. *An calix non consecratus, ad Missae celebrationem adhibitus, remaneat consecratus, si cum eo Sacrum peractum fuerit?*

Resp. Duplex est sententia: prima *affirmat* cum Diana, Coninck ac aliis apud Tamburinum: « quae enim, ait Diana, maior consecratio, quam contactus Corporis et Sanguinis Christi, in quo residet ipsa substantialis sanctitas? Et nonne ipse S. Augustinus (apud Tamburinum) ait: Vasa..... *ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur?* ».

Secunda tamen sententia, quae est communior, *negat*, Hanc sententiam tenent Lacroix, Lugo, Lagman, Azor, etc. apud S. Alphonsum de Ligor. (l. VI, n. 380), cuius rationes sunt: 1° Non sufficit consecratio per contactum Corporis et Sanguinis Domini, sed requiritur consecratio caeremonialis, quae fit per Chrismatis inunctionem et benedictionem Episcopi, vel Abbatis, vel alterius privilegium pontificium habentis, quia Ecclesia, pro forma consecrationis calicis, verbalem benedictionem cum Chrismatis inunctione assignavit (vide Meratum in Gavant, t. I, p. II, tit. I, n. 9., qui hanc rationem diserte explicat).

2° Si profanus calix fit sacer per contactum Sanguinis Christi, ut opinatur Diana, cur non etiam barba, pannum et pavimentum, in quo defluxit sacer Sanguis? item, cur

non etiam consecratae censentur ecclesiae ipsae, vel domus, per Missas in eis celebratas?

3° Insuper ea verba S. Augustini nullo modo indicant quod vasa non consecrata ipso ministerio consecrentur et ad Sacrificium Missae deputentur: aliud enim est, ait S. Alphonsus (loco citato), rem sacrari, seu sancta dici, aliud ad Sacrificium deputari, quod tantum fit per caeremonialem benedictionem.

4° Huic sententiae favet decretum S. R. C. (die 31 augusti 1868 ad 7, n. 3162), quo declaratur, vestimenta sacra, nondum benedicta, per celebrationem Missae bona fide factam, consecrata seu benedicta non esse. Merito igitur concludit S. Alphonsus (l. c.) hanc secundam sententiam esse tenendam, dum altera saltem videtur esse dubiae probabilitatis.

Ad II. *Quid dicendum de usu, quei invaluit in processionibus B. Mariae Virginis Perdolentis, vel, uti dicunt, de Passione, in quibus pueri et etiam puellae patenas et calices, in usum Sacrificii addictos, afferunt?*

Resp. Constat, iuxta veteres Canones, nemini, nisi esset *in sacris* constitutus, licitum esse tangere vasa sacra. S. R. C. enim, licet permittat clerico, quando opus sit, munere subdiaconi fungi, vetat tamen eum calicem abstergere (6 decembris 1901 et 18 aprilis 1902).

Laicis id minime licet, et in casu absolutae necessitatis, nonnisi mediante velo. Qua de re, quam maxime deplorandus abusus, laicos, quibusdam in locis, tum pyxidem, tum ostensorium, tum calicem a sacrario ad altare publice deferre: huiusmodi arrogantiam profundae reverentiae SS. Sacramento exhibendae minus congruam, omnino in posterum, secluso rarissimae et improvisae necessitatis casu, ab ecclesiis removeri curetur. Regulares laici vero, ad sacristiae munus addicti, per privilegium SS. Pontificum Callisti III et Sixti IV tangere possunt vasa sacra; idem dicendum et de sanctimonialibus mulieribus ad ipsum munus positis, ob privilegiorum communicationem. Quinimo fatendum est quod et hodie, consuetudinis gratia, id licitum videtur et

sacristis laicis sacerdotum saecularium, omnibusque qui ecclesiis in habitu clericali deserviunt. Ipsi enim quum functionibus clericorum vicem accipiunt, nemo non videt quod virtute eiusdem officii in necessitatem aliquando se habeant vasa sacra tangendi.

Vehementer igitur reprobanda est theatralis illa consuetudo permittendi in processionibus, ut in casu, pueros puellasque deferre calices et patenas, quae ad sanctum sacrificium Missae adhibentur. Necesse est igitur totis viribus niti ut quamprimum abusus huiusmodi evellantur, scenaeque istae e medio tollantur; et vota nostra depromimus, si istae profanationes iterum verificentur, ut Rev.mi Episcopi et verbo et factis ac remediis opportunis hoc prohibeant.

Quaestio.

Aloysius, capellanus cuiusdam Nosocomii, permittit ut aliquot fideles, eidem domui haud addicti, Missae de praecepto saepe saepius adsistant et sacram Eucharistiam sumant. Quaeritur ergo :

1. *Quaenam sunt Oratoria* publica, privata et semipublica, *et in quonam ex his praecepto de audienda Missa satisfacere et S. Eucharistiam distribuere licet?*

2. *Ecclesia exsecrata vel polluta reconciliari potest a simplici sacerdote?*

3. *Potestne sacerdos Missam celebrare non in ecclesia, sed sub dio, vel alio quovis loco?*

4. *In feria V in Coena Domini, iustis ex causis, possuntne plures Missae celebrari, vel Missa saltem privata, et Communio (etiam in Sabbato Sancto) distribui, ubi rituales Maioris Hebdomadae functiones minime sunt peractae?*

5. *Licetne privatum Oratorium consecrare aut so-*

lemniter benedicere; et quaenam formula, in casu, est adhibenda; et an ecclesia, constructa vel construenda ex materia, quae coementum armatum *nuncupatur, consecrari valeat, adhibita forma ac ritu Pontificalis Romani?*

Solutio.

Ad I. *Quaenam sunt Oratoria publica, privata et semipublica, et in quonam ex his praecepto de audienda Missa satisfacere et S. Eucharistiam distribuere licet?*

Resp. Oratoria in *publica, privata et semipublica* distinguuntur. *Publica*, ea sunt, quae, auctoritate Ordinarii, ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum. *Privata*, e contra, stricto sensu dicuntur Oratoria, quae privatis in aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex Indulto S. Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria *semipublica* sunt et vocantur. Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Leo Pp. XIII, ex Sacrorum Rituum Congregationis consultu, statuit et declaravit: Oratoria *semipublica* ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius Communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Huius generis Oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica, ed pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad arces

et carceres, atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent capellae in coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat (decr. 23 ian. 1899, n. 4007).

Quoad S. Communionem, ipsa ministrari potest sive in Oratoriis, publicis, sive in semipublicis; quoad vero Oratoria privata, quidquid scriptum aut decretum fuit, nunc temporis in his S. Communionem ministrare licet non tantum indultariis (S. R. C. 10 febr. 1906), verum etiam fidelibus ibidem Sacro adstantibus, *salvis iuribus parochialibus* (decr. 8 maii 1907): praecepti obligationi vero, quoad Missam, tantum indultarii, in istis privatis Oratoriis, satisfaciunt. Verba *salvis iuribus parochialibus* includunt reservationem S. Communionis in privatis Oratoriis distribuendae, tam pro praecepto paschali adimplendo, quam pro Sacro Viatico infirmis administrando. Nunc temporis, per decretum S. C. Concilii, diei 28 nov. 1912, contra veterem iurisprudentiam in huiusmodi quaestione, etiam die paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis causa, Ss. Eucharistiae Sacramentum fidelibus administrari licet, et conseguenter etiam in Oratoriis quibuslibet.

Ad II. *Ecclesia exsecrata vel polluta reconciliari potest a simplici sacerdote?*

Resp. Ecclesia exsecrata, quoad reconciliationem, iterum consecranda vel benedicenda est, iuxta ritum et formam pro consecratione vel benedictione ecclesiae praescriptam. Ecclesia polluta, si fuerit tantum benedicta, reconciliari potest per simplicem sacerdotem ad hoc ab Episcopo delegatum, iuxta ritum praescriptum in Rituali Romano, quin in casu necessitatis necesse sit ut aqua ab Episcopo sit benedicta. Si vero ecclesia fuerit consecrata, reconcilianda est per Episcopum dioecesanum vel, ex eiusdem consensu, per alium Episcopum vel per sacerdotem ex privilegio pontificio: quod quidem privilegium superiores Regularium habent

pro suis ecclesiis (Const. *Dudum* Iulii II, et Const. *Religionis* Leonis X), utendo ritu Pontificalis Romani cum aqua ab aliquo Episcopo ad hoc benedicta.

Ad III. *Potestne sacerdos Missam celebrare non in ecclesia sed sub dio, vel alio quovis loco?*

Resp. Iure communi et ordinario, Missa celebranda est in ecclesiis vel oratoriis (ab habente auctoritatem) consecratis vel benedictis, dummodo non sint interdicta, nec polluta, nec exsecrata. Diximus *iure ordinario*, quia in casu gravis et urgentis necessitatis licet celebrare etiam sub dio in tentoriis et alio quovis decenti loco, cum ex. gr. deest ecclesiarum copia et urget praeceptum celebrationis, vel audiendi Sacrum; itidem tempore pestis, belli, terraemotus, persecutionis etc. In his tamen casibus, si Ordinarius adiri possit, eius licentia postulanda est.

Ad IV. *In feria V in Coena Domini, iustis ex causis, possuntne plures Missae celebrari, vel Missa saltem privata; et Communio (etiam in Sabbato Sancto) distribui, ubi rituales Maioris Hebdomadae functiones minime sunt peractae?*

Resp. Missa celebrari potest omnibus diebus, excepta feria VI in parasceve, in qua omne Sacrificium est interdictum; et feria V in Coena Domini, et Sabbato Sancto, in quibus, ordinaria praxi, Missae privatae prohibentur. Si vero in feria V in Coena Domini occurreret festum quod feriationem adnexam habet, et in quo populus Sacro interesse tenetur, tali in casu providendum est, per Ordinarios locorum, ut ante celebrationem Missae solemnis seu conventualis, celebrentur tot Missae privatae quot requiruntur ut populus satisfacere possit obligationi Missae audiendae. Hoc tamen non extenditur ad loca in quibus desit obligatio audiendi Sacrum (S. R. C. 18 aug. 1879). In ecclesiis Regularium, sicuti in aliquot Communitatibus piarum mulierum, ubi functiones rituales Maioris Hebdomadae fieri nequeunt, ne quidem iuxta parvum Memoriale Benedicti XIII, Missa privata celebrari potest in privato Oratorio in feria V ut ministrari Communio possit Religiosis aliisque ibi com-

morantibus, priusquam in cathedrali, vel matrici, conventualis incipiat (d. 2616[1]): et si desit Oratorium, hoc fiat in ecclesia ianuis clausis (S. R. C. 31 aug. 1839). In Sabbato Sancto autem licet inter Missarum solemnia, S. Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa (S. R. C. 22 martii 1806—28 apr. 194); haud licet autem, hac die, Missae eiusdem celebrationis tempore, ab alio sacerdote, quam a celebrante, superpelliceo et stola induto, Eucharistiam, christifidelibus exposcentibus, distribuere. In ecclesiis autem in quibus Missa minime celebratur, S. Communio distribui potest, sed tantum post cantum *Gloria in excelsis* (quod finem ponit luctui et Ecclesiae moestitiae) in Missa, quae celebratur in ecclesia primaria, in cuius finibus sitae inveniuntur ecclesiae supradictae, vel quocumque modo eidem adlectae sunt (1).

Ad V. *Licetne privatum Oratorium consecrare aut solemniter benedicere ; et quaenam formula, in casu, est adhibenda ; et an ecclesia, constructa vel construenda ex materia, quae* coe-

(1) Fas est referre quod Redactio *Ephemeridum Liturgicarum* **de Communionis distributione in triduo mortis Domini** in conventu Academiae liturgicae Romanae, 24 februarii 1915 habitum, adnotavit : « Decretum S. R. C., n. 3842, III, etiam in ecclesiis non parochialibus, in quibus non habentur functiones tridui sacri, permittit ut ss. Eucharistia servetur saltem usque ad occasum feriae V in suo altari, ut fideles, loco sepulcrhi ad eam adorandam accedere valeant. Unde minus recte asseritur necessario debere abscondi vel consummari ss. Species. Quod si v. gr. moniales, praesertim claustrales, nequeunt functiones eorum dierum celebrare, cur prohiberi deberet retinere ss. Sacramentum, et tum feria V, tum Sabbato Sancto s. Communionem accipere, dum hanc acciperent in Missa si lucum haberet ? Decretum 28 aprilis 1914 non obstat, in eo enim sermo est de locis in quibus celebratur Missa in Sabbato Sancto. Redactio optaret solutionem per legitimam Auctoritatem, tam circa asservationem Eucharistiae, quam circa sumptionem praefatis diebus apud religiosa instituta, in quibus Missa haberi nequit » (Ann. 1915, pag. 276).

mentum armatum *nuncupatur, consecrari valeat, adhibita forma ac ritu Pontificalis Romani?*

Resp. Quoad *oratoria stricte privata,* quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto S. Sedis erecta sunt, nequeunt consecrari vel solemniter benedici, sed ea tantum formula benedicuntur, quae *pro domo nova* aut *loco* in Rituali Rom. habetur (S. R. C. 5 iun. 1899). Oratoria autem *publica* iure consecrari possunt aut saltem solemniter benedici debent. Quoad denique oratoria *semipublica,* ipsa ad libitum, scilicet cum ritu solemni aut privato benedici vel etiam consecrari possunt: id pariter desumitur ex supradicto decreto, diei 5 iun. 1899, ad 5. Quoad autem ecclesiam ex *coemento armato,* uti dicunt, constructam, ipsam, iuxta decretum S. R. C. diei 12 novembris 1909, consecrare licet, dummodo duodecim Crucium loca, et postes ianuae principalis sint ex lapide.

Quaestio.

Bernardus, cuiusdam ecclesiae rector, parocho dissentiente, semel atque iterum in mense S. Communionem, *devotionis causa,* uni vel pluribus infirmis, gravi morbo minime affectis et etiam non ieiunis, deferre solet, utens, ad libitum, aut ritu privato aut vero solemni.

Quadam autem die, cum in Communione, uti aiunt, generali SS. Particulae defecissent, usus est illis tunc ab alio sacerdote in altero altari consecratis.

Quaeritur ideo:

1. *Licetne S. Communionem,* devotionis causa, *semel vel compluries deferre infirmis, etiam non ieiunis, sumentibus ex. gr. iusculum, tenuissima frustula comminuti panis etc., et haud continuo decumbentibus?*

2. *Quidnam praescribitur in admnistranda Eucharistia ritu privato ; et estne ipsa facultas ordinaria an delegata ; et quo in casu debet ipsa deferri ritu privato?*

3. *Estne exclusive parocho reservata admnistratio S. Communionis, ritu privato devotionis causa, et S. Viatici ?*

4. *Licetne sacras Particulas distribuere statim ac ipsae consecratae fuerint ; et potestne, SS. Sacramento solemniter exposito, cantari* Dominus vobiscum, *iuxta Ritualis Rom. praescriptiones, v. gr. in precibus* pro gratiarum actione ; *et oratio* Concede nos *de B. Maria Virgine in omnibus temporibus ?*

Solutio.

Ad I. *Licet S. Communionem,* devotionis causa, *semel vel compluries deferre infirmis, etiam non ieiunis, sumentibus ex. gr. iusculum, tenuissima frustula comminuti panis etc., et haud continuo decumbentibus?*

Resp. Pius Pp. X s. m. per generale S. C. Concilii decretum diei 7 decemb. 1906 benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumbunt absque certa spe cito convalescendi, de confessarii consilio, sacram Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis, qui degunt in piis domibus ubi Ss. Sacramentum asservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint. Sacra autem Congregatio S. Officii, die 7 sept. 1907, declaravit, « sub formula *per modum potus,* mentem quidem esse, quod liceat sumere iusculum, caffeum, aliumve cibum liquidum, cui sit permixta substantia aliqua, ex. gr. leves farinae, pastilli (italice *semolino*), aut tenuissima frustula comminuti panis (italice *pangrattato*) etc., dummodo quod inde coalescit, non

amittat naturam cibi liquidi ». Nomine autem infirmorum, qui a mense decumbunt, et idcirco, iuxta decretum 7 decembr. 1906, S. Eucharistiam non ieiuni sumere possunt, intelliguntur non solum infirmi, qui lecto decumbunt, sed etiam qui, quamvis gravi morbo correpti et, ex medici iudicio, naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt. Ad magis autem magisque fovendam S. Communionis frequentiam, Pius Pp. X., per decretum S. Congr. Sacram. diei 23 decembr. 1912, hoc insuper opportune statutum voluit, ut Ordinarii permittere possint, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant, et S. Communionem ob devotionem petant, cum *praesertim* in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur. Haec enim facultas valet pro quolibet infirmo, qui domo egredi nequeat ut ad ecclesiam pergat; et non solum quando ipse vel alii multi pluries, verum etiam quando una tantum vice Eucharistiam sumere desiderant; enimvero, in dicto decreto, casibus istis praeponitur *to praesertim*, quod unicam petitionem excludit.

Ad II. *Quidnam praescribitur in administranda Eucharistia ritu privato; et estne ipsa facultas ordinaria an delegata; et quo in casu debet ipsa deferri ritu privato?*

Resp. Pro delatione sacrosanctae Eucharistiae sacramenti ad infirmos, utique servari debent ea quae a Rituali Rom. praecipiuntur: datis tamen quibusdam circumstantiis, concessum iam fuerat, ut secreto deferri posset ritu privato, iuxta decretum Benedicti XIV quod ita sonat: « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur ». Ad haec potest sacerdos pileum capite gestare, nec necesse est ut ille, qui eum comitetur, lumen accensum deferat. Ubi vero

nihil timendum sit, nec debita a fidelibus desit reverentia erga Ss. Eucharistiam, potest sacerdos bireto caput non cooperire, bursamque palam deferre ita ut ab omnibus cernatur, et ille, qui comitetur, aliquod lumen accensum gestare. Attamen ritus huiusmodi secretae delationis, tantummodo adhibendus erat pro administrando Viatico, ut clare patet legenti praefatam Constitutionem. Hodie vero per citatum novum decretum (23 decembr. 1912) conceditur quoque, ut secrete deferatur iuxta ritum in appendice Ritualis Rom. iis in civitatibus, in quibus aliquid timendum sit quod venerationi erga Ss. Sacramentum obstet, non tantum pro Viatico, sed etiam quando Communionem exposcunt fideles pro sua devotione, iuxta mentem Pontificis hanc gratiam concedentis.

Et sane; licet in civitatibus hodie, etiam populo frequentioribus, forsan infidelium furor non sit pertimescendus, prout erat in regno Serviae, pro quo Benedictus XIV decretum praedictum tulerat, nihilominus, quia, partim ob fidem languescentem et indifferentiam invalescentem, partim quoque ob ingentem negotiorum numerum atque febrim, qua plebs hodie intricata ac pressa esse videtur, ita ut per vias tum curruum, tum peditum continua adsit multitudo, saltem negativa contemptio inveniretur erga Sacramentum, et non sufficiens reverentia, quam eliminare aut impedire nulla lex ecclesiastica potest; hisce igitur rationibus freta S. Sedes, ne fideles, qui frequenter Communionem sumebant in ecclesiis, quando morbo aliquo domi detinentur (de quo iudex esse debet sacerdos) pane coelesti diutius priventur, hanc concessionem est elargita, de qua omnes debitas gratias Iesu Christo, eiusque in terris Vicario reddere debent. Haec autem facultas minime est *delegata,* sed *ordinaria;* quapropter Episcopi eam etiam *ad modum actus vel ad modum habitus* concedere possunt parochis, Vicariis foraneis etc., cuiusque loci propriae dioecesis.

Ad III. *Estne exclusive parocho reservata administratio S. Communionis, ritu privato, devotionis causa, et S. Viatici?*

Resp. Minime praescriptum est Communionem, ritu privato, devotionis causa, exclusive a parocho, vel ab alio delegato, deferendam esse: cuique sacerdoti, qui S. Communionem in ecclesiis rite fidelibus ministrare potest, etiam domibus privatis talis pariter concessa est facultas. Ut autem sacerdos possit ab ecclesia per domos deferre SS. Sacramentum, oportet ut ecclesiae rector talem facultatem expresse aut saltem praesumpte ipsi concedat. Hoc tamen dictum sit, nisi habeatur consuetudo infirmorum Communionem, seu illam ministrandi licentiam, semper parocho reservandi. Quoad autem Viaticum attinet, ipsum a parocho vel ab eius coadiutore exclusive est deferendum, nisi aliud postulet necessitas. Ordinaria praxi ipsum ritu solemni deferendum est; ex iustis autem et rationabilibus causis, evidenter potest etiam ad hoc extendi concessio suprarelati decreti, id est cum ritu privato.

Ad IV. *Licetne Sacras Particulas distribuere statim ac ipsae consecratae fuerint; et potestne, cum SS. Sacramento solemniter exposito, cantari « Dominus vobiscum », iuxta Ritualis Rom. praescriptiones, v. gr. in precibus pro gratiarum actione; et oratio « Concede nos » de B. Maria Virgine in omnibus temporibus?*

Resp. Ad quaesitum propositum: « Valetne sustineri usus aliquarum ecclesiarum, in quibus, ratione concursus ingentis populi, cum non suffecerit multitudini pro S. Communione quantitas hostiarum, iam subsequente alia Missa, statim a consecratione reassumitur distributio Communionis? S. R. Congr., die 11 maii 1878, respondendum censuit: « Abusum est interdicendum ». Ratio est quia Communio, iuxta Tridentinum, locum habere debet post consummationem, aut in altari in quo particulae consecratae fuere, aut in alio.

Quoad autem versiculum *Dominus vobiscum*, is omittendus est ante orationes, etiam litanias SS. Virginis et hymnos Sanctorum subsequentes, iuxta Rituale Romanum, vel in Expositionis occasione vel in alia, iuxta decreta S. Rituum Congregationis nn. 1265 ad 7; 1548; 3751 ad 1; et recentius, die 20 augusti 1901, n. 4081 ad 7, in una *Vicen-*

tina, quod decretum sic habetur: « Consuetudo hic viget dicendi ℣. *Dominus vobiscum*, ante orationes, quibus litaniae B. M. V. vel hymni in Sanctorum honorem concluduntur coram SS. Sacramento publice exposito; cum non immediate, vel post cantum *Tantum ergo* et orationem *Deus, qui nobis*, detur benedictio cum eodem, potestne talis consuetudo servari? »; et S. Tribunal respondendum censuit: « Negative, iuxta alias decreta ». Concludendum est ℣℣. *Domine, exaudi* et *Dominus vobiscum* non esset pro libitu dicendos, sed iis tantum in casibus, quibus a codicibus praescribuntur, haud contraria obstante consuetudine.

Quod denique orationem *Concede nos*, non tantum permittitur, sed laudanda est praxis, pro temporis qualitate, canendi orationis B. Mariae Virginis loco alterius *Concede nos*, adiectis pro temporis diversitate, debitis convenientibusque versiculis.

Quaestio.

Venantius parochus solet saepe saepius in anno Missam celebrare, aut saltem celebrationem committere, summo mane aut multo post meridiem, cum vel sine populi concursu.

Quaeritur ideo:

1. *Quo tempore permittitur Missae celebratio?*

2. *Quo in casu sacerdos celebrans potest per se anticipare vel posticipare horam Missae?*

3. *Potestne Episcopus dispensare a lege circa tempus celebrationis?*

4. *Licetne, sacra Nativitatis I. C. nocte, unam aut tres rituales Missas celebrare et Eucharistiam administrare?*

5. *Fragmentis et calici non purificato, ex. gr. die Nativitatis I. C., debetne genuflecti?*

6. *Missae privatae celebrari possunt in altari chorali dum horae canonicae persolvuntur?*

Solutio.

Ad I. *Quo tempore permittitur Missae celebratio?*

Resp. Missae privatae celebrari possunt quacumque diei hora, ab aurora usque ad meridiem (Rubr. gen. Missal. rom. tit. XV, 1). Aurora non est physice sumenda, sed moraliter et politice, quando scilicet terminari solet hominum quies et inchoari labor iuxta probatam regionum consuetudinem (S. R. C. 2 novembr. 1634, n. 614). Sicut autem aurora ita, et meridies eodem modo intelligendus est. Eruditissimus et hodiernus auctor ita ad rem scripsit: « Siccome il principio dell'aurora, come il sorgere del sole, varia secondo il diverso grado di latitudine in cui è posto un paese, così ogni diocesi ha la sua tabella particolare, nella quale si indica il principio dell'aurora, e quindi il tempo della celebrazione della Messa. È da deplorare la poca o niuna importanza ed esattezza che si pone, in taluni paesi, col non far suonare, con le debite variazioni nei tempi stabiliti, almeno dalla campana della chiesa principale nei piccoli centri, il principio dell'aurora: è questo un mezzo che fa disconoscere e toglie ogni importanza alla legge imposta dalla Chiesa sul tempo della celebrazione del S. Sacrificio ».

Toleratur anticipatio tertiae horae partis post meridiem, uti constat ex edicto Benedicti XIII, et Clementis XII, apud Benedictum XIV (Inst. Eccl. XII, n. 4). Regulares ex privilegio Missam celebrare possunt una hora ante auroram ac una hora post meridiem. Hoc privilegium censetur *personale*, ita ut Regulares eo ubique uti possint; et *locale*, cum etiam sacerdotes saeculares in ecclesiis Regularium eo frui possint. Tali privilegio gaudent etiam *Sacerdotes Adoratores*, necnon nonnulla alia pia Sodalitia a S. Sede rite adprobata.

Ad II. *Quo in casu sacerdos celebrans potest per se anticipare vel posticipare horam Missae?*

Resp. Ad Missam pauco tempore anticipandam vel differendam quaelibet rationabilis causa sufficere potest: pro notabili autem tempore gravis requiritur causa, et quo maior est anticipatio aut dilatio, eo urgentior debet esse causa ut excuset. Communiter allegantur sequentes causae: 1° Necessitas communicandi infirmum gravi morbo affectum: quo casu post mediam quidem noctem posse celebrari plures censent. Si sit necessarium ut populus audiat Missam diebus de praecepto, alioquin eam non auditurus. 2° Quaelibet iusta et rationabilis causa, ut itineris, publicae supplicationis, funeris alicuius magnatis, concionis, collationis Ordinum, missionis etc. excusare potest ad celebrandum per horam ante auroram vel post meridiem. 3° Consuetudo rationabilis v. gr. ut operarii et famuli *summo mane*, missam audire possint antequam ad opera sua pergant: aut vero per priviiegium post Concilium Trid. concessum (S. Alph. l. 6, n. 342). 4° Diebus festis, quando celebrari solet, pro populi commoditate, Missa privata post solemnem, etiamsi ipsa per duas horas post meridiem absolvatur.

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Vizagapatamensis et Nagporensis.

DUBIA.

R.mi Episcopi Dioecesium Vizagapatamensis et Nagporensis, qui iam receperunt Kalendarium ad usum ipsarum Dioecesium a S. Rituum Congregatione revisum et approbatum, sequentia dubia pro opportuna solutione eidem S. Congregationi exposuerunt; nimirum:

I. An eiusmodi Kalendarium adhiberi possit ab omnibus sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis suae Dioecesis?

II. An Titulares Ecclesiarum Cathedralium et Patronus Indiarum debeant ab eisdem sacerdotibus omnibus celebrari cum octava, vel sine octava?

III. An Episcopi utriusque Dioecesis possint mutare Titulares Ecclesiarum, sive quia incerti sunt, sive quia nec approbati, vel non habent Officium in Kalendario Dioecesano?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, rescribendum censuit:

Ad I. Servetur decretum de Festis localibus, diei 28 februarii 1914 ad I et III.

Ad II. Serventur Rubricae novissimae ad normam Bullae *Divino afflatu*, Breviarii Romani, tit. IX, nn. 2 et 3.

Ad III. Nihil innovetur, si agatur de Sanctis in Martyrologio Romano vel in eius Appendice approbata insertis. Si vero agatur de Ecclesiis consecratis et de Titularibus incertis, proponatur elenchus antiquorum vel novorum Titularium S. Rituum Congregationi pro approbatione. Quod si Ecclesia non fuerit consecrata aut solemniter benedicta, ipse Episcopus eam benedicat vel consecret, assignando Mysterium vel Sanctum Titularem iuxta Rubricas et Decreta; prae oculis habito, quod Beatis nec Ecclesiae nec Altaria dedicari possunt.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 5 maii 1916.

† A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf., *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S. Alexander Verde, *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Rectum responsum datum est huic primae quaestioni. Scilicet, Sacerdotes dioecesani, procul dubio debent uti kalendario dioecesano, ut patet; Regulares vero, distinguendi sunt iuxta citatum decretum 28 februarii 1914. Si Regulares pertinent ad Ordines vel Congregationes habentes peculiare kalendarium, tunc eo uti debent, adiectis tantummodo officiis Titularis et Dedicationis Cathedralis nec non Patroni principalis aut Patronorum principalium si plures sint; si vero pertineant ad Congregationes proprium kalendarium non habentes, tunc profecto kalendario dioecesano uti debent.

Haec omnia plane eruuntur ex citato decreto.

Ad II. Rubrica hic citata clarissima est; omnes, etiam Regulares proprium kalendarium habentes, tenentur ad officia Titularis et Dedicationis Cathedralis, et Patroni Principalis, ut supra, absque tamen octava; Regulares vero proprium kalendarium non habentes, ad octavam quoque tenentur, sed omnino servare debent kalendarium dioecesanum.

Ad III. Titulus Ecclesiae est quasi ad instar Nominis quod imponitur homini baptizato; quo accepto, mutari minime potest, ob illud principium: « factum infectum fieri nequit ». Quapropter Ecclesiae, quae iam consecratae inveniuntur in duabus dioecesibus de quibus agit Decretum, optime illum Titularem retinere debent, qui eis datus fuit in actu Consecrationis, prout fit de nomine accepto in sancto Baptismate. Igitur profecto nil innovandum dicitur in hoc responso, si agatur de Sanctis Titularibus quorum nomen invenitur in romano Martyrologio, vel in eius adprobata appendice. Episcopi enim facultatem habent quidem eligendi Titulares in actu dedicationis; qua peracta, mutare nequeunt, imo nec novum Titularem adiungere antiquo, absque S. Sedis beneplacito.

Quod si agatur de Titularibus *incertis*..... ut intelligatur huiusmodi locutio oporteret habere prae oculis integrum postulatum Episcoporum, qui quaesita proposuere; nescitur enim si adiectivum *incertis* afficiat nomen Titularis, an scilicet sit Sanctus de quo incertus sit cultus, an dubitetur quis ex variis Sanctis eiusdem nominis sit Titularis.

In utroque casu ad S. Sedem est recurrendum pro adprobatione ad dirimendas quaestiones. Si vero agatur de novis Ecclesiis consecrandis, tunc optime quid sit agendum explicatur in hoc tertio responso.

Dubium tamen oritur, meo iudicio, circa Ecclesias quae in responsione dicuntur *nondum solemniter benedictae*. Iterum deberem habere sub oculis postulatum integrum Episcoporum, nam non intelligitur quomodo existere possint

Ecclesiae publicae, quae non sint saltem *benedictae* formula Ritualis.

Nescitur enim quid sibi velit illud adverbium *solemniter*, quasi dari possint Ecclesiae publicae benedictae solemniter et non solemniter. In libris liturgicis non habemus nisi duos ritus pro sacranda nova Ecclesia publica; vel *ritum benedicendi novam Ecclesiam* in Rituali Romano, vel ritum de *dedicatione seu consecratione Ecclesiae* in Pontificali. Atqui Missa celebrari nequit in Ecclesia, quae non sit saltem benedicta iuxta ritum Ritualis, in quo legitur: « Ritus benedicendi novam Ecclesiam seu Oratorium publicum, *ut ibi Ss.mum Missae sacrificium celebrari possit* », ergo non intelligitur quomodo in dioecesibus, de quibus agit Decretum, inveniri possint Ecclesiae publicae nondum benedictae.

Quidquid sit de hoc dubio nostro, si revera habentur dictae Ecclesiae *non benedictae*, expleatur in casu quod decernitur per hoc III responsum.

P. Piacenza.

II.

DUBIA.

De Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu et de precibus post Missam.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio expostulata est:

I. An Missa Votiva Sacratissimi Cordis Iesu a Leone Papa XIII concessa pro qualibet Feria Sexta, quae prima in unoquoque mense occurrit, prohibita sit in omnibus Festis Domini, iuxta decretum n. 3712 diei 28 iunii 1889; vel tantum in Festis Christi Domini, ad mentem novarum Rubricarum, tit. IV, n. 7, tit. VI, n. 4, et iuxta Notanda in Tabellis n. 8?

II. An Preces post Missam omittere debeat Sacerdos, qui Sacrum facit in Oratorio cuiusdam Communitatis Religiosae, dum ipsa Communitas vel lectioni meditationis, vel alteri Missae assistit, vel ad recipiendam Sacram Communionem accedit, vel pias preces in communi recitat?

III. An liceat Preces omittere in fine Missae quae celebratur in altari Sanctissimi Sacramenti si immediate post eam Sacra Communio administanda sit?

Et Sacra eadem Congregatio, audito voto specialis Commissionis, respondendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Negative;* et in casu Preces praescriptae recitentur submissa voce tam a Sacerdote celebrante quam a clerico seu inserviente vel tantum respondente; et dentur Decreta, praesertim Decretum de Precibus in fine Missae recitandis, diei 20 iunii 1913.

Ad III. *Negative*, iuxta Decretum suprarelatum, et in casu Ss.ma Eucharistia administretur post Preces.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 2 iunii 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf., *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Pluries in *Ephemeridibus Liturgicis* nostris nos ipsi distinguendum esse diximus inter festa quae habent obiectum Deum *Unum et Trinum*, uti festum Ss.mae Trinitatis, et Dedicationis Ecclesiae, et festa in honorem unius

ex tribus Personis Augustissimae *Trinitatis*, uti Pentecostes et festum Corporis Christi, etc. Quando ergo in decretis dicitur quod in festis Domini nequit celebrari Missa de S. Corde, et fieri non potest commemoratio alterius festi Domini, applicanda est distinctio supra a nobis proposita. Gaudemus ergo quod S. R. C. suo iudicio ipsam distinctionem explicite adprobaverit. Dicimus *explicite*, nam *implicite*, principia Liturgica id probe admittebant. Igitur Missa de S. Corde celebrari licet infra Octavam Dedicationis Ecclesiae, item Missa votiva de Spiritu Sancto. E contra infra Octavam Transfigurationis Missam de S. Corde non possumus celebrare quia agitur de eadem Persona.

Ad II. Optima responsio. Licet enim ex decreto citato 20 iunii 1913 preces in fine Missae omittendae sint, *si Missa cum aliqua solemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium*, in casu tamen de quo agitur in quaestione, exercitia quae peraguntur a religiosa Communitate, directam relationem non habent cum celebratione Missae, et celebrans post Missam non praeest ipsis exercitiis, dum in citato decreto functio, seu pium exercitium, perficiuntur quidem a fidelibus adsistentibus, sed sub praesidentia Sacerdotis, qui proinde non tenetur recitare preces in fine Missae. Manet ergo tota vis eiusdem decreti; in casu autem, cum Communitas religiosa occupata sit aliis piis exercitiis, celebrans recitat consuetas preces simul cum ministro, qui locum tenet populi.

Ad III. Distributio Communionis post Missam non interest totum populum adstantem; hinc celebrans primum debet recitare preces praescriptas, ac postea Communionem distribuere, quae est in commodum tantummodo communicantium..

Dr. P. Piacenza.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 5 aprilis 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. D. Iulius Chiavoni, *quaestionem enodavit:*

De Octavis privilegiatis alicubi concessis.

Post Censorum animadversiones R. P. D. Petrus Piacenza *Proton. Apost. S. Rit. Congr. epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

In dioecesi U, ex decreto Leonis xii, celebratur festum Assumptionis b. Mariae V. cum octava privilegiata, sicut octava Corporis Christi. Cum autem in novissima Breviarii Romani reformatione octavae privilegiate aliquibus locis concessae sublatae fuerint, Episcopus, Capitulum et Clerus, enixe petierunt ab Apostolica Sede, et obtinuerunt gratiam, adhuc celebrandi dictam octavam prout antea. Attamen quaestio exorta est inter Canonicos circa interpretationem concessionis; aliqui putant quod in Dominica infra octavam Assumptionis dicendum sit, ut antea, Officium de octava ut in die, exceptis lectionibus, quae sumuntur a Dominica cum commemoratione de ipsa Dominica. Alii asserunt quod, post correctionem rubricarum Officium faciendum sit de Dominica cum commemora-

tione octavae Assumptionis. Pro decisione, quaestio nostrae Academiae proposita est; proinde quaeritur:

1. *Quid disponunt antiquae et recentes rubricae circa octavas in genere, et circa octavas privilegiatas in specie?*

2. *Utrum in Cathedrali U legitime Officium in Dominica infra octavam Assumptionis celebraretur de octava, cum commemoratione Dominicae?*

3. *An hodie idipsum fieri liceat; an vero agendum sit, in casu, Officium de Dominica cum commemoratione octavae Assumptionis?*

Solutio.

Ad I. Antiquae Rubricae circa Octavas, disponebant quod Octavae privilegiatae distinguebantur in quatuor classes: Octavae I ordinis, Paschatis et Pentecostes, quae praevalebant cuilibet festo etiam I classis. Octava II Ordinis, Epiphaniae Domini, quae admittebat duplicia I classis infra Octavam, non vero in die octava. Octava III Ordinis Corporis Christi, quae respuebat duplicia maiora et minora translata, et semiduplicia occurrentia, infra ipsam, et in die octava admittebat tantummodo duplicia I classis. Octava IV Ordinis, Nativitatis Domini, quae admittebat quodlibet festum etiam semiduplex occurrens, sed eius commemoratio numquam omittebatur etiam in occurrentia alicuius duplicis I classis. Ceterae Octavae communes dabantur duplicibus I classis et etiam II classis; et admittebant quodcumque Officium duplex etiam translatum, et semiduplex occurrens, et commemoratio eius omittebatur in occurrentia cum duplicibus I et II classis. Nunc vero, ex novissimis Rubricis, Octavae privilegiatae in tres tantum ordines distributae sunt, nempe; ad primum ordinem pertinent ut antea Octavae Paschatis et Pentecostes, cum antiquis iuribus

ut supra; II Ordinis sunt Octavae Epiphaniae et Corporis Christi, quae admittunt tantummodo infra Octavam duplicia I classis, non vero in die octava. Excipe festa Nativitatis s. Ioannis Baptistae et Ss. App. Petri et Pauli, si incidunt in die octava Corporis Christi. III Ordinis sunt Octavae Nativitatis et Ascensionis, de quibus fieri debet commemoratio etiam in occurrentibus duplicibus I classis. Huic Ordini in Urbe Roma pertinet quoque Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli. Ceterae Octavae dicuntur communes, et dantur tantummodo duplicibus I classis, quia duplicia II classis hodie non habent nisi diem octavum, et quidem sub ritu simplici. Aliud discrimen inter Octavas privilegiatas et communes est illud, quod infra Octavam privilegiatam recitatur semper Officium ut in die festo, exceptis lectionibus et antiphonis ad Cantica propriis si habentur; Octavae autem communes sumunt Psalmos et Antiphonas de Feria currenti, reliqua ut in die cum lectionibus propriis vel sumptis ex Octavario Romano.

Ad II. Nonnullis in dioecesibus et apud aliquem Ordinem Regularem, ex speciali indulto celebrabantur ad instar privilegiatarum Octavae aliquae communes. Ita Pius viij concessit Patribus Carmelitis excalceatis ut recolerent Octavam B. Mariae de Monte Carmelo excludendo festa quaequae ritum saltem duplicem I aut II classis non habentia. Item Dioecesi Urbevetanae concessum fuerat ut Octava Assumptionis recoleretur eodem cum privilegio. Factum est autem quod tam Patres Carmelitae praedicti, quam Canonici Urbevetani, nimis late accipientes verba privilegii, solebant in Dominica infra dictas Octavas, agere Officium de Octava cum commemoratione Dominicae. Attamen hoc fieri nefas erat omnino, etiam inspiciendo verba privilegii. In eo enim dicebatur quod dictae Octavae privilegiatae erant sicut aliae Octavae privilegiatae, et cum tam in Octava Epiphaniae quam Corporis Christi et Nativitatis in Dominica occurrente infra Octavam diceretur Officium non de Octava, sed de ipsa Dominica, cum commemoratione Oc-

tavae ita in Dominica infra Octavas praedictas ex indulto privilegiatas Officium de Dominica agendum erat cum commemoratione Octavae.

Esto quod in illis Dominicis sumantur Psalmi et Antiphonae de Octava, quia agitur de Octavis Domini, attamen restat regula Rubricarum quod fieri debeat Officium de Dominica. Huiusmodi quaestionem excitavit cl. P. Piacenza in *Ephemeridibus Liturgicis* usque ab anno 1891 (pag. 33), docens quod errate interpretabantur privilegium tam Patres Carmelitae quam Canonici Urbevetani. Huiusmodi autem sententia adprobata fuit a S. R. C. in suo decreto n. 4026 die 9 iunii 1899, in quo declaratum est, quod in Dominica infra Octavam privilegiatam alicuius festi particularis, quae duplicia tantum I et II classis admittat, agendum est Officium de ipsa Dominica ut in Psalterio, non vero de die infra Octavam.

Ad III. Porro in casu nostro patet quod omnino in Cathedrali U illegitime usque nunc celebratum fuit Officium de Octava etiam in Dominica.

Itaque hodie multo magis id fieri nequit propter duo: 1° quia eo magis, post reformationem Breviarii a Pio x peractam, honor Dominicae auctus est; 2° autem quia hodie Officium dominicale, ut in Psalterio reformato, non amplius est prolixum ut antea.

Consultationes.

De Missa de requie pluries eodem die canenda in eadem ecclesia, pro eodem defuncto.

Quaeritur: In numero 6 huius anni *Ephemeridum Liturg.*, sustinetur, plures Missas de requie cani non posse *pro eodem defuncto*, in eadem ecclesia, eodemque die, *etiamsi permittente ritu* (Vide pagg. 347-48 et 372-73).

Sustinerine potest tuto haec doctrina, utpote decreto aliquo innixa, et etiam supposito privilegio huic dioecesi concesso tres Missas de requie in qualibet hebdomada canendi? Ratio dubitandi est quia ex decreto quod citatur n. 3472, hoc non eruitur, et quidam probati auctores contrarium asserere videntur (Cfr. De Herd, *S. Liturg. Praxis*, vol. III, n. 236, et *Ilustración del Clero*, 1914, pag. 43).

Resp. Neglectus fundamentalium regularum iuris; ignorantia antiquarum traditionum; desiderium novitatum has parturiunt quaestiones!

Ut quid decretum quaeritur, quum agitur de re fere universaliter accepta, rationi consona, principiis inhaerenti? Si decretum, seu lex, invocandum esset pro singulis rebus, etiam in sensu negativo, scilicet, de agendis et de *non* agendis, non posset totus mundus libros capere! Ego dico: Non potest subdiaconus in Missa cantata sine Ministris accipere manipulum dum canit epistolam: tu respondes: Ubi decretum? Non potest diaconus post cantatum evangelium, librum ostendere populo, ut s. textum veneretur. Ubi decretum? Non debet chorus post epistolam et evangelium, respective decantata, canere *Deo gratias* et *Laus tibi, Christe*. Ubi decretum?...

Restat igitur ut quod lex non dixit, rite recteque acci-

piatur ex bona et praesertim universali traditione, ex sensu practico, quod est criterium, ex locis parallelis.

Nolumus porro de inconvenientibus tacere in casu proposito forte obventuris, ut essent, v. gr.: superstitio; vana pompa; inordinata aemulatio.

Quid respondebimus si quis afferre in medium vellet decretum d. d. 30 iunii 1896, n. 3921, permittens plures Missas de eodem Sancto, eodem die, in eadem ecclesia? Respondemus 1. Indulgentia S. Sedis haec fuit, sed antea revera huiusmodi Missae omnino prohibebantur. Ergo S. Congregatio non declaravit potuisse et posse hanc consuetudinem servari, sed ex specialibus adiunctis, faciendum exinde permisit quod prius vetitum erat; 2. Sanctus, qui veneratur in ecclesia, non est aequiparandus defuncto cui impendantur suffragia; 3. Nequit Auctoritatis dispositio ad similes casus proprio marte applicari; et si quaedam comparatio prius fieri poterat, inter plures Missas de Sancto et alias de aliquo fideli defuncto, haec hodieque regit quoad decreta antiqua prohibentia, sed nequit sustineri quoad novam concessionem.

Si de consuetudine vero sermo esset, nos, candide fatemur, eam laudabilem non invenimus, ac proinde reiicimus utpote quae charactere praecipuo destituitur. Namque, si de multiplicandis suffragiis agitur, praesto sunt Missae lectae, de requie vel non, iuxta rubricas; si de solemnitate, solemnius potius est quod rarius, imo *solum* fit, quam quod repetitur; si de participatione multorum in cantu, ministerio, etc., fieri possunt participes meriti alio modo. Et e contrario, quoties huiusmodi functiones iteratae (testes sumus, eheu! etiam in magnis civitatibus) languorem, neglectum, praecipitationem, scandalum praesentium pariunt!

Quod igitur est officiale (parcant Lectores) et solemne, iuxta traditionem ecclesiasticam, non iteretur.

Alia tamen res esset, si ageretur, non de eadem familia, de privato benefactore etc., qui plures Missas solemnes vel simpliciter cantatas peterent, sed de diversis piis coetibus,

qui vellent proprio funere alicui defuncto suffragari. V. gr. Confraternitas a SS. Rosario, hora tali; sodalitas a S. Corde Iesu, tali alia, et ità porro. Tunc enim haberetur ea Missa quasi conventualis illius coetus; et sicut nil prohiberet, imo esset necessarium, quod in una eademque ecclesia, eodem die, si diversa collegia Canonicorum vel Religiosorum Officium facerent, plures haberentur Missae conventuales de eodem Sancto; ita nil prohiberet, quominus in una ecclesia, per diversos canerentur plures Missae pro eodem defuncto. Ita alias resolvimus quoad Missam votivam solemnem de S. Corde Iesu, primis feriis sextis mensium, uti nempe valeat in eadem ecclesia vel oratorio iterari, si plures coetus conveniant diversis horis ad pium exercitium persolvendum.

Tandem, si vis decretum, en illud generale Missae exequialis pro die obitus et pro prima vice post obitum, n. 3755, I, III, datum die 2 decembris 1891: « I. Missam *unam* solemnem vel cum cantu, in die vel pro die obitus... fieri posse quandocúmque non occurrat atiquod ex festis duplicibus I cl. solemnioribus, etc... III. Denique eadem Missa (scil. *una*, solemnis vel cum cantu) celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum... die quae prima occurrat non impedita a festo duplici I et II cl. vel a festo de praecepto etc. ». Ergo saltem pro Missa exequiali et pro prima vice post obitum, ex decreto, *una* tantum esse potest Missa solemnis vel cum cantu pro eodem defuncto, in eadem ecclesia, diebus non exceptis, ergo etiam in semiduplicibus et simplicibus. M.

De Octava privilegiata Ss. Apost. Petri et Pauli Romae et in eius districtu.

SS.mus D. N. Benedictus Pp. XV, decreto S. R. C. d. 11 augusti 1915 (A. A. S., vol. VII, p. 441), « Octavam Festi, 29 iunii, Ss. Petri et Pauli App., almae Urbis Patronorum principalium, pro universo Clero in hac ipsa Urbe

eiusque districtu degente, tam saeculari quam regulari, etiam Kalendarium proprium habente, privilegiatam III Ordinis statuit ac declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis ». Hinc quaeritur: in quo consistat illud privilegium, quo gaudet Octava Sanctorum Ap. Petri et Pauli in alma Urbe eiusque districtu, tam in Officio quam in Missa?

Resp. I. **Quoad officium:** Octava privilegiata III Ordinis, qua gaudet Festum Ss. Apost. Petri et Pauli in hac alma Urbe eiusque districtu, nihil aliud significat quam quod de ea Octava semper fiat aut Officium aut Commemoratio, uti fit de Octava Nativitatis aut Ascensionis Domini. Probatur:

1° In nova Rubrica Psalterii, tit. III, n. 2, habetur: « Octavae Festorum duplicium I classis Domini, quae in universali Ecclesia cum Octava recoluntur, ita sunt privilegiatae, ut de eis semper fiat Officium aut Commemoratio, ut fusius habetur in Rubricis. Attamen Octava Corporis Christi iisdem gaudet privilegiis quibus Octava Epiphaniae; et Octava Ascensionis, in occurrentia tantum, iisdem quibus Octava Nativitatis ».

Et infra in nova Rubrica Psalterii ante duas Tabellas, ubi agitur de *Octavis privilegiatis,* dicitur: « Festa quae cum Octava celebrantur, alia gaudent Octava *privilegiata,* de qua semper fit aut Officium aut Commemoratio; alia Octava *communi,* de qua etiam Commemoratio quandoque omitti potest, iuxta Rubricas; alia Octava *simplici,* de qua fit tantum in die Octava ».

Deinde ibidem sequitur: « Octavae *privilegiatae,* de quibus semper fit Officium aut Commemoratio, dividuntur in tres Ordines: **Octavae I Ordinis,** quae in occurrentia Festis quibuslibet praeferuntur: Octava (*nempe*) Paschatis, Octava Pentecostes. — **Octavae II Ordinis,** quae in diebus infra Octavam Festis quibuslibet praeferuntur, praeterquam duplicibus I classis. In die autem Octava etiam duplici I classis quae non sint Ecclesiae universalis: Octava (*nempe*)

Epiphaniae, Octava SS.mi Corporis Christi. — **Octavae III Ordinis,** quae in occurrentia iisdem tantum Festis praeferuntur atque Octavae communes: Octava (*nempe*) Nativitatis Domini, Octava Ascensionis. — **Octavae Communes,** quae infra Octavam praeferuntur tantum Officiis simplicibus, et in die Octava omnibus duplicibus quae non sint I et II classis ».

Iuxta praefatas itaque Rubricas, *Octava privilegiata III Ordinis,* qua gaudet Festum Ss. Apost. Petri et Pauli in alma Urbe eiusque districtu, nihil aliud continet quam quod de ea Octava ibi semper fiat aut Officium aut Commemoratio.

2° Sunt quidam qui putant praedictum privilegium, Octavae Apost. Petri et Pauli concessum, etiam comprehendere, quod, si de ea Octava Officium persolvendum sit, integrum Officium sit sumendum vel de Festo aut Communi Apostolorum, uti fit infra Octavam Nativitatis et Ascensionis Domini. Sed dicendum est illam extensionem nullimode comprehensam esse in illo privilegio, quinimmo haec extensio omnino contraria est novissimae Rubricae Psalterii, tit. I, n. 2, ubi habetur: « Excipiuntur tamen (a regula qua Psalmi sumendi sunt ad singulas Horas de occurrenti hebdomadae die) omnia *Festa* IX Lectionum Domini, B. M. V., Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, Apostolorum, Evangelistarum, omnia duplicia I et II classis aliorum Sanctorum, Vigiliae Epiphaniae et Pentecostes, « Dominicae infra Octavas et integrae Octavae Domini quae in universali Ecclesia recoluntur ».

Ergo solummodo « Dominicae infra Octavas et integrae Octavae Domini quae in universali Ecclesia recoluntur » a praefata regula excipiuntur, non autem Octavae B. M. V. vel aliorum Sanctorum, neque etiam Octava Dedicationis Ecclesiae propriae vel Cathedralis, cum non sint Octavae Domini universalis Ecclesiae.

3° Insuper in Proprio Officiorum pro Clero Almae Urbis eiusque districtu, a S. R. C. d. 22 maii 1914 appro-

bato, die 29 iunii, Ss. Petri et Pauli App., almae Urbis Patronorum princip., dupl. I classis cum Octava privilegiata III Ordinis, legitur haec Rubrica: « Officium fit totum ut in Breviario notatur, sed de Octava fit Commemoratio in omnibus Festis etiam duplicibus I et II classis, quae infra eam occurrant ». Nihil aliud particulare habetur de modo recitandi illud Officium infra Octavam vel in die Octava in dicto Proprio. Ex quo concludi potest Romae et in eius districtu Officium infra Octavam App. Petri et Pauli persolvendum esse uti in Ecclesia universali.

Porro in Breviario Romano, editionis typicae iterum impressae, de modo recitandi Officium infra Octavam Sanctorum Petri et Pauli App., sequens Rubrica legitur: « Antiphonae et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadae die, ut in Psalterio; reliqua de Communi » praeter Lectiones, quae in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III Nocturno ut pro singulis diebus inferius assignantur, et Versus ad Laudes et Vesperas, necnon Antiphonae ad « Benedictus » et « Magnificat », quae quotidie adhibentur, ut sequitur.

Et iterum in eodem Breviario, in Octava Ss. Petri et Pauli App., legitur sequens Rubrica: « Antiphonae et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadae die, ut in Psalterio; reliqua de Communi, praeter ea quae hic habentur propria ».

Ex praedictis iterum clare constat Octavam privilegiatam III Ordinis, qua gaudet Octava Ss. Apost. Petri et Pauli, nihil aliud comprehendere quam quod de ea semper fiat aut Officium vel Commemoratio, quocumque Festo occurrente.

Nota. — Ex praedictis etiam satis patet iuxta Rubricas infra Octavam et in die Octava Ss. Apost. Petri et Pauli Invitatorium et Hymnum, de Communi Apostolorum

Sumenda esse, et non de Festo, uti quidam Calendaristae erronee indicarunt (1).

Resp. II. **Quoad Missam:** 1° Quum Missae votivae privatae (non privilegiatae) et Missae quotidianae de Requie (itidem non privilegiatae) prohibeantur infra omnes Octavas *privilegiatas*, sive sint I, sive II, sive III Ordinis, ideo dictae Missae etiam vetitae censendae sunt infra Octavam Sanctorum Apost. Petri et Pauli.

2° Infra integram Octavam Ss. Apost. Petri et Pauli, uti infra alias Octavas privilegiatas, omittenda est Collecta imperata ab Ordinario, quae non est praescripta *pro re gravi*.

Quaer. **An post obitum alicuius Confratris omnes Sacerdotes illius Provinciae Regularis Missam ut in die obitus celebrare possint, etiam Officio ritus duplicis occurrente?**

Resp. Distinguendum est inter locum seu Conventum, ubi aliquis Confrater mortuus est et inter loca seu coenobia, ubi alii Confratres morantur.

I. *In loco seu Conventu, ubi aliquis Confrater mortuus est et eiusdem funus cum Missa peragitur,* Missae *lectae* (seu *privatae*) Defunctorum permittuntur pro die obitus, dummodo non occurrat Festum de praecepto, aut duplex I vel II classis, vel aliqua Feria, Vigilia aut Octava excludens duplicia I classis (2).

Praefatae itaque Missae prohibentur: 1° in omnibus dupli-

(1) Quum Octava Ss. Apost. Petri et Pauli sit una ex Octavis universalis Ecclesiae, et iuxta Rubricam Psalterii, tit. III, n. 1, Octavae inrer se praeferantur eadem lege, qua Festa ipsa ad quae pertinent, idcirco Commemoratio diei infra Octavam Ss. Apost. Petri et Pauli (utpote Octava Festi ex solemnioribus et universalis Ecclesiae) praecedere debet Commemorationem diei infra Octavam Dedicationis propriae Ecclesiae (S. R. C. 20 novembris 1903 ad 3, n. 4120).

(2) Cf. S. R. C. 8 iunii 1896, n. 3903; Rubr. Missal., P. I, tit. V, n. 2, et Rubr. Psalterii tit. X, n. 5, 1ae edit. typicae.

30

cibus I et II classis, ultimo triduo Hebdomadae Maioris non excepto; 2° in omnibus Dominicis (1) et Festis de praecepto etiam suppressis (2); 3° in diebus quae duplicia I classis excludunt, uti sunt: Feria IV Cinerum; Feria II, III et IV Hebdomadae Maioris; infra Octavas Paschae et Pentecostes, et dies Octavae Epiphaniae, Corporis Christi et Nativitatis Domini (quae est *Circumcisio*) (3). Insuper praefatae Missae prohibentur in Ecclesia seu Oratorio: *a*) ubi habetur expositio publica Ss. Sacramenti; *b*) ubi urget obligatio Missae Conventualis vel Parochialis, cui per alios satisfieri nequit; *c*) ubi una tantum Missa habetur et facienda est benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum aut Fontis Baptismalis, vel ubi fit Processio in Litaniis maioribus vel minoribus.

Notanda circa praefatum indultum: 1° Huiusmodi Missae privatae celebrari nequeunt sine applicatione pro defuncto cuius cadaver est physice vel moraliter praesens; et, si agatur de *Ecclesiis vel Oratoriis publicis*, fieri etiam debet funus cum Missa exequiali *cum cantu* (4).

2° In Oratoriis *privatis* et *semipublicis quae non tenent locum Ecclesiae vel Oratorii publici* (5), praefatae Missae legi

---

(1) Cum iuxta Rubricam specialem Breviarii *in Vigilia Epiphaniae* « Officium huius Vigiliae locum teneat Officii Dominicae quae vel occurrit a die 1 usque 5 ianuarii, vel a superveniente Festo aut Dominica infra Octavam Epiphaniae impeditur »; hinc iure merito *Vigilia Epiphaniae* inter dies recensenda est, in quibus praefatae Missae prohibentur.

(2) S. R. C. 28 iulii 1911, V, VII (A. A. S. vol. III, p. 352).

Adverte in denotatione Festorum I et II classis iam omnia Festa de praecepto, saltem Ecclesiae universalis, contineri, excepto s. Silvestro (31 dec.).

(3) Cf. cit. decr. 28 iulii 1911, V.

(4) S. R. C. 12 ian. 1897 ad 1 et 3, n. 3944. In Oratoriis autem *semipublicis* funus cum Missa *in cantu* non requiritur, ut inibi praefatae Missae lectae fieri possint. S. R. C. 28 april. 1902 ad 4, n. 4096.

(5) Si nempe non usui communi fidelium pateant, nec in iis publicum Officium fiat (Cf. *Ephemer. Liturg.*, an. 1909, p. 499).

possunt omnibus et singulis diebus (superius non exceptis) ab obitu usque ad sepulturam, dummodo cadaver sit adhuc physice praesens in domo vel Oratorio. In *Ecclesiis* vero et *Oratoriis publicis*, necnon *in semipublicis quae locum tenent Ecclesiae vel Oratorii publici* dictae Missae legi possunt *semel* tantum in uno ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus (1).

3° Dictae Missae privatae de Requie celebrandae sunt cum Missa propria *in die obitus seu depositionis*, cum unica Oratione et sequentia *Dies irae*.

II. *In locis seu coenobiis, ubi alii Confratres istius Provinciae morantur*, una tantum Missa *cum cantu* (2) in die vel pro die obitus in quolibet loco seu Conventu pro illo defuncto Confratre celebrari potest diebus non prohibitis. Circa hanc Missam S. R. C. decreto generali d. 2 decembris 1891, III, n. 3755 sequentia statuit:

« Eadem Missa *(scilicet solemnis vel cum cantu in die vel pro die obitus)* celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae primo occurrat, non impedita a Festo duplici I vel II classis, vel a Festo de praecepto », vel a diebus duplicia I classis excludentibus (3).

---

(1) S. R. C. 10 nov. 1906 ad 1, n. 4192 et 31 mart. 1909 ad 1 et 2, n. 4235.

(2) Apud nos Capuccinos Missa *lecta cum incensatione*, qui modus celebrandi ab ipsa S. Rit. Congregatione nobis permittitur, Missa *solemnis* censetur; ideoque dicta Missa, licet fiat sine cantu, in die Commemorationis omnium Fidelium (seu Fratrum Ordinis nostri) defunctorum, in die obitus alicuius Confratris necnon Missa post acceptum nuntium de obitu alicuius Confratris, privilegiata uti Missa cantata consideranda est, minime vero in die 3°, 7°, 30° et anniversario (Cf. Caeremon. Rom. Seraph. Capuc. nn. 1007 et 1004).

(3) Cf. S. R. C. 30 iunii 1896, III, 2, n. 3923; 28 april. 1902 ad 5, n. 4096 ed 31 mart. 1909 ad 3, n. 4235.

Uti patet, dicta Missa prohibita censetur iisdem diebus quibus prohibentur Missae *privatae* pro die obitus, de quibus egimus supra, n. I.

Dictum privilegium extenditur non solum ad omnes religiosas familias, sed etiam ad particulares personas, etiamsi inter defunctum et celebrantem aliqua relatio non sit, puta consanguinitatis, affinitatis, amicitiae etc. (1).

Praefata Missa dicitur ut *in die obitus seu depositionis*, cum unica Oratione prout est in Missali in die obitus (2) et sequentia *Dies irae*.

Quoad novum horarium legale sciscitationes et responsa.

I.

Cum hodiedum pluribus in regionibus omnis vivendi modus, tum civilis tum militaris, sit constitutus iuxta novum horarium legale, anticipans antiquum per unam horam, sitne licitum sese accommodare tum novo tum antiquo horario in servando ieiunio aliisque Ecclesiae obligationibus?

Resp. 1. Circa hoc punctum plura decreta a S. Sede fuerunt edita, quae ante omnia hic referre opportunum iudicamus:

1^m^ decretum est S. Apostolicae Poenitentiariae, d. 18 iunii 1873, in quo habetur: « Cum Syndicus Neapolitanus praescripsisset, ut omnia Neapolitana horologia, nonnullis privatis exceptis, in indicando meridie regulam sumerent tempus medium Romanum, contingit, ut media nox a vera differat non solum ratione temporis medii, sed etiam ratione diversi meridiani utriusque urbis, adeo ut differentia interdum non leviter superet horae quadrantem.

His rebus consideratis, possuntne fideles Neapoli, *in servando ieiunio aliisque Ecclesiae obligationibus*, sequi horologia horas indicantia tempus medium Romanum, an potius

---

(1) Cf. *Ephemer. Liturg.*, vol. XII, p. 304.

(2) S. R. C. 6 februarii 1892 ad 4, n. 3764.

ea horologia sequi debeant, quae verum tempus Neapolitanum signant?»

S. Poenitentiaria resp.: « *Ad primam partem affirmative; negative ad secundam* » (Act. S. Sedis, Vol. VII, p. 399).

2.ᵐ decretum S. Apost. Poenitentiariae, d. 29 novembris 1882, est sequentis tenoris: « Dubium. Utrum, ubi horologia adhibentur, tempori medio accommodata, ipsis sit standum, tum pro onere divini Officii solvendo, tum pro ieiunio naturali servando; vel debeat quis, aut saltem possit uti tempore vero?» S. Poenitent. resp.: « *Fideles in ieiunio naturali servando, et in Officio divino recitando sequi tempus medium posse, sed non teneri* » (Act. S. Sedis, Vol. XV, p. 445).

3.ᵐ decretum S. Rit. Congregationis, d. 7 augusti 1875 ad 9, n. 3365, est, ut sequitur: « An tam pro recitatione Officii divini, quam pro ieiunio naturali ante Communionem praescripto, vel etiam pro abstinentia a carnibus aut lacticiniis diebus ieiunii, conformare se quis possit tempori dicto medio, vel iuxta proprium placitum tempori vero vel medio, ita ut aliquando uni, aliquando alteri adhaereat?» S. Congr. resp.: « *Posse stare publicis horologiis* » (1).

4.ᵐ decretum eiusdem S. Rit. Congr., d. 12 mart. 1905 ad 3, n. 4158, ita se habet: « Utrum hora recitandi Matutinum annumerari queat indiscriminatim ex meridiano circulo locali, aut ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwich*, qui quidem anticipat horam circuli localis per tertiam horae partem, plus minusve?» S. Congr. resp.: « *Ad libitum* ».

5.ᵐ decretum est S. Congr. Concilii, d. 22 iulii 1893, in quo Episcopus Trevirensis exponit quod sequitur: « Ad normam legis nuperrime latae, in toto Germaniae Imperio ab initio mensis aprilis anni vertentis, unum idemque tempus absque respectu ad medium tempus aut meridianum diversarum Imperii regionum in horis computandis observandum

(1) In antiqua editione (Gardellini, App. IV, n. 5622) responsum S. Congregationis erat: « *Standum publicis horologiis* ».

est. Inde fit, ut intra fines huius dioecesis computus horarum legalis spatio semihorae tempus locorum medium superet. Hinc... Episcopus Orator petit solutionem dubii: Possuntne Clerici sequi tempus legale in persolvendo Officio divino, tam anticipantes privatim Matutinum, quam recitantes Vesperas? S. Congr. resp.: « *Affirmative* » (Vide *Nouvelle Revue Théologique,* tome XXVI, p. 243).

6.m decretum S. Congr. S. Officii, d. 9 aug. 1899, ita se habet: « Die 27 aprilis 1892 R.mus Archiepiscopus Ultraiectensis sequens dubium S. C. S. Officii solvendum proposuit;

« Quandoquidem a 1 die mensis mai 1892 omnia horologia viarum ferrearum per totam Neerlandiam in indicandis horis regulam sument tempus medium loci *Greenwich* in Anglia, quod tempus tertiam fere horae partem retro distat a medio tempore in Neerlandia, diciturque tempus *zonarium* Gubernium civile praescripsit, ut et ipsa horologia Officiorum publicorum expediendis litteris nuntiisque telegraphicis idem tempus medium loci *Greenwich* indicarent. Quia insuper, sive a Magistratu civili, sive per usum, alia quoque horologia publica tempori praefato multis saltem in locis conformabuntur, quaestio exurget: Utrum possint Clerici et fideles per totam Neerlandiam in ieiunio naturali, ceterisque ecclesiasticis obligationibus observandis, observare tempus medium loci *Greenwich*, an vero sequi debeant verum tempus iuxta meridianum proprii loci? Huic dubio S. Congr. die 9 maii 1892 resp.: « *Affirmative ad primam, negative ad secundam partem* ».

Nunc vero aliqui iterum dubitant, contenduntque, Clericos et fideles in Neerlandia pro ieiunio naturali aliisque ecclesiasticis praeceptis observandis uti non posse praedicto medio tempore *Greenwich,* eo quod de facto alia horologia publica non multis in locis praefato tempori se conformarunt. Cum autem pro ieiunio in primis naturali servando res non levis sit momenti, dignetur Sanctitas Sua benigne sequens solvere dubium:

Utrum non obstante quod de facto non multis in locis alia horologia publica se conformarunt tempori medio *Greenwich*, Clericis et fidelibus in Neerlandia in ieiunio naturali, ceterisque ecclesiasticis obligationibus servandis licitum sit sequi tempus illud medium *Greenwich*, quod inde a 1ª die mensis maii 1892 per totam Neerlandiam in omnibus Officiis publicis, tam viarum ferrearum, quam litterarum et telegrammatum expediendorum introductum fuit? » Et S. C. S. Off. die 9 augusti 1899 resp.: « *Affirmative* », quod responsum SS.mus die 11 eiusdem mensis et anni approbavit (*Vide Ephemer. Liturg., Vol. XIII, p. 712*).

2° Ex supradictis decretis rite inspectis sequentia deduci possunt:

a) In locis ubi horologia publica horam indicant iuxta tempus *medium*, ibi Clerici et fideles illud sequi *possunt* in servando ieiunio, aliisque Ecclesiae obligationibus, *quamvis ipsi non teneantur*, cum iisdem etiam licitum sit ibi sequi tempus *verum*.

Idque etiam tenendum est, ubi horologia publica pro viis ferreis et expediendis litteris nuntiisque telegraphicis iuxta praescriptum Gubernii tempus medium *zonarium* loci *Greenwich* in Anglia indicant, non obstante quod de facto multis in locis alia horologia publica se non conformarunt.

Item pro Officio divino recitando (et consequenter etiam pro aliis Ecclesiae praeceptis adimplendis) Clerici etiam sequi possunt tempus *legale*, quod publica horologia referunt, quamvis illud spatio semihorae tempus locorum medium superet.

b) In locis autem ubi horologia publica tempori *vero* sunt accommodata, an ibi etiam ecclesiasticae obligationes iuxta tempus *medium* (sive locale, sive zonarium) adimpleri possint? Videtur *negative* esse respondendum; e nullo enim ex decretis supra relatis id deduci potest. Ita quoque Em.us Card. Gennari (*Consult. liturg.*, XLVII) dicens: ratio, quae S. Sedem inducit ad permittendum Clericis et fidelibus, ut ipsi sequi possint horologia publica, tempori *medio* ac-

commodata, in adimplendis Ecclesiae praeceptis, videtur esse ea, ne exurgerent anxietates et perturbationes in populo, quae non sunt timendae, quando horologia publica, non tempus medium, sed verum referunt. Inde quoque Del Vecchio (ap. Scavini, t. II, n. 194) ait: « Ecclesia in temporis designatione eam regulam sequi solet, quae omnia hominum negotia in singulis locis publice dirigit ».

3° Ex praedictis pariter satis eruitur, quoad tempus *legale*, in pluribus regionibus Europae hodiedum in lege civili praescriptum, in cuius tempore aestatis horologia publica per unam horam tempus medium seu antiquum anticipant, quod Clerici et fideles sine dubio sequi possint in servandis Ecclesiae obligationibus, quamvis ad hoc *non teneantur*, cum iisdem licitum sit sequi tempus antiquum, sive hoc verum sit, sive medium. In decreto enim S. Congr. Concilii supra relato explicite dicitur: « Ad normam legis nuperrime latae in toto Germaniae Imperio unum idemque tempus *absque respectu ad medium tempus aut meridianum diversarum Imperii regionum* in horis computandis observanda est, illudque referunt publica horologia », quamvis hoc tempus superet spatio semihorae tempus locorum medium. Porro eadem S. Congregatio decrevit: Clericos sequi *posse* illud tempus legale in persolvendo divino Officio. Si vero Clerici possint sequi in hoc praecepto adimplendo, nihil obstat, quominus ipsi et fideles eamdem regulam servent in aliis ecclesiasticis obligationibus; *ubi* enim *eadem est ratio ibi eadem iuris dispositio*. Sed, si Clerici et fideles sequi *possint* illud tempus *legale*, ex hoc clare sequitur quod ad eam regulam sequendam pro adimplendis Ecclesiae praeceptis non *teneantur*, sed iisdem etiam licitum sit sequi tempus antiquum, sive hoc verum sit, sive medium tempus.

II.

Quidam Capellani militares contendunt quod milites tam laici quam Sacerdotes, quando ipsi sunt ad frontem (*sul fronte*) durante bello, non teneantur esse ieiuni quoad

recipiendam S. Communionem; et idem dicendum de Sacerdotibus quoad celebrationem Missae in eadem circumstantia constitutis. Quid de hac doctrina tenendum?

Resp. 1° S. Congregatio de disciplina Sacramentorum, attentis extraordinariis praesentis belli circumstantiis, iisque perdurantibus, de speciali auctoritate SS.mi D. N. Benedicti Pp. XV, quae sequuntur declarat et statuit:

a) Milites ad praelium vocatos (*i soldati sul fronte*) admitti posse, *servatis servandis*, ad S. Mensam Eucharisticam per modum Viatici.

b) Sacerdotes militiae adscriptos qui militibus sauciis infirmisve deferendis vel curandis destinati sunt (vulgo *lecticarios* vel *infirmarios*), si in Ecclesiis Missam celebrare nequeant, in quocumque loco, decenti tamen et tuto, et etiam sub dio, Sacrum litare posse, remoto quovis irreverentiae periculo: eos vero qui armis dimicant, Missam eodem modo iisdemque conditionibus celebrare posse, at Dominicis tantum et diebus festis de praecepto, dummodo omnes praedicti Sacerdotes nullo alio canonico impedimento irretiti sint. Contrariis quibuscumque minime obstantibus ». Die 11 februarii 1915. *Vide Act. Apost. Sedis, Vol. VII, p. 97.*

2.° Ex praedicto decreto clare constat quod milites ad frontem (*i soldati sul fronte*) non teneantur esse ieiunii, cum ipsi, *servatis servandis*, S. Communionem recipere possint per modum Viatici. Sed, an idem principium applicandum sit Sacerdotibus (*sul fronte*) quoad celebrationem Missae, num ipsi nempe debeant esse ieiunii?

Cl.mus Genicot (*Theol. Moral.*, edit. 7ª, Vol. II, n. 202) ita respondet ad hanc quaestionem: « Notandum autem Sacerdoti non ieiunio licere *celebrationem*, quando laico non ieiunio liceret Communio: quia non plus est celebrare quam communicare sumpto cibo. Hoc principio utitur Busembaum (ap. S. Alph. n. 286), Noldin, de Sacram., n. 155, etc. ». Hanc tamen sententiam cl. P. Genicot aliquatenus explicare necesse est, cum plures auctores loquantur, vel de casu quo Sacerdos in periculo mortis versatur et *aliunde*

Viaticum habere nequit, tunc ipse non ieiunus licite Missam celebrat ad Viaticum sumendum; vel de casu, quo agitur de Sacerdote non ieiuno celebrante, ut ipse alteri Viaticum ministrare posset, in quo casu multi auctores probabiliter contendunt (Cfr. S. Alph. n. 286) legem divinam praecipientem sumptionem Viatici praeferendam esse legi ecclesiasticae praecipienti ieiunium ante celebrationem Missae (Cfr. Gasparri, *Tract. de SS. Euchar.*, Vol. I, n. 434).

P. Victorius ab Appeltern, O. M. Cap.

De duabus processionibus in honorem eiusdem Sancti eodem die in eodemque loco, iuxta vigentem consuetudinem in Italia meridionali.

Pluribus in oppidis necnon civitatibus, praesertim Italiae meridionalis, mos invaluit, in honorem Deiparae vel alicuius sancti processiones binas eodem die eodemque loco habendi: prima processio cum clero matutina hora, secunda in habitu laicali horis serotinis. Quispiam caeremoniarius aegre fert hanc praxim, omneque studium adhibet ut prorsus reiiciatur, dicens legibus liturgicis et decreto n. 821 omnino adversantem. Quid dicendum?

Resp. — Procul dubio caeremoniarius innititur tantum decreto S. R. C. in *Cremonen.*, quod ita se habet: « Processiones duas eodem die in eodem loco habendas non esse, sed illos tenendos esse in quasi possessione, qui in processione facienda sunt antiquiores; recentiores vero aliam sibi diem non impeditam eligere debere » (24 ian. 1643, n. 821). Ideoque si caeremoniarius ad suam thesim tuendam validioribus argumentis se confirmare nescit, causam frustra suscipit, quippe quae nostra quaestio ab ea, quae in ipso decreto traditur, toto coelo differt. Et sane audiatur dubium: « Fratres S. Augustini Congregationis Lombardiae de Soresina asserentes se esse in quasi possessione habendi processionem, quam vocant de Cinctura, singulis quartis dominicis mensis, et super ea turbari a confraternitate No-

minis Iesu, ibidem posterius erecta, quae suam eodem die habere contendit, supplicarunt propterea provideri ». Ex dictis liquido patet quod prohibitio duarum processionum eodem die eodemque loco refertur ad distinctas ecclesias habentes singulas ius legitimum supplicantium respectivum agmen ducendi. Unde sapienter ad allatum quaesitum S. R. C. respondit non licere eodem die eodemque loco binas processiones habere, sed utique distinctis temporibus ad evitandas contentiones. Sed ut ad quaesitum allatum responsionem absolutam dare possimus, necesse est aliquas praenotiones ponere.

Processio, de qua est sermo, vel publica dicitur vel privata, seu generalis vel particularis. Processio publica et generalis dicitur illa ad quam conveniunt ecclesiastici omnium ecclesiarum civitatis, et dirigi solet per vias publicas: privata et particularis autem quae fit separatim in una tantum ecclesia et non in aliis. Processio publica et generalis non potest fieri inconsulto Episcopo, quia ad hanc celebrandam requiritur potestas et iurisdictio universalis super omnes ecclesiasticos civitatis, qui ad publicas processiones convocari debent; haec autem potestas in solo Episcopo residet. Processiones privatae seu particulares, quae separatae fiunt in singulis ecclesiis sive cathedralibus sive collegiatis vel parochialibus, ex praescripto missalis vel ritualis romani, non indigent alia licentia Episcopi. Novae autem processiones extra praescriptum ipsorum liturgicorum codicum non possunt introduci absque Episcopi licentia, ad quem spectat primaria cura rerum spiritualium et regimen ecclesiarum. Sed quid dicendum de processionibus a regularibus indictis? Certum est non posse a regularibus fieri processiones publicas absque licentia Episcopi. Insuper est certum posse fieri ab ipsis processiones privatas intra ambitum suarum ecclesiarum, secundum propria instituta et regulas a Sede Apostolica approbatas; quia hac eadem approbatione conceditur illis facultas a Romano Pontifice exercendi sacras functiones a suis regulis praescriptas. Diffi-

cultas consistit in eo utrum a regularibus possint fieri suae particulares processiones extra claustra et extra ambitum suarum ecclesiarum absque licentia Episcopi. Prima opinio sustinebat id esse eis licitum per triginta passus extra suas ecclesias, quia ex iure ecclesiae potiuntur privilegio immunitatis per 30 passus circum eas. Et hanc sententiam defendebat praecipue Grassis *consil. 20 Regul.* et Portet *in Dub. Reg. verbo « Processio »*. Haec autem opinio, iuxta vetus ius canonicus, videbatur probabilis, posito quod ante ecclesias vere astabat praedictum spatium liberum triginta passuum. Secunda sententia, communis et probabilior, iuxta idem ius, docebat non posse a regularibus fieri processiones nisi intra ambitum propriarum ecclesiarum stricte sumptum, et intra claustra monasteriorum: in ecclesiis vero, seu monasteriis carentibus claustris posse fieri prope muros ecclesiae, hoc est exeundo ab una ianua ecclesiae, et intrando per aliam, non elongando a muris ecclesiae. Atque ita pluries determinatum fuit a Sacra Cong.ne Concilii Tridentini et Rituum apud Doctores. Limitabatur 1° nisi aliqui regulares speciale privilegium haberent a Sede Apostolica faciendi processiones extra claustra, quale habent PP. Dominicani quoad processiones extra claustra per octavam Corporis Christi etc.: 2° nisi ratione consuetudinis a retro decem annis aliqui essent in possessione faciendi processiones extra ambitum suarum ecclesiarum: tunc enim impediri nequibant ab Episcopo: ut ex declarationibus S. Congregationis asserebant plurimi Doctores; 3° nisi de licentia parochi fierent a regularibus processiones intra limites eius parochiae: tunc enim non requirebatur alia licentia Episcopi.

Quoad confraternitates laicorum tandem quaeritur an et ipsae et alii saeculares possint facere processiones, inconsulto Episcopo. Cl. Paulus M. Quarti respondet: « 1° Confraternitates approbatae et earum cappellani possunt facere consuetas processiones iuxta sua instituta: quia hoc ipso quod sunt ab Episcopo approbatae, censentur ab eodem

habere licentiam : quae tamen solet esse limitata : nisi tunc fiat processio in parochia, intra cuius limites confraternitas extat. Item nisi fiat processio in ecclesia matrice seu primaria. 2° Processiones confraternitatum non possunt extendi extra ambitum suarum ecclesiarum, ex declarationibus supra citatis S. Cong. quoad regulares, quia quod dictum est de regularibus intelligunt doctores et de processionibus confraternitatum : de utrisque enim loquuntur. 3° Saeculares non confratres nullam possunt facere processionem absque expressa licentia Episcopi, ad quem de iure pertinet sacrarum functionum cura et directio. Imo iure etiam civili interdictum est laicis processiones facere sine Episcopi consensu ».

Doctrinam expositam opus est breviter summatimque contrahere ad normam vigentis iuris :

a) Certum est in iure ad Episcopum exclusive et illo absente ad eius vicarium, spectare potestatem id ordinandi quod ad processiones attinet ; ipse illas permittit, ipse modum et circumstantias earum praescribit (DD. 217, 1444).

b) Processionis ordinariae, a rubricis requisitae vel legitima consuetudine introductae, fieri queunt absque nova Episcopi licentia ; ceteras vero ab Episcopi auctoritate in indictione dependere, plura decreta S. R. C. docent.

c) Circa confinium iurisdictionalium observantiam multum concessum est in praesenti Ecclesiae disciplina. Antiquitus vix tolerabatur in exequiis per alienam paroeciam transitus cum cruce elevata : nunc vero ab omnibus admittitur ulla absque contestatione ; praesertim post S. Congregationis Concilii Decretum, sub die 6 iulii 1889 datum, quo parocho conceditur et clero paroeciae processionalis ingressus in alterius paroeciae fines sola Episcopi venia. Similiter regulares et confraternitates, etsi *parocho contradicente*, simplici Episcopi venia, processiones per alienas parochias ducere possunt (D. 1573).

d) Processiones generales, quae ex antiqua consuetudine et populari devotione fieri solent *paroco renuente vel*

ipso non interessente, in casu fieri possunt a regularibus de licentia Ordinarii (D. 1539 ad 7).

Hisce praeiactis, addere oportet utrum sit licitum, vel expediens processiones celebrare nocte et in tenebris. Respondeo cum Cl. Paulo M. Quarti, et dico: 1° Communiter loquendo non expedit processiones fieri nocte et post solis occasum: unde, quamvis secundum se id non sit illicitum, merito prohiberi solet ab Episcopis, ad vitanda pericula peccatorum. Confirmatur, quia quamvis antiquitus, quando fideles maiori spiritus fervore erant accensi, plures sacrae functiones nocte fuerint solitae celebrari: ut vigiliae et orationes apud sepulcra martyrum, in stationibus, in sabbatis quatuor temporum et nocte sabbati sancti; nihilominus paulatim irrepentibus abusibus sublatae fuerunt. Dixi *communiter loquendo*: quia quandoque, et raro, de licentia Episcopi, et adhibitis sufficientibus cautelis ad obviandum periculis, pie et devote fieri solent.

Dico 2°: Prohibitae sunt specialiter processiones de nocte cum SS. Sacramento, uti decisum fuit a S. Rit. Congregatione di 18 aug. 1606 apud Barbosa, *Sum. Apost. decisionum verbo «Processio»*: quare non possunt Episcopi in hoc dispensare, sed requiritur licentia seu facultas Sedis Apostolicae. Possunt tamen dispensare Episcopi, ut praedictis noctibus fiant publicae processiones absque SS. Sacramento, vel in honorem Deiparae vel Sanctorum. Ad solutionem casus allati, hisce praenotandis expositis, facile concludi potest:

1.° Duas processiones in eodem loco non autem eodem tempore, praevia Ordinarii facultate, permissas esse; item dicendum de celebratione duarum processionum in eodem loco et eodem tempore, saltem in civitatibus paroecias inter se dissitas habentibus.

2°. Similiter usus celebrandi processionem cum clero horis matutinis, et sine clero, scilicet viris saecularibus tantum, horis vespertinis post solis occasum et in tenebris per se non videtur condemnandus. Testes aliquando fuimus

processionibus istis serotinis in honorem vel B. Mariae Virginis vel Sanctorum, et nil reprehensione dignum notavimus, sed potius edificatione. Aperiebat processionem nobilis civium, gestans vexillum rite benedictum, incedens detecto capite inter duos substinentes flosculos vexilli: deinde sequebantur iuvenes et adulti, vestibus decentissimis induti, cum suis cereis, bini ac bini procedentes, aequalem ac convenientem distantiam inter se tenentes; gravitate, modestia et religione satis compositi, canentes aliquando devotas cantiunculas more patrio, non sine concentibus musicis. Simulacrum Deiparae vel Sancti Patroni a quatuor vel pluribus civibus ferebatur, et circumcirca Simulacrum, honoris causa, ecclesiae fabricerii gestantes funalia. Ubi vero in istis processionibus serotinis abusus irrepserint, Episcopus habet ius eas prohibendi, et ne aliquae (processiones) ob devotionem populi et confraternitatum olim introductae, positivum damnum nunc animabus inducant, absolute prohibeat.

D.

BREVIORA RESPONSA

Pro Veneta regione. — I. Annuente Episcopo, cadavera infantium baptizatorum paucorum dierum non associantur a sacerdote ad coemeterium. Quaeritur, an et quo loco dicendus sit psalmus a Rituali praescriptus pro associatione ad coemeterium?

Resp. Nullius negotii res est: 1. Dici debet, quia Rituale aperte habet: « Dum portatur ad tumulum, et *etiamsi tunc non portetur*, dicitur, etc. » 2. Locus erit idem in quo recitatae sunt praecedentes preces, ex eadem rubrica, ut eam legenti patet (tit. VI, cap. 7, n. 2).

Dubitamus autem an revera Episcopus, saltem stabiliter, huic consuetudini annuerit; nobis enim, et cuilibet, putamus christiano, apparet omnino scandalosa, incohaerens, anticanonica, antiliturgica, immoralis! 1° Scandalosa, quia est reipsa puer baptizatus, qui privatur hoc iure, et tamen tamquam si baptizatus non esset tractatur, quia videtur delatio, sed non videtur an ritus privatus completus fuerit; 2° incohaerens, quia non est vita unius diei aut unius mensis quae adscribat inter membra Ecclesiae; 3° anticanonica, quia ecclesiastica lex non distinguit inter iura puerorum, in casu, ratione minoris vel provectioris aetatis; 4° antiliturgica, quia Rituale romanum loquitur in genere de infantibus vel pueris baptizatis; 5° immoralis, quia despectui traditur corpus et anima infantuli baptizati; quasi nondum baptismatis effectus sortita sint; quia videmus potius id ex avaritia provenire; quia malo exemplo ceterorum inservit; quia arcet a ritu etiam familias quae secus petiissent, et stante consuetudine non petunt, vel ex timore vel ex aliis humanis considerationibus; quia ansam praebet etherodoxis spernendi nostram S. Religionem.

Facta hac concessione, facillime omittetur etiam ritus privatus exequiarum, et sic infans baptizatus, veluti talis non esset, habebitur.

Ceterum etiam ritus privatim domi persolutus, anomalia est.

II. In nostro Kalendario, cum die sexta septembris agatur de feria, pro choro notatur: « In choro unica post Nonam cantari potest Missa de Anniversario Coronationis Summi Pontificis etc. » Quaeritur an Missa de hoc anniversario licite cantari possit loco Missae Dominicae praecedentis, vel loco aliarum Missarum votivarum, quae pro Missa Dominicae a rubricis assignantur pro qualibet hebdomadae die?

Resp. Negative, quia Missa de hoc anniversario votivis communibus non est accensenda, et etiam in novissimis rubricis dispositum est, ut rite dicatur in choro (qua-

tenus ad eam Capitulum intersit), distinctim a Missa conventuali (tit. XII).

III. Hoc anno, recurrente die anniversario electionis Episcopi nostri (pro quo praescripta est in choro Missa) feria 3 Rogationum, post quam Horam canenda erat Missa de anniversario?

Resp. Cum occurreret eo die S. Felix I, P. M., simplex, huius Missa conventualis post Sextam erat dicenda (Rubr. gen. tit. XV) post Nonam vero Missa de anniversario (S. R. C., n. 2528, III). Ubi tamen haberetur Processio cum Missa Rogationum quibus pariter assignatur tempus post Nonam, et non soleat Missa conventualis nisi post aliquam Horam canonicam haberi, melius erat anticipare Processionem cum Missa de feria, nisi potius ob *populi frequentiae* defectum (Rubr. *gen.* Missal., tit. XV, n. 5) non fuerit necesse dicere Missam de anniversario post Nonam, ut potius daretur locus post hanc Horam Processioni et Missae de Rogationibus.

Pro dioecesi N. — Die 13 septembris occurrit dies octava Dedicationis ecclesiae Cathedralis et fit quaestio circa dispositionem II Vesperarum. Alii tenent, dicendas esse Vesperas de Dedicatione ecclesiae cum commemoratione Exaltationis S. Crucis, eo quod Octava Dedicationis sit duplex maius primarium: alii ex adverso defendunt, Vesperas sequenti festo Exaltationis esse tribuendas, iuxta novam rubricam, tit. IV, n. 7, quia, ipsi dicunt, si Octava occurreret die 14, ex citata rubrica, profecto esset agendum de festo Exaltationis cum commemoratione Octavae; ergo idem tenendum est in casu concurrentiae. Quid in praxi resolvendum?

Resp. Tribuenda est in casu praecedentia diei octavae Dedicationis ecclesiae, quia haec ritu gaudet duplici maiori primario, et Exaltatio S. Crucis duplici maiori secundario; imo quia dies octava duplex maius praefertur semper cuilibet duplici maiori. Ut applicari posset nova rubrica, quae citatur, oporteret ut ageretur de *eadem persona*; at in casu,

festum et octava Dedicationis sunt de Personis SS. Trinitatis: Patre, Filio, Spiritu Sancto; festum Exaltationis S. Crucis est de Persona Filii tantum, quomodo ergo diceretur, novam rubricam, tit. IV, n. 7, die 14 septembris, esse applicandam, quasi ageretur de una eademque Persona? Quia ergo Filius non est Pater neque Spiritus Sanctus, non agitur de eadem Persona, ac proinde solutio danda est uti fecimus ab initio.

Pro conventu N. — Antonius Neo-Sacerdos cupiens habere sub oculos brevem conspectum praecipuarum rubricarum respicientium Officium pro defunctis, quaerit:

I. Quandonam Officio mortuorum praemittere oportet *Pater, Ave, Credo,* quandondam solum *Pater* et *Ave?*

Resp. Praemittitur *Pater* et *Ave* quoties Vesperae vel responsorium *Subvenite,* delato cadavere ad ecclesiam, vel Officium diei currentis immediate non sequatur; item, quoties Laudes (in privata recitatione) a Nocturno vel Nocturnis separantur. *Pater, Ave* et *Credo* praemittuntur Matutino, ut supra dictum est pro Vesperis (Ex novissimis rubricis).

II. Quandonam recitari debeat Invitatorium?

Resp. Quando dicitur Officium cum tribus Nocturnis, aut cum uno, sed sub ritu duplici (Ex novissimis rubricis).

III. Quando recitatur unus Nocturnus quinam est recitandus?

Resp. In die depositionis *primus;* alias iuxta diversas ferias ut in novissimis Breviariis.

IV. Quandonam recitari potest ritu duplici?

Resp. Semper *potest,* nisi ratione solemnitatis intrinsecae *debeat.*

V. Quandonam ad *Laudes,* post *Benedictus* omitti potest *De profundis?*

Resp. Omitti debet (non tantum *potest*) in die obitus seu depositionis defuncti, et quandocumque Officium recitatur sub ritu duplici (Ex novissimis rubricis).

VI. Quibus diebus vetatur Missa solemnis *in die* obitus, vel *ut in die* obitus?

Resp. Videantur dicta in *Ephemer.*, anno 1912, pag. 514 et ss., 573 et ss. et praesentis fasciculi, pag. 465 et ss.

VII. Quibus diebus vetantur Missae privatae *in die* obitus, vel *ut in die* obitus?

Resp. Videantur responsa iam data in *Ephemer.*, anno 1912 pag. 575.

VIII. Quibus diebus vetatur Officium cum Missa pro Anniversario?

Resp. Recolantur exposita in *Ephemer.*, anno 1915 pag. 241.

IX. Utrum dies 3ᵃ, 7ᵃ et 30ᵃ, quantum ad celebrationem Officii, possint Anniversario aequiparari?

Resp. Quoad Missam de requie cum cantu hisce diebus, S. R. C., n. 3753, III, IV, iam suam dedit sententiam, quod nempe aequiparantur Anniversariis. Quoad Officium nobis videtur, ex eadem ratione, quod nempe sint dies solemniores pro suffragio defunctorum, videtur inquimus, similiter esse aequiparandos.

X. *a*) Quibus diebus vetatur Officium cum Missa pro defunctis, si non agitur de Anniversario?

b) Quibus diebus illicitum est etiam canere Officium Mortuorum et dare Absolutionem ad tumulum ante Missam de Feria, vel de Festo?

Resp. Videantur dicta in *Ephemer.*, an. 1915, pagg. 241-244; salva dispositione decreti n. 4052, quod nempe (stante consuetudine inveterata, quae auferri absque perturbationibus nequit) dicantur Officia defunctorum ante Missam parochialem, diebus dominicis et festis non solemnioribus, sed absque tumulo.

Pro Statibus Foederatis in America. — I. Celebrante Episcopo *ad thronum*, diaconus ante *Munda cor meum* osculatur Episcopi manum; *non* autem, si Episcopus celebret *ad faldistorium*. Cur hoc discrimen?

Resp. Quia ad thronum sic optime completur caeremonia benedictionis, quin diaconus relinquat subdiaconum et ceteros, ad adscendendos throni gradus: ad faldistorium

autem non habetur adscensus, proindeque nullum inconveniens in benedictione. Insuper ad thronum diaconus se confert ad solum manus osculum, quia naviculam cum cocleari incensi praestiturus est Presbyter assistens; ad faldistorium autem ridiculum esset osculum unum dare cum intentione quod sit ad benedictionem pro evangelio canendo, et immediate alterum osculum cum intentione quod sit ad coclear porrigendum.

II. Episcopus dioecesanus recitat evangelium S. Ioannis *in via*, scilicet, accedens ad faldistorium vel ad secretarium; Episcopus *non* dioecesanus *ad altare*. Cur hoc discrimen?

Resp. Quia Dioecesanus servat antiquum ritum, cui non videtur conveniens adhaerere Episcopum non dioecesanum, qui opportunius ritum sequitur simplicium Sacerdotum.

III. Queritur utrum assistentes ad thronum semper thurificandi sint statim seu immediate thurificato praelato cui assistunt? Verbi gratia, celebrante ad faldistorium Episcopo extraneo, praesente Cardinali aliquo ad thronum dioecesanum, et Episcopo Ordinario pariter praesente in throno ad partem Epistolae (quod, credo, permittitur), quinam speciatim esset ordo in thurificatione servandus: An thurificandus Celebrans, Cardinalis eiusque assistentes; Ordinarius eiusdem assistentes; chorus, etc., et assistentes ipsius Celebrantis?

Resp: Praesente Cardinali, etiam non Legato, Episcopus Ordinarius, si non celebret, sedebit in digniore parte chori (Caerem. Epp., lib. I, cap. XIII, n. 4). Verum est, Caeremoniale Episcoporum, dum hanc regulam tradit, se ita exprimere: « ... et chorus sit in Presbyterio sub tribuna », nil amplius dicens si chorus non esset ita constructus, sed potius in parte anteriore altaris. Tunc forsan Ordinarius posset sedere in minori aliqua sede, sed sine baldachino. Quocumque autem in casu, non habebit assistentes, nisi solum Caeremoniarium, eiusmodi enim assistentia neque admittitur, ob reverentiam inferioris erga superiorem, etiamsi agatur,

non de Cardinali, sed de Metropolitano. Ita cl. Martinucci: « Si Metropolitanus una cum Episcopo Ordinario solemni Missae assistant, uterque cappam induet, *neque assistentes Canonicos habebunt*, ob debitam alterius ad alterum reverentiam (Martinucci-Menghini, P. II, vol. II, pag. 441, n. 16). Cessat ergo dubii ratio.

IV. Manipulus deponi debet a Celebrante et ministris in adoratione Crucis feria VI in Parasceve. Quaeritur utrum etiam ab Episcopo celebrante deponi debeat manipulus?

Resp. Affirmative, et silentium Caeremonialis nihil officit, sicut non officit silentium Missalis pro simplici Sacerdote; uno verbo: standum est decreto S. R. C. n. 2326, IV, quod loquitur de Celebrante et Ministris in genere.

V. Iussu Episcopi dicenda est aliqua imperata, nihil dicto de termino seu temporis spatio quo dicenda est (nec ad revocationem, nec ad beneplacitum, etc.). Cessatne obligatio dicendi imperatam, mortuo aut translato Episcopo?

Resp. Si Episcopus nihil dicit, hoc, in casu, aequivalet: usque ad revocationem, seu ut dicimus italice: « fino a nuovo ordine ». Et quia usque dum Ordinarius non iusserit ab imperata cessare, non licet clero pro lubitu id facere, restat ut collecta imperata ab Episcopo, mortuo vel translato, usque ad revocationem factam a *novo Ordinario* perduret. Haec omnia plane intelliguntur, dummodo non cessaverit, obvio et evidenti intuitu, causa ipsius orationis, v. gr. si oratio esset pro Episcopo infirmo, cessat collecta, non solum si Episcopus mortuus fuerit, sed etiam si, adhuc durante infirmitate, fuerit translatus (a die canonice factae translationis).

VI. Utrum bugia seu palmatoria umquam adhiberi ab Episcopo celebrante liceat, praesente vel assistente parato quocumque superiore, e. gr. Metropolita, Cardinali, Legato, etc.? Cur prohibetur?

Resp. Pro Praelato Regulari, habetur decretum n. 4251, III, prohibens palmatoriam, si celebret praesente Episcopo dioecesano, non utcumque, sed assistente in throno. Pro

Episcopo, etiam si celebrat ad faldistorium, ob praesentiam Cardinalis, cl. Martinucci non excludit palmatoriam (quam ipse semper scotulam vocat), et ad hunc locum remittit quando agit de Episcopo celebrante coram suo Metropolitano (Cfr. Martinucci-Menghini, P. II, vol. I, pag. 112, n. 5, et vol. II, pag. 441, n. 18).

Caeremoniale Episcoporum, pro casu assistentiae Episcopi Ordinarii ad thronum in Missa solemni, si interesset aliquis Cardinalis, aut Metropolitanus, vel Nuntius habens in loco facultates Legati a Latere, dicit: « ...tunc ob eorum reverentiam Episcopus libro huiusmodi non utetur (lib. I, cap. XX, n. 3) », ex quo consequitur, neque esse, eo in casu, palmatoria utendum.

Protonotariis Apostolicis de numero participantium non prohibetur usus palmatoriae coram Ordinario seu maiori, ergo etiam Cardinali; prohibetur autem Protonotariis supranumerariis, et similiter Protonotariis *ad instar* (Cfr. in Collect. Decr. S. R. C., n. 4154, Motuproprium Pii Pp. X, die 21 febr. 1905, nn. I et II, 27, lit. *g*, et III, 47).

Ex praedictis concludere fas est, lege generali non esse prohibitum Episcopis usum palmatoriae, si celebrent coram maiori, sed usus illam non adhibendi est pluribus in locis receptus, ex significatione quae, esto conventionaliter, data est huic abstensioni. Ita Romae, coram Summo Pontifice, neque Cardinales utuntur palmatoria: Canonici Basilicae Vaticanae ea non utuntur in Missis solemnibus, ob reverentiam Summi Pontificis, esto absentis, dum adhibent in lectis, in eadem Basilica.

VII. In applicatione Missae pro duabus vel duobus, quaenam dicenda est oratio prima?

Resp. Si agitur de Anniversario, sumatur oratio de propria Missa, demptis verbis, respective: *famulorum... que*, vel *famularumque*. Alias sumatur oratio de « diversis » (nn. 11 vel 12 in Missali), cum eadem suppressione.

VIII. Assistens Cardinalis aut Ordinarius in cappa magna habetne semper presbyterum assistentem, etiamsi celebranti assistit presbyter in pluviali?

Resp. Affirmative, et occasione huiusmodi habentur opportunae regulae apud Auctores. In Urbe tamen Cardinales Diaconi non habent presbyterum assistentem.

IX. Episcopo celebrante, sedetne chorus ad *Offertorium*, statim cantato *Dominus vobiscum* et *Oremus*, vel nonnisi sedente Episcopo?

Resp. Martinucci non permittit sedere chorum, usquedum Episcopus ad altare pervenerit (Martinucci-Menghini, P. I, vol. I, pag. 41, nn. 55-58). Et reipsa non conveniret, chorum iam sedentem Episcopum invenire.

X. In facultatibus formulae I, art. 30, a S. Sede concessis legitur: « Facultates concessae, etc. Singulis secundis feriis non impeditis officio IX lectionum, vel iis impeditis, die immediate sequenti, celebrando *Missam de requie*, in quocumque altari, etiam portatili, liberandi animas secundum eorum intentionem a Purgatorii poenis, per modum suffragii ». Quaeritur quomodo limitatur hoc indultum decretis recentioribus?

Resp. Qui iuri communi subiiciuntur, ex novissimis dispositionibus S. Sedis, non gaudent amplius eiusmodi privilegiis.

Hodie non est amplius in vigore conditio de celebratione Missae de requie ad fruendum privilegio altaris (S. S. Congr. S. Officii, die 13 febr. 1913).

Hic casus non est *de altari* privilegiato, sed *de Missa*; hinc non videretur comprehensus; attamen in praeliminaribus ipsius decreti, clare edicitur ibi sermonem esse etiam *de Missis cum privilegio*.

Sed redit difficultas: privilegium datur Missae de requie dierum quibus occurrat officium simplex; obstat ergo nova lex pro vigiliis, tempore quadragesimali, etc.

Concludendo: cum agatur de indulgentia, non datur interpretatio, et, si reipsa adhuc vigeat eiusmodi facultas, stetur terminis eius et novis dispositionibus.

M.

Pro « Salon » (Francia) — I. An parochus vel alius sacerdos, ad baptizandum infantem extra ecclesiam in periculo mortis, debeat induere cottam et stolam albam quando potest.

Resp. Si tempus fert, et commodum habet induendi cottam et stolam, affirmative: secus rigorose non tenetur. Iuxta decr. S. R. C. in *Versalien.* die 23 ianuarii 1914. De hoc iam scripsimus: « Quando urgente necessitate, ne infans moriatur sine gratia sacramentali, vocatur parochus ad conferendum baptisma, et tunc exequendae sunt regulae a Rituali romano datae, nempe omissis omnibus precibus et caeremoniis, quae baptismum praecedunt, puerum baptizet ter, vel etiam semel infundens aquam ». Et statim Rituale subiungit: *Si non habeatur aqua baptismalis et periculum immineat, sacerdos utatur aqua simplici,* Itemque, sequitur Rituale dicens: *Deinde si habeat Chrisma, liniat eum... postea dat ei linteolum... ac demum dat ei ceream candelam accensam...*

Igitur non sunt de praecepto unctio Chrismatis et traditio linteoli et cerei; quae non solent haberi ad manus; sed potest dari, ut notat Baruffaldus ad hunc locum, quod providus sacerdos vocatus ad baptizandum in casu necessitatis, res illas secum ferat. Quapropter ad I et II quaesitum eiusdem decreti, respondetur: *Standum Rituali Romano*, nempe, si commode habeantur, Chrisma, linteolum, cereus, superpelliceum et stola, illis utatur parochus, alioquin tamen non exquiruntur.

II. In Vesperis, dum cantatur *Magnificat,* post thurificationem altaris chori, an celebrans, eundo per navem ad capellam alicuius Sancti ut imaginem eius adoleat, incedere possit capite cooperto bireto? Quid dicunt auctores periti?

Resp. Extat principium generale quod celebrans omnesque ministri eius, quandocumque *parati,* extra presbyterium, per navem ecclesiae incedere debent, non discooperto, sed coperto capite incedant.

III. Ante Missam parochialem *tantum lectam*, an possit fieri aspersio aquae benedictae cum cantu?

Resp. Quamvis optandum foret et Missam parochialem

canere; nihilominus, rigorose loquendo, nil vetat usum canendi tantummodo antiphonam *Asperges me*, vel tempore paschali *Vidi aquam;* praesertim si id in consuetudinem evasit. Diximus *rigorose loquendo,* cum in casu deficeret coerentia.

D.

Pro Rota (Verona). Mos est ut in Ecclesia recitetur Rosarium B. M. V. publice cum populo. Rosario additur *Salve, Regina* et Litaniae lauretanae: post quas dicitur Antiphona *Sub tuum praesidium* etc., Versus *Ora pro nobis, sancta Dei* etc. et Oratio *Deus, cuius Unigenitus*, ut in festo Sacratissimi Rosarii. Quaeritur 1° Num recte? — Vel post Litanias, missa antiphona *Sub tuum praesidium,* dici debet versus et Oratio iuxta tempus, ut in novo Rituali Romano post Litanias lauretanas? 2° Ut perillustre hoc marianum exercitium ss. Rosarii in omnibus laudabiliter evadat, observandum ne aliquid est?

Resp. I. Post recitationem ss. Rosarii, laudatur mos addendi antiphonam maiorem *Salve, Regina,* proindeque recitandi Litanias lauretanas, cum secunda antiphona *Sub tuum praesidium,* versuque *Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix*, et orationem propriam, ut in festo sacratissimi Rosarii, scilicet *Deus, cuius Unigenitus*. Non differt ab ea praxis nostra quotidiana in parvo nostro Sanctuario, Reginae Apostolorum dicato, nisi quoad versiculum quem pio exercitio magis respondentem facimus, scilicet: *Ora pro nobis, Regina Sacratissimi Rosarii.* Verum est Rituale Romanum post Litanias lauretanas, missa antiphona *Sub tuum praesidium*, versum et orationem iuxta tempus reportare: sed quid ad casum nostrum? Rituale, Litanias lauretanas simpliciter refert, quae satis frequenter occasione vespertinae functionis canuntur; ideoque pro temporis diversitate versiculos et orationes mutare sapienter providit. Si vero ipsae Litaniae post recitationem ss. Rosarii locum tenent, laudabiliter, ratione congruentiae, fas est et versiculum et orationem cum ipso pio exercitio et in ceteris convenire.

II. Ut perillustre marianum exercitium ss. Rosarii in omnibus laudabiliter evadat, sequentia sunt observanda:

a) Praemisso versiculo *Deus in adiutorium* etc. et *Gloria Patri* etc., iuxta communem morem additur italica iaculatoria: « Lodato sempre sia il nome di Gesù e di Maria ». Circa hanc iaculatoriam notandum est, non esse addendam aliam Sanctorum invocationem, cum S. Mater Ecclesia cultum tantum Nominibus Iesu et Mariae Virginis publice praestat.

b) Annuntiatur mysterium iuxta dies in quibus sacra liturgia aliquod peculiare mysterium memorat. Et ideo *mysteria gaudiosa* in solemnitatibus Nativitatis, Circumcisionis et Epiphaniae Domini; necnon in festis Annuntiationis, Visitationis et Purificationis B. M. V.

Circa hoc, non est contemnenda sententia illorum qui *mysteria gaudiosa* a vigilia Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniae inclusive meditanda proponunt.

c) *Mysteria dolorosa* memorantur in diebus inventionis et exaltationis s. Crucis; feria V in Coena Domini et in festo B. M. V. a septem doloribus.

Circa hoc laudatur praxis eorum qui a Dominica Passionis usque ad feriam VI in Parasceve inclusive in istis mysteriis perseverant.

d) *Mysteria gloriosa* proponuntur in festis Ascensionis D. N., Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum; necnon, iuxta alios, a sabbato sancto usque ad totam octavam Resurrectionis.

e) cum autem nullum peculiare mysterium memoratur, diebus Dominicis, Sabbatis et feria IV, *gloriosa mysteria* meditantur: feriis III et VI *dolorosa*; feriis autem II et V *gaudiosa*.

f) Declaratio singulorum mysteriorum fas est ad communem intelligentiam et aedificationem adaptare, mentionemque peculiaris fructus cuiuscumque mysterii breviter indicare.

Indulgentiam petimus si in hoc extra moderationis ter-

minos nos ducimus, et nostram methodum ad normam lectorum hic ferimus.

Speculum mysteriorum SS. Rosarii.

Mysteria gaudiosa.

	Fructus mysterii:	
1. Annuntiatio B. M. V.		Profunda et sincera humilitas.
2. Visitatio B. M. V.		Caritas erga proximum nostrum.
3. Nativitas D. N. I. C.		Contemptus divitiarum et amor paupertatis.
4. Purificatio B. M. V.		Mentis et corporis puritas.
5. Inventio D. N. I. C. in templo		Obedientia et sapientia.

Mysteria dolorosa.

	Fructus Mysterii:	
1. Oratio D. N. I. C. in monte Oliveti.		Contritio peccatorum nostrorum.
2. Christus Iesus flagellis caesus.		Mortificatio sensuum nostrorum.
3. Iesus spinis coronatus.		Contemptus mundi.
4. Iesus Cruce oneratus.		Submissio nostra divinae Providentiae.
5. Iesus cruci confixus.		Dilectio erga Iesum et Mariam.

Mysteria gloriosa.

	Fructus Mysterii:	
1. Resurrectio D. N. I. C.		Fervor in divino servitio.
2. Ascensio Redemptoris nostri ad coelum.		Desiderium coeli nostrae divinae patriae.
3. Descensio Spiritus Sancti super apostolos.		Descensio Spiritus Sancti super animam nostram.
4. Assumptio B. M. V. ad coelum		Tenera devotio erga tam dilectam matrem nostram.
5. Coronatio B. M. V., et gloria omnium sanctorum.		Gratia perseverantiae et gloriae corona.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 7 curr. anni, pagg. 434-448).

Ad III. *Potestne Episcopus dispensare a lege circa tempus celebrationis?*

Resp. Episcopus *in casu particulari* dispensare potest ut ante auroram Sacrum fieri liceat, multoque magis ipsemet tali facultate uti, ob causam v. gr. itineris instituendi (Layman l. V, tr. V, c. IV, n. 3,): et multo magis dispensare potest post meridiem; nam, uti docet d'Annibale (*Summula*, T. III, n. 295): « graviori causa opus est ut tempus antevertere, quam ut postponere liceat; quia illud semper insuetum fuit, hoc non item ». Et D. Alph. (l. VI, n. 344) ait: « Si Episcopus dispenset in aliquo casu particulari ex rationabili causa; iuxta eamdem facultatem possunt Episcopi secum etiam dispensare ». « Et recte scripsit La Croix, eamdem facultatem habere superiores, secluso privilegio, erga suos religiosos, cum censeantur eorum Ordinarii ».

Ad IV. *Licetne, sacra Nativitatis I. C. nocte, unam aut tres rituales Missas celebrare et Eucharistiam administrare?*

Resp. Missa solemnis Nativitatis Domini celebrari potest media nocte in ecclesiis Cathedralibus, Parochialibus et publicis ecclesiis vel Oratoriis, salvo Episcopi in contrarium monito: ante mediam noctem haec Missa inchoari non licet (Bened. XIV, d. 2520[1, 2]). Et « peracta prima Missa, ullo modo non licet alias duas Missas successive ante auroram celebrare » (S. C. Conc. 13 ian. 1725). Non obstante autem immemorabili consuetudine nemini licet, sine speciali in-

dulto apostolico (per Congr. Sacram., iuxta decr. S. Congr. Consist. 14 mart. 1910), hac nocte et ante auroram celebrare Missas privatas nec S. Communionem distribuere, ne tempore quidem Missae solemnis (dd. 752, 781) (1).

Ex *Motu proprio* autem Pii Pp. X (die 1 aug. 1907), « sacra nocte Nativitatis Domini, in omnibus et singulis sacrarum Virginum Monasteriis, clausurae legi subiectis, necnon iis aliis religiosis Institutis, piis domibus et cleri Seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus, cum facultate sacras Species *habitualiter* ibidem asservandi, tres rituales Missae, vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, in perpetuum quotannis celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari » potest. Et praedictum indultum non importat facultatem tres Missas, vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis Oratoriorum ianuis*; nec indultum Oratoriis concessum extendi potest *ad ecclesias* Religiosorum, quae publico fidelis populi usui inserviunt » (S. Off. 26 nov. 1908): salvo tamen Religiosorum privilegio media nocte Missam celebrandi.

Ad V. *Fragmentis et calici non purificato, ex. gr. nocte Nativitatis I. C., debetne genuflecti?*

Resp. Lex generalis est, ut fragmentis haud genuflecti debeat. Extant enim, hoc in casu, duo S. R. C. decreta, quae praecipiunt minime genuflexiones esse conficiendas in duabus primis Missis Nativitatis Domini, dum ante calicem, in quo vini consecrati residua asservantur, transitus peragitur (20 iulii 1686, n. 3120, 2 aug. 1698, n. 3486).

---

(1) Quoad S. Communionem in Missa solemni, recolantur quae alias quidam noster adlaborator adnotavit, probans, neque citata decreta, neque constitutionem a quibusdam citatam, esse contraria; et sustineri, etiam, *saltem* in Missa solemni, quae *de iure* habetur hac nocte, posse S. Comunionem distribui, ex lege, qua Communio dari potest, quo tempore licet celebrare Missam.

REDACTIO.

Ad VI. *Missae privatae celebrari possunt in altari chorali dum Horae canonicae persolvuntur?*

Resp. S. R. C., die 21 nov. 1893 n. 3814, hoc decretum servari mandavit: « Abusus Missae privatae, idest non cum cantu, celebrandae in altari chorali, dum Horae canonicae persolvuntur, omnino eliminetur ». Et hoc magis desumitur ex hodierna praxi ad normam Bullae « *Divino afflatu* » Pii Pp. X: « Aliae Missae, quae hucusque cum assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicam » (Tit. XII).

Quaestio.

Fabritius in sua capella rurali solet, statutis anni temporibus, SS. Eucharistiam asservare, sed non singulis diebus ei fas est Missam in ea celebrare: super ipsam capellam autem exstat cubiculum, ubi ipse dormire solet tempore quo illic rusticatur.

Quaeritur ideo:

1. *Quibusnam in ecclesiis permittitur Ss. Eucharistiam asservare; et estne sub praecepto celebrare quotidie Missam in eodem altari, ut in casu?*

2. *Estne inter ordinarias Episcopi facultates permittere ut ad modum habitus asservetur Ss. Eucharistia in aliqua ecclesia vel oratorio: et quid faciendum in casu quod super capellam ipsam exstet cubiculum?*

3. *Estne sub praecepto ut in omnibus ecclesiis Ss. Eucharistia asservetur ad altare maius, et licetne sacras Species in pluribus altaribus simul asservare?*

4. *Licetne ad altare et tabernaculum, loco candelarum, lumina a gaz et luce electrica, ut aiunt, accendere. Insuper licetne, tempore expositionis, interiorem partem Ciborii cum lampadibus electricis, in eo collo-*

catis, illuminare; et quaenam ex his luminibus, nempe a gaz, a luce electrica et cum candelis ex cera, vere vestiunt cultus characterem et sensum symbolicum exprimunt?

Solutio.

Ad I. *Quibusnam in ecclesiis permittitur SS. Eucharistiam asservare; et estne sub praecepto celebrare quotidie Missam in ecdem altari ut in casu?*

Resp. SS. Eucharistia ex iure *permanenter* asservanda est in ecclesiis cathedralibus, collegiatis (dummodo parochialibus), parochialibus et quasi parochialibus, in ecclesiis Regularium utriusque sexus (dummodo Monasterium sit canonice erectum, secus prohibetur). Quod tamen privilegium non intelligitur nisi de Ordinibus religiosis proprie dictis; nam si sermo sit de Congregationibus cum votis simplicibus, seu de domibus erectis tantum auctoritate episcopali, tunc ad Eucharistiae iugem asservationem necessaria est venia Apostolica, prout docet Benedictus XIV, Constitutione « Quamvis iusto » (30 apr. 1749, § 24). Una est exceptio, scilicet consuetudo immemorabilis, quae tamen proprie loquendo non constituit casum exceptionis, nam, prout docet idem Benedictus XIV in Constitutione citata, haec praesumere facit privilegium Apostolicum. Ex his consequitur, quod sola S. Sedes exclusive potestatem habet concedendi ut iugiter SS. Eucharistia asservetur in ecclesiis quae non sunt parochiales, et in publicis oratoriis. In oratoriis Nosocomiorum et Collegiorum, SS. Eucharistia « retineri non posse videtur absque indulto pontificio », quia huiusmodi oratoria tamquam ecclesiae parochiales considerari ex iure nequeunt.

Quodcumque vero ius Eucharistiae servandae acquisitum sit ab ecclesiis, semper onus iis incumbit celebrationis Missae quotidianae (dd. 2700, 3525[3], 3706[1]). Si in ecclesiis vel oratoriis privatis sanctimonialium Missa quotidie celebrari nequit, ab Apostolica Sede indultum petendum

est, quae semel saltem in quavis hebdomada illam praecipere solet (d. 3706[2]). Ex dictis colligendum: SS. Sacramentum asservari non posse in ecclesiis, seu oratoriis publicis alicuius paroeciae, ubi Missa diebus tantum dominicis celebratur, etiamsi consuetudo ibi sit SS. Viaticum infirmis administrandi, et per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus SS. Sacramentum visitare cupientibus, nisi ex indulto, ut in responsione ad Episcopum compostellanum (d. 3739[1]).

Ad II. *Estne inter ordinarias Episcopi facultates permittere ut ad modum habitus asservetur SS. Eucharistia in aliqua ecclesia vel oratorio et quid faciendum in casu quod super capellam ipsam exstet cubiculum?*

Rsp. Episcopus uti liquido ex dictis eruitur, non potest *inconsulta S. Sede,* concedere facultatem asservandi *permanenter* SS. Eucharistiam in ecclesiis vel publicis oratoriis non parochialibus vel oratoriis piarum communitatum, quae votis tantum simplicibus adstringuuntur (d. 3484[3]). En tenor decreti S. R. C. (23 ian. 1899): « Episcopus, sine indulto S. Sedis, haud potest concedere facultatem asservandi SS. Sacramentum: I) in ecclesiis seu capellis publicis quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus paroeciae inserviant; II) in capellis piarum communitatum publicis, idest quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante et quae habitantibus omnibus aperiuntur; III) in capellis seu oratoriis interioribus piarum communitatum, quando non habent capellam seu oratorium publicum, ut evenit ex. gr. in Seminariis ». Unde Episcopi eiusmodi licentiam perpetuo concedentes, fines propriae auctoritatis excederent, ut pluribus probat Cardinales Petra (in Commentario ad Constitutionem I Urbani IV, n. 31).

Supra oratorium autem, in quo Missa celebratur, dormitorium prohibetur (d. 756). Aliqua peculiaria decreta (2812 et 3525[2]) habent, ut patet ex forma responsi, ratio-

nem indulti particularis, quod dari solet dummodo habeatur vel duplex concameratio, vel baldachinum.

Ad III. *Estne sub praecepto ut in omnibus ecclesiis SS. Eucharistia asservetur ad altare maius, et licetne S. Species in pluribus altaribus simul asservare?*

Resp. Valde opportunum est ut tabernaculum, ubi est SS. Sacramentum, non collocetur in maiori vel in alio altari in quo Episcopus vel alius solemniter est Missam seu Vesperas celebraturus; sed in alio sacello vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia, ponatur (Caer. Ep. l. I, c. 12, n. 90). In ecclesiis parochialibus et Regularium communiter tabernaculum collocatur in altari maiori, quippe quod dignus ceteris existat, iuxta declarationes S. C. EE. et RR. 10 febr. 1579 et 29 nov. 1594; quamvis hoc non sit necessarium, prout colligitur ex decreto S. R. C. n. 3449. Attamen cum in altari maiori solemniter expositum est SS. Sacramentum, alterum tabernaculum requiritur in aliquo altari secundario, ut SS. Eucharistia asservetur et fidelibus distribui possit (d. 3449[3] pro oratione XL horarum). Occasione alicuius festi, tridui, novendialis etc., licet transferre SS. Sacramentum ad altare in latere ecclesiae erectum, ut sacra Communio ibidem populo distribuatur, dummodo in duobus altaribus SS. Eucharistia continuo non asservetur. Interea S. R. C. cum decreto diei 26 apr. 1901 rescribendum censuit : «..... dummodo altare, ubi continuo asservatur SS. Sacramentum, non sit altare Chori ».

Ad rem denique notandum : ne in errorem incidant lectores cuiusdam periodici valde perlecti (*Vademecum ecclesiastico : Appendice* al « *Predicatore cattolico* » anno VIII, p. 76, q. 5, anno 1914), absolute dicere audemus illam haud esse mentem quam citatum periodicum attribui praesumit decreto S. R. C. diei 14 martii 1861, n. 3104. Enimvero S. C. respondendum censuit *negative* ad propositum quaesitum, quod unice importat habitualem et prorsus reprobandam mansionem SS. Eucharistiae « in duobus aut tribus alta-

ribus, et in alio pariter occasione novendialis aut alicuius festivitatis », minime autem interdicitur Eucharistiam *paultisper* ponere in altare diversum ab eo, in quo *permanenter* asservatur ut ibi benedictio, post pias rituales exercitationes, fidelibus impertiatur; prout liquido, quantum in nobis est, explanavimus.

Ad IV. *Licetne ad altare et tabernaculum, loco candelarum, lumina a gaz et luce electrica, ut aiunt, accendere. Insuper licetne, tempore expositionis, interiorem partem Ciborii cum lampadibus electricis, in eo collocatis, illuminare; et quaenam ex his luminibus, nempe a gaz, a luce electrica et cum candelis ex cera, vere vestiunt cultus characterem et sensum symbolicum exprimunt?*

Resp. Luminaria ex cera vel ex oleo admissa fuere in ecclesiis, uti notum est cuique, etiam a primis christianae religionis temporibus; nostro autem aevo, ad illuminanda loca sacra, invaluit etiam usus luminum ex petroleo, postea ex gaz, vel, uti dicunt ex *acetilene,* et denique ex vi etiam electrica. Ex nonnullis decretis statutum iam fuit, quod ista postrema illuminationis species in ecclesiis adhiberi nequeat ad cultum, sed tantum « ad depellendas tenebras, ecclesiasque splendidius illuminandas, ita tamen ut speciem non praeseferat theatralem ». Quinimo dicta illuminatio vetita fuit non solum una cum candelis ex cera super altare, sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram SS. Eucharistiae Sacramento vel sacris Reliquiis aut imaginibus Sanctorum praescriptae sunt (S. R. C. 4 iunii 1895, 16 maii 1902, 22 novembris 1907, 17 ianuarii 1908). Cum autem S. R. C. innotuerit nonnullis in locis permultos abusus invaluisse, ita ut circa aediculas Sanctorum in pariete super altare positas, et vel in ipsis altaris gradibus ubi candelabra collocantur, parvae lampades electricae variis distinctae coloribus disponantur, quod profecto minus convenit gravitati et dignitati sacrae liturgiae et decori Domus Dei, cum decreto diei 24 iunii 1914, quod summa decretorum est circa hanc quaestionem, sancivit: « Lux electrica

vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaribus (d. 4097), sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram SS. Sacramento vel Reliquis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas S. Liturgiae postulant (decreta 3859, 4206 et 4210 ad 1). Nec licet tempore expositionis privatae vel publicae interiorem partem Ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiori collocatis illuminare, ut SS. Eucharistia melius a fidelibus conspici possit (d. 4275) ».

Ex his omnibus consequitur, candelarum usum in ecclesia non invaluisse eo fine ut ipsa illuminetur, sed ut cultus exprimatur; earumque sensus symbolicus hic est: ex una parte cum destructione materiae vitalis, videlicet cerae, exprimitur destructio aequivalens nostri, quod constituit actum cultus, nempe *holocaustum;* ex altera parte testimonium redditur nostrae fidei et charitatis, quae aluntur, ut ita dicam, meliori substantia nostri. Qui cultus character, vel destructio creaturae ad honorem Creatoris, in lucis electricae usu desideratur, vel saltem non est penitus manifestus; quare lux electrica elementum constituere poterit ornatus, non cultus liturgici; in ea enim non destructio, sed conservatio perennis *materiae,* saltem apparenter, ostenditur; et si quid adest, consumptio potius est et quidem *invisibilis virium naturae.* Quae quidem est ratio praecipua cur lux electrica interdicitur; quidquid sit de contrariis commodis *astheticae,* hygienis, nitoris, quae in eius favorem invocari solent.

Quaestio.

Titius sacerdos, Sacrum litans in altari Expositionis, vel alio, solet, inter ceteras collectas, illam

Ss. Sacramenti adiungere, sive expositio fit ex publica, sive ex privata causa.

In Missis autem ferialibus pro defunctis applicandis, nefas esse iudicat, expositionis tempore, orationem pro defunctis recitare.

Cum Episcopus autem collectam *pro re gravi*, absque ulla mentione, simpliciter praecipit, praefatam collectam in Missis omittit in omnibus et singulis duplicibus I et II classis.

Quaeritur ergo:

1. *Utrum et quibus in casibus, ob identitatem Mysterii, commemoratio in Missa, coram Ss. Sacramento, omittitur, sive ex publica, sive ex privata causa?*

2. *Quando et quo modo fit expositio ex publica et privata causa?*

3. *In ferialibus Missis debetne omitti oratio pro defunctis, expositionis tempore: et, ex his, qualem recitare debet sacerdos si Missa, sive lecta, sive cum cantu, pro uno aut pro pluribus defunctis,* certo *aut* in genere *designatis, applicetur; et estne obligatio ipsam recitandi?*

4. *Possuntne Episcopi celebrationem Missae domi, solemnioribus anni diebus, permittere in favorem indulto carentium oratorii domestici, vel in eorum favorem, qui domestici oratorii indulto gaudent, etiam iis diebus, qui in obtento indulto excepti sunt?*

5. *Quid venit nomine collectae* pro re gravi; *et haec, etiam in duplicibus I classis, vel, absque ulla*

mentione, ab Episcopo simpliciter praecepta, quibusuam diebus recitanda et quibus omittenda; sub unica denique an sub diversa conclusione?

6. *Quando plures sunt collectae imperatae, quonam ordine ipsae sunt recitandae?*

Solutio.

Ad I. *Utrum et quibus in casibus, ob identitatem Mysterii, commemoratio in Missa, coram SS. Sacramento, omittitur, sive ex publica, sive ex privata causa?*

Resp. Primum omnium pauca sunt praenotanda.

Ut iam diximus in Quaest. VII, «non incongruum, iuxta Caerem. Episc. (l. I, c. XII, n. 9), sed maxime decens esset ut in altari, ubi SS. Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur». Missa, iuxta decreta (nn. 1406, 1421 ad 5), celebrari haud potest ad altare Expositionis SS. Sacramenti in ecclesiis, ubi alia sint altaria, nisi aut *ob necessitatem,* vel *gravem causam,* aut *ob consuetudinem et specialem indultum* (De Amicis: *Il Cerim. compl.* vol. IV, art. I, pag. 66). Et in ipsa Missa coram Sanctissimo, etiam alio in altari celebrata, commemoratio SS. Sacramenti, ob identitatem Mysterii, solummodo omittenda est in festis Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, SS. Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis (S. R. C. 3 iulii 1896). Commemoratio autem eiusmodi omnino omittitur durante Expositione ex causa privata (20 novembris 1903).

Ad II. *Quando et quo modo fit expositio ex publica et privata causa?*

Resp. Expositio fit causa publica, idest, quando, praesertim, concurrunt « arduae causae pacis et publicae necessitatis aut utilitatis », ab Ordinario prius probatae, pro quibus necessitatibus extraordinariis Ecclesia ad SS. Sacramentum recurrere consuevit pro ultimo refugio; ut sicut

Moyses ad tabernaculum et arcam, sic fideles ad SS. Sacramentum confugiant, et coram praesente Domino magis excitentur, animentur, maioremque fiduciam concipiant.

Ad privatam expositionem causa privata sufficit, uti alicuius infirmitas, aut alia privata familiae necessitas, desiderium alicuius viri religiosi, etc. Qua de re, Expositio solemnis, vel cum ostensorio, plerumque fit causa publica (d. 800). Dictum est *plerumque,* quia excogitato fine decreti citati et decreto n. 3375 [1]), quo datur facultas Ordinario permittendi expositionem solemnem pro infirmo *morti proximo;* considerato more tam Urbis, quam extra Urbem multarum ecclesiarum; perpenso fine expositionis solemnis, qui est *honor Sacramenti;* dicta expositio solemnis etiam ex causa privata prohibita non est, dummodo, Episcopus permittat, adsit sufficiens fidelium numerus, omniaque convenienter decenterque fiant.

Expositio non solemnis, vel sola cum pyxide, plerumque fit ex causa privata. Dictum est *plerumque,* quia, ut recens decretum declarat, « expositio SS. Sacramenti privata....., quae fit cum pyxide, intra tabernaculum, ostiolo patefacto, potest etiam esse ex causa publica, et impedit Missam de requie » (S. R. C. 28 aprilis 1902 ad 12): ad hoc tamen sufficit tantum consensus praefecti ecclesiae.

Ex his consequitur, causam publicam aut privatam nullimode influere *in modum* expositionis, ita ut etiam expositio solemnis in ostensorio aliquando fieri possit ex privata causa; et expositio non solemnis, seu in pyxide clausa, e converso, aliquando fieri possit pro causa publica. Unde *privatus* non opponitur *solemni,* sed publico (uti perbelle ait De Amicis: *Caerem. paroch.*); cum igitur dicitur *privata expositio,* non illico expositio cum pyxide tantummodo intelligi debet, quae potest et ipsa esse publica, sed illa, quacumque ratione fiat, quae ex causa fit *privata,* sive in ostensorio, sive in pyxide. Erit autem solemnis (cum graduatione solemnissimae et minus solemnis) et non solemnis, prout

fit in ostensorio et in throno, vel in pyxide et intra tabernaculum.

Ad III. *In ferialibus Missis debetne omitti oratio pro defunctis, expositionis tempore; et ex his, qualem recitare debet Sacerdos si Missa, sive lecta, sive cum cantu, pro uno aut pro pluribus defunctis,* certo *aut* in genere *designatis, applicatur; et estne obligatio ipsam recitandi?*

Resp. In Missa feriali, quae coram SS. Sacramento, in altari expositionis, vel alio, sive ipsa sit publica, sive privata, celebratur, haud nefas est orationem pro defunctis recitare, « etiam quando a Rubrica praescribitur in feria secunda vel in prima die libera mensis » (S. R. C. 11 dec. 1914). Nam aliud est Missa pro defunctis in paramentis nigris, quae non congruit cum Sacramento publice exposito; aliud est oratio pro defunctis, quae in Missis cum paramentis non nigris praescribitur a Rubrica. Orare pro defunctis non prohibetur etiamsi expositum sit SS. Sacramentum: nam Dominus noster Iesus Christus caput est totius Ecclesiae, militantis in terra, regnantis in Coelo, et piaculantis in Purgatorio: nil porro incongruum est, ut inter alias preces, etiam pro defunctis fundantur, alioquin in festo SS. Corporis Christi Horae Canonicae terminari non deberent cum versiculo *Fidelium animae* etc.

Ne quid autem subtrahatur vivorum pietati aut defunctorum solatio, in ferialibus Missis, licet, iuxta mentem novarum Rubricarum, orationem addere pro iis, quorum suffragio propitiatorium Sacrificium offertur, occurrente etiam duplici maiori, dummodo agatur de feriis maioribus propriam Missam habentibus: ita ut huiusmodi oratio adiecta locum teneat Missae de requie. Eiusmodi antem oratio, in quorum suffragium Missae de feria applicatur, *addi potest* (d. 12 iun. 1912 ad I), defuncto vel defunctis respondens, in genere vel in specie designatis, uti eruitur ex decreto S. R. C. (30 iunii 1896). Qua de re, si Missa, sive lecta, sive cum cantu, pro defuncto vel defunctis *certo designatis* applicetur, oratio sit ex iis, quae inscribuntur in Missali,

quae magis ad rem facit (d. cit. ad II,). Et eiusmodi oratio, quae per se non est de praecepto, sed facultativa quando dicitur in Missis ferialibus, semper recitari debet penultimo loco inter orationes ea die a Rubricis praescriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis (d. 12 iun. 1912 ad IV).

Quoad vero obligationem Missam celebrandi de requie vel de feria cum oratione pro defuncto, *in altari privilegiato,* quae olim vigebat, pretium est operis citare decretum SS. Congr. S. Officii diei 17 iunii 1915. Ad dubium « An decretum S. C. Indulgent., d. d. 12 martii 1855, abrogatum censendum sit per resolutiones ab eadem S. C. datas, diebus 19 iunii 1880 et 19 decembris 1885; ita ut, tum sacerdos celebrans, tum fidelis offerens Missae stipendio omnino elicere debeat intentionem, saltem virtualem, lucrandi pro defuncto Indulgentiam plenariam Altaris privilegiati ? *Resp.* E.mi ac R.mi PP. Cardinales Gen. Inquisitores, feria IV, die 16 iunii 1915, respondendum censuerunt : Negative. Et SS. D. N. sententiam EE. PP. feria V seq., adprovavit et confirmavit ».

Ad quod cl. Menghini notat : Tenor decreti, quod hic confirmationem accipit est : « Utrum Missa celebrata ad altare privilegiatum sit per se privilegiata, vel necesse sit, ut vel offerens eleemosynam vel Sacerdos intendant applicare privilegium ? » *Resp :* Affirmative ad primam partem : Negative ad secundam (Decr. auth.. n. 366). Subiungit noster commentator :

« Praestat hic ad normam et quietem illorum, qui bona fide Indulgentiam Altaris lucrati non sunt, Decretum referre S. C. Indulgentiarum, diei 22 februarii 1847 (Collect. auth., n. 339): Sacerdotes qui pacto adigebantur ad celebrandum in Altari privilegiato, et diebus non impeditis bona fide usi non sunt paramentis nigri coloris, ideoque animas Indulgentia plenaria frustrarunt, debent lucrari pro iisdem defunctis Indulgentiam plenariam toties, quoties diebus non impeditis usi non sunt paramentis nigris coloris. — Votum

liceat nobis depromere, ut dignetur Summus Pontifex istiusmodi conditiones (de Missa in nigris vel de feria) abolere, ad obviandum Sacerdotum anxietatibus et animarum detrimento, facta potestate Indulgentiam Altaris lucrandi quaecumque sit Missa quae celebrantur »; quod, ut supra innuimus, factum est decreto SS. Congregationis S. Officii, diei 17 iunii 1915.

Ad IV. *Possuntne Episcopi celebrationem Missae domi, solemnioribus anni diebus, permittere in favorem indulto carentium oratorii domestici, vel in eorum favorem, qui domestici oratorii indulto gaudent, etiam iis diebus, qui in obtento indulto excepti sunt?*

Resp. Ex iustis et rationalibus causis, servatisque de iure servandis, nunc temporis, Episcopus permittere potest, per modum actus, celebrationem Missae domi, quocumque die, necnon celebrationem Missae, pariter domi, eorum favore, qui domestici oratorii indulti gaudent, etiam iis diebus, qui in obtento indulto excepti sunt, dummodo iustae et rationabiles causae aliae sint ab eis, ob quas concessum fuit indultum oratorii domestici (S. C. Sacram. 22 mart. 1915).

Ad V. *Quid venit nomine collectae pro re gravi; et haec etiam in duplicibus I classis, vel absque ulla mentione, ab Episcopo simpliciter praecepta, quibusnam diebus recitanda et quibus omittenda; sub unica denique an sub diversa conclusione?*

Resp. Res gravis, iudicante Episcopo, illa dicitur, quae respicit aliquod bonum urgens causa publica obtinendum aut malum arcendum. Qua de re, cum Episcopus praescribit collectam *pro re gravi* etiam in duplicibus I classis, collecta dicenda est in omnibus et singulis duplicibus I classis, exceptis sequentibus diebus, nempe Nativitate Domini, Epiphania Domini, Feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto, Paschate Resurrectionis, Ascensione Domini, Pentecoste, Festo SS. Trinitatis et festo SS. Corporis Christi.

Si autem Episcopus simpliciter praecipiat, absque ulla mentione duplicium I classis, collecta omittenda est in omnibus duplicibus I classis, in Vigiliis Nativitatis Domini,

et Pentecostes, et in Dominica Palmarum (S. R. C. 23 decembr. 1914).

Cum autem exquisita iam fuisset S. R. C. an huiusmodi collecta *pro re gravi,* omitti deberet in duplicibus I et II classis, respondit (3 iul. 1869, n. 3211 ad VIII): *Negative,* et in festis I classis dici debet sub unica conclusione, scilicet, adiungenda est orationi Missae, prout coniunguntur commemorationes quando sunt plures, post primam. Quod procul dubio statutum est ne solemnitas I classis suam dignitatem imminutam habeat, cum unica oratio sit indicium magnae solemnitatis; ideoque, ex una parte oratio *pro re gravi* non omittitur, et ex alia, unica tantum oratio quodammodo dicitur, cum unica sit conclusio (1). Quod si in Missa festi I classis facienda sit aliqua commemoratio, puta Dominicae occurrentis, tunc collecta adiungitur huic commemorationi, prout declaravit S. R. C. (7 aug. 1875, n. 3365).

Ad VI. *Quando plures sunt collectae imperatae, quonam ordine ipsae sunt recitandae?*

Resp. Super hoc argumento non una est sententia Doctorum. Iuxta autem communiorem, peculiare praeferentiae criterium in casu est attendendum, nam aliquae collectae imperata nobiliores sunt censendae, non ex dignitate personae, neque ex gravitate intrinseca gratiarum, quae postulantur, et multo minus ex ordine quo inscribuntur in Missali, vel ex tempore quo praescriptae fuerunt, sed alia ratione.

Cum enim collectae *pro re gravi* dici debeant diebus etiam solemnioribus, et aliae diebus tantum minus solemnibus, quodammodo collectae ipsae distinguendae sunt etiam quoad ritum: scilicet illae, quae dici debent in duplicibus etiam

---

(1) Sunt qui non consentiunt expositae doctrinae, et citatum decretum tantummodo applicant collectis quae locum Missae votivae tenent.

REDACTIO.

I classis, sunt nobiliores ritu quam aliae, quae proinde censendae sunt tanquam ritus inferioris.

Idcirco collecta *pro re gravi,* ad quemcumque ordinem pertineat, scilicet, sive pro gratia spirituali, sive pro temporali, nobilior iudicanda est, quia locum habet in solemnioribus festis. Aliae collectae, quae non sunt *pro re gravi,* quia dici nequeunt nisi diebus minus solemnibus, minus nobiles sunt censendae, licet ratione gratiae postulatae, ceteris paribus, praeferri debeant.

Hoc principio admisso, sequitur, quod nostris hisce diebus, collecta *tempore belli* dicenda est ante collectam *pro Papa.* Reliqui praeferentiae ordines, nempe ordo temporis quo collectae praecipiuntur; ordo quo inscribuntur in Missali; et ordo dignitatis personalis, si agatur de orationibus Mysteriorum aut Sanctorum, vel dignitatis intrinsecae, habita ratione gratiae postulatae, ex qua collecta pro spirituali praeferenda est collectae pro temporali, omnes ordines isti praeferentiae considerandi sunt semper quando praeceptum est eiusdem naturae, nempe si omnes sint *pro re gravi,* vel omnes non sint.

Hinc, nostro iudicio, non sunt audiendi scriptores, qui docent esse tenendum ordinem, quo orationes istae referuntur in Missali, nam, iuxta spiritum Ecclesiae, gratiae spirituales, ceteris paribus, graviores sunt et nobiliores quam gratiae temporales; ideoque prius dicendae collectae pro spiritualibus, et postea pro temporalibus.

Concludimus ergo dicendo, quod inter collectas, si plures sint recitandae eadem die; prius dici debet illa, quae est *pro re gravi,* cuiuscumque sit generis, postea illa, quae non est *pro re gravi.*

Hinc nostris diebus, ut supra innuimus, prius dicenda collecta, *ex. gr., tempore belli,* et postea *pro Papa.* Ceteris paribus ordo dignitatis tenendus, ita ut gratiae spirituales quaerantur ante temporales, *ex. gr.,* prius *pro Papa,* et postea *ad repellendas tempestates.*

Quaestio.

In civitate B. consuetudo invaluit Missas in domo saepe saepius, *praesente cadavere*, celebrandi, et cadavera e domo recta ad coemeterium efferendi, quin ad ecclesiam deferantur, exsequiarum causa; exsequias insuper explendi, interdum diebus solemnioribus, cum emortuali aeris campani sonitu.

1. *Estne Ritualis Rom. menti conformis eiusmodi funebris delationis consuetudo, e domo, nempe, recto tramite ad coemeterium, ut in casu?*

2. *Quid de huismodi Missarum celebratione, firmiter invalescente supradicta consuetudine; et exstantne decreta in casu?*

3. *Quid de exsequiarum explendarum diebus solemnioribus, et emortualis campanarum sonitus consuetudine?*

Solutio.

Ad I. *Este Ritualis Romani menti conformis eiusmodi funebris delationis consuetudo, e domo, nempe, recto tramite ad coemeterium, ut in casu?*

Resp. Iuxta Ritualis Romani praescriptiones, e domo defunctum, quicumque sit, deferre immediate ad sepulchrum, quin deferatur ad ecclesiam, exsequiarum causa, non licet; et si eiusdem consuetudo alicubi vigeat, prudenter abolenda (d. 3291); et cadaver per viam breviorem, si sit commoda ac decens (d. 2395), luminibus ad ecclesiam deferatur.

Ad rem notandum: defuncti delatio in ecclesiam, exse-

quiarum causa, antequam ad sepulchrum deferatur, cum sit ex obligatione facienda iuxta Ritualis Rom. praescriptionem, uti supra innuimus, quippe quae partem essentialem funebris officii constituit, et, cum cadaveris benedictione et absolutione in ecclesia impertienda, facit unum cum funebri comitatu; parochis, in casu, unum tantum emolumentum, seu ius funerum, competit; et haud iustum est, imo contra iustitiam ageretur, si duplicia ipsi perciperent emolumenta, quasi ut, non una, sed duplex et distincta esset cadaveris delatio. Ratio est, quia in huiusmodi statutis iuribus comprehenduntur omnia emolumenta ipsis spectantia pro toto funere a Rituali Rom. praescripto, non autem pro irregulari tantum delatione *recto tramite* facta, e domo, nempe defuncti ad coemeterium.

Funebri officio in ecclesia peracto, defunctus ad sepulcrum immediate deferatur. Quoad Missam autem exsequialem (ut diffusius et ex proposito tractabimus sequenti *quaestione*), ipsa non est eiusdem funeris pars essentialis, ut eruitur ex Rituali Rom. et decreto S. R. C. n. 3494, cum possit etiam relinqui, nec ideo exsequiae essent detruncatae, nec Rituale quidem insinuat Missam illam celebrandam esse alio die. Si autem ipsa ex laudabili propinquorum voluntate, aut piae sodalitatis debito, cani debeat, Celebranti et sacris Ministris debita eleemosyna et taxa solvatur.

Ad II. *Quid de eiusmodi Missarum celebratione, firmiter invalescente supradicta consuetudine, et exstantne decreta in casu?*

Resp. Abusus, qui invaluit in aliquibus dioecesibus deferendi cadavera e domo recta ad coemeterium, ut supra innuimus, necnon sollicitationes, quae frequentius Episcopos premunt, ut, nihili facientes decreta Ecclesiae et praescriptiones Ritualis, facultatem concedant Missas in domo *praesente cadavere* celebrandi, Episcoposi psos contra sollicitent, ut tantu abusui frenum iniiciant.

Possunt quidem *praesente cadavere in domo* celebrari Missae

lectae cum applicatione pro defuncto, iuxta decretum *Aucto* (10 mai 1896, n. 3903), sed ubi erectum est canonice oratorium privatum, aut ab iis, qui privilegio gaudent altaris portatilis: in citato enim decreto non datur facultas erigendi huiusmodi oratorium.

Quando igitur privilegium non extet apostolicum oratorii privati aut altaris portatilis, tunc episcopus permittere non potest, suo arbitrio, ut celebrentur plures Missae in eiusmodi oratoriis, nisi *ob aiiquam gravissimam causam*, quae non est certo ad defuncti animam e poenis expiatoriis levandam, cum hoc effici possit rite et recte in ecclesia. Nec valet ratio Episcopos, iuxta decretum S. C. Sacramentorum (23 decem. 1912) « per modum actus, ex iustis et rationabilibus causis, permittere posse, ut sacrosancta Missa, privatis in domibus, celebretur »: talis enim concessio auctoritatem faceret officia et caeremonias in ecclesia praetermittendi, quae a Rituali Rom. praescribuntur, nec cadaver deferretur in ecclesiam, cui ius competit ut benedicatur, quod est valde reprobandum (S. R. C. 12 ian. 1897). S. R. C. ad rem vetuit etiam Episcopis advenit Missam celebrare in oratorio privato *praesente cadavere*, quando id ab Ordinario prohibeatur ob timorem ne praetermittantur praescriptiones Ritualis Rom. et laedantur iura parochi et ecclesiae (8 aug. 1905).

Optandum igitur est, ut parochus fortiter ac suaviter fidelibus persuadeat, ut cadavera in ecclesiam, antequam ad coemeterium, deferantur, iuxta quod a Rituali Rom. praescribitur; et ut possit frui omnibus insignibus privilegiis et suffragiis in defunctorum levamen: officiis et ritibus in ecclesia persolvendis affixis.

Ad III. *Quid de exsequiarum explendarium diebus solemnioribus, et emortualis campanarum sonitus consuetudine?*

Resp. Omnibus diebus, in quibus licet Missa de requie *praesente cadavere* cantare, sunt pariter permissae solemnes exsequiae quacumque dictorum dierum hora: diebus tamen festis de praecepto, in quibus Missa prohibetur, vetantur

itidem solemnes exsequiae, excipe nisi sub vesperum, ut infra, agantur.

Ex dictis consequitur: exsequias pro defuncto, cum effertur corpus, non posse quidem expleri in ecclesiis diebus solemnioribus I classis, et huiusmodi funera transferenda esse ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu (S. R. C. 27 ian. 1883, n. 3570). Si autem exsequiae fieri nequeunt ne post meridiem quidem eiusdem diei, efferatur cadaver recto tramite ad coemeterium, sine campanae sonitu et absque pompa, quoad fieri potest; iusta funebria differendo ad primum diem liturgice liberum.

Prohibetur autem funebris campanarum sonitus a primis Vesperis usque ad integrum diem festorum, qui in catalogo enumerantur, sint necne festiva (dd. 2989, 2593[2], 2594, 27 ian. 1883, 15 ian. 1897); nempe in omnibus duplicibus I classis, qui sunt festivi de praecepto etiam suppressi, exceptis tantum feria II et III Paschatis et Pentecostes: vetitum pariter est in festo Dedicationis et Titularis propriae ecclesiae, et Patroni principalis regionis, dioecesis vel loci, etiam in Dominica, in quam praefatorum festorum solemnitas externa transfertur (S. R. C. 22 aug. 1893, 8 ian. 1904).

Abstinere oportet insuper ab emortuali aeris campani sonitu, tum tempore expositionis SS. Sacramenti pro publica causa, tum ante Missam in Coena Domini; tum post meridiem Sabbati Sancti: cum in primo et secundo casu fideles a Mysteriorum diei meditatione distrahere et in tertio casu paschalia gaudia iam incepta Missae ac Vesperarum celebratione, tristitia afficere dedeceat.

(Continuabitur).

Appendix.

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM.

De formulis precum indulgentiis ditatis non interpolandis.

Ab hac Suprema Congregatione S. Officii petitum fuit: « An formulae precum, ob aliquam immutationem in eis introductam, Indulgentias eisdem a Sancta Sede adnexas admittant? ». Porro cum huiusmodi formulae Indulgentiis ditatae, antea accuratae revisioni subiici soleant, ac eis proinde quidquam demere, superaddere, vel alios sensus flectere, irreverentia et periculo non careat, et abusibus ansam praebere queat, E.mi ac R.mi DD. Cardinales Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria IV, die 21 iunii 1916. Declarandum censuerut: « Formulas quascumque precum, laudem, invocationum, et cetera, a Santa Sede Indulgentiis ditatas, per quamlibet additionem, detractionem, interpolationem, concessis Indulgentiis plane destitui ».

Et sequenti die feria V, die 22, SS.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in solita audientia R. P. D. Adsessori Supremae S. Congregationis S. Officii impertita, relata sibi E.morum Patrum resolutionem benigne adprobare ac confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua recordatione dignis, non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

quo plura solvuntur dubia circa Indulgentias a Tertiariis saecularibus Ordinis Minorum lucrandas.

Procurator generalis Ordinis Minorum Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii sequentia humiliter exposuit:

Recolendae memoriae Pius Papa X, per Breve *Sodalium e Tertio Ordine*, datum die 5 maii 1909, in perpetuum concessit: « Ut quibus pontificalis Indulgentiae donis fruuntur, quosque de bonis operibus spirituales fructus percipiunt familiae seraphicae primi et alterius Ordinis, ea omnia Tertiarii Franciscales quotquot sunt utriusque sexus et cuiusvis Instituti, vitae mortisque tempore participent ». Insuper idem Pontifex oblatis sibi in eam rem precibus annuens, propriaque manu supplici libello subscribens, die 17 eiusdem mensis et anni, in perpetuum pariter concessit: « Quatenus laudata Indulgentiarum et spiritualium fructuum communicatione perfrui in perpetuum possint quotquot sub patriarchae sancti Francisci vexillo militant, ad quemcumque Ordinem vel Ordinum familiam pertineant ».

Iam vero ex hac indulta communicatione Indulgentiarum, non pauca dubia suborta sunt, quoad eiusdem interpretationem et applicationem ad casus particulares. Quapropter, ut secure procedatur in re tanti momenti, orator suppliciter rogavit ut authentice solverentur haec dubia:

I. Utrum vi praedictae communicationis, ecclesiae seu publica oratoria, quae sint propria Tertii Ordinis Saecularis Franciscalis, gaudeant Indulgentiis concessis cuilibet ecclesiae et oratorio publico primi et secundi Ordinis nec non Tertii Ordinis Regularis, favore omnium fidelium, qui ea loca certis diebus visitaverint?

II. Utrum fideles adscripti Tertio Ordini S. Francisci lucrari possint Indulgentias directe concessas ecclesiis seu oratoriis primi, secundi et tertii Ordinis Regularis, si loco ipsorum visitent ecclesiam seu capellam in qua sedes Sodalitii est constituta, quamvis haec ecclesia seu capella ad Tertium Ordinem proprie non pertineat? Et, si affirmative:

III. An vi indultae communicationis, Tertiarii lucrari valeant Indulgentiam plenariam concessam visitantibus ecclesias primi Ordinis in Commemoratione omnium Fratrum defunctorum, tum in die qua eadem Commemoratio celebratur apud Familiam sub cuius obedientia vivunt, tum etiam in die quo apud alias Familias celebratur, idest pluries per annum?

IV. Utrum Indulta pro consequendis Indulgentiis favore Tertiariorum infirmorum, impeditorum etc., de quibus agitur cap. V Summarii approbati a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 11 septembris 1901,

respiciant dumtaxat Indulgentias Tertio Ordini Saeculari directe concessas, an etiam communicatas ex primo, secundo ac tertio Ordine Regulari?

V. An haec communicatio a Pio X indulta valeat tam pro Indulgentiis ad ea usque tempora concessis quam pro illis quae in posterum Ordini Franciscali concedentur?

Et E.mi Domini Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 7 iunii 1916, in ordinario coetu coadunati, respondendum censuerunt:

Ad I. et II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative,* sed semel tantum in anno.

Ad IV. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Ad V. *Affirmative.*

Facta autem, feria V subsequenti, die 8, iisdem mense et anno, relatione Ss.mo D. N. D. Benedicto div. prov. Papae XV, per R. P. D. Adsessorem, Sanctitas Sua sententiam E.morum Patrum benigne ratam habuit et confirmavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

RESCRIPTUM

quo conceditur privilegium ut in ecclesiis, in quibus erecta est Confraternitas VII Dolorum B. M. V. vel Tertius Ordo saecularis Servorum B. M. V., Dominica III septembris celebrari possint Missae omnes de Beata Virgine Perdolente.

Beatissimo Padre,

Il P. Vicario Generale dei Servi di Maria prostrato ai piedi della Santità Vostra espone che, essendo stata fissata, nella riforma del Calendario universale, la festa dei Sette Dolori della B. V. M. al 15 settembre, in luogo della terza Domenica dello stesso mese, in tutte le Chiese ove è eretta la Confraternita dell'Addolorata o il Terz'Ordine dei Servi di Maria si è costretti, quando il 15 del mese occorre in giorno feriale, a trasferire la festa esteriore dell'Addolorata alla terza Domenica, per dare ai fedeli maggior comodità di lucrare l'Indulgenza Plenaria *toties quoties*. Secondo le nuove Rubriche però, trasferendosi la solennità della festa dell'Addolorata alla terza Domenica, non si può in detto giorno celebrare che una sola Messa della festa medesima, con rincrescimento non solo dei fedeli, ma specialmente dei Sacerdoti che, o invitati o per propria devozione, vanno a celebrare la santa Messa nelle Chiese suddette, che spesso si potrebbero chiamare piccoli Santuari della Vergina SS.ma dei Dolori.

L'umile Oratore quindi, per assecondare i voti di

molti correttori della Confraternita e del Terz' Ordine, supplica la Santità Vostra perchè voglia degnarsi di concedere che in tutte le Chiese, ove è eretta canonicamente la Confraternita dell'Addolorata o il Terz'Ordine dei Servi di Maria, si possa nella terza Domenica di settembre celebrare da tutti i Sacerdoti la Messa della Addolorata, fatta eccezione, secondo le Rubriche, della Messa Conventuale o della Parrocchiale, ove ve ne sia l'obbligo.

Che della grazia, ecc.

Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, his precibus, R.mi Procuratoris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. commendationis officio communitis, et ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, clementer deferens, de speciali gratia, facultatem concedere dignatus est, qua in singulis Ecclesiis, in quibus Confraternitas Septem Dolorum B. M. V. aut Tertius Ordo Saecularis Ordinis Servorum B. M. V. canonice erecta sunt, Dominica tertia mensis septembris, Missae omnes, accedente Ordinarii consensu, quoad Ecclesias non exemptas, vel Superioris Regularis, quoad exemptas, de festo Septem Dolorum eiusdem B. V. M., ad proximum decennium, celebrari possint; dummodo non occurrat aliquod festum duplex primae classis, et non omittatur Missa Conventualis seu Parochialis officio diei currentis respondens, si eam celebrandi adsit onus; servatis de cetero Rubricis et Decretis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 augusti 1916.

A. Card. Ep. Portuen. et S. Ruf., *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 17 maii 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. D. CAIETANUS PERELLA, *alumnus Congr. Missionis, quaestionem enodavit:*

De solemnitate externa sancti Titularis in Dominica infra octavam celebranda.

Post Censorum animadversiones R. D. PETRUS MARIA DE AMICIS *C. M. epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Peregrinus, parochus ecclesiae s. Liberatae sitae in collibus F., cuius sanctae natalis dies est 18 ianuarii, celebrare solet eius festum externum in sequenti Dominica, in qua, non tantum fideles suae curae, sed etiam ex finitimis paroeciis, ex antiqua consuetudine, turmatim concurrunt. Episcopus, in sua recenti synodo, expresse iussit ut omnes ecclesiarum rectores celebrent sanctos Titulares ac locorum Patronos in sua natali die, ne parochi limitrofi Dominicis diebus quodammodo cogantur propriam derelinquere paroeciam ad celebrandas huiusmodi solemnitates. Peregrinus, videns impossibile esse inducere populum suum ad celebrandum festum in sua propria die, et impedire concursum fidelium, etiam ex aliis paroeciis, sciensque consuetudines praescriptas legem constituere, persolvit quidem, die 18 ianuarii, Officium

cum Missa s. Liberatae, sed in Dominica sequenti, cauto quod una Missa sit de Dominica ipsa, Missam solemnem canit de sancta Titulari, ac etiam alias Missas lectas, si quae sint, vult de eadem sancta Virgine celebrari. Cum autem caeremoniarum magister Cathedralis id fieri non posse teneat, Peregrinus, pro sua instructione, quaerit:

1. *Utrum antiquus sit mos celebrandi nonnulla festa in Dominicis in genere, et in Dominica infra octavam in specie?*

2. *Utrum festa Titularium, Patronorum et alia ex devotione populorum, liceat celebrare in Dominica, et in casu, quid iubeant novissimae Rubricae et decreta recentiora?*

3. *Utrum antiqua consuetudo, in casu, sit validum argumentum pro continuatione celebrandi festum s. Liberatae in Dominica sequenti?*

Solutio.

Ad I. Consuetudo celebrandi aliquod festum assignatum in die Dominico antiqua non est, antiquitus enim, non tantum hoc fieri numquam licebat, sed et festum quodcumque, si accidentaliter in Dominicam incidebat, locum diei ipsi Dominico cedebat. *Micrologus*, qui scriptus fuit paulo post mortem s. Gregorii vij (1085 — Cf. Migne P. L. 151, 1013), ad rem habet: « In omni Dominica ecclesiastico conventui cum officio Dominicae satisfacimus, nisi aliquam multum celebrior occurrat Festivitas ».

Et celeberrimus Radulphus Tungrensis, qui exeunte saeculo xiv Romam venit, et in libro: *De Canonum observantia* (Cf. Maxima Bibl. Patrum Lugduni, vol. 26, c. 13), postquam notavit in aliquibus dioecesibus coepisse consuetudinem celebrandi festa sanctorum, quae in diem Domini-

cam occurrebant, addit: « *Romanus usus, post Ambrosianum, melius se habet, in quo, praeter quaedam festa ix lectionum,* (nempe Assumptionis B. M. V., s. Ioannis Baptistae et ss. Apostolorum Petri et Pauli) *cedunt Dominicae;* et sane, in Ambrosiano ritu, nullum unquam festum celebratur in Dominica, nisi sit festum Domini, et ipsa Assumptio B. M. V. et festum s. Ambrosii si occurrant in Dominicam celebrantur feria sequenti.

Dies enim Dominica, principaliter dicata fuit in honorem directum Domini, et est Dies Domini, ideoque iuxta perpulchram sententiam s. Augustini (*Serm. de Ascensione* 332, P. L. 38, 1208), si occurrit festum alicuius sancti in festivitate Domini, *dignetur obscurari stella a Sole... Gaudeat bonus servus, quando laudatur Dominus.*

Quia vero saeculo xv coepit usus celebrandi festa duplicia in Dominicam occurrentia, sancta Mater Ecclesia, minus libenter concedebat huiusmodi festa duplicia. Porro Commissio pontificia sub Clemente viij, inter alia, ut habetur in codice Bibliothecae Vaticanae (Lat. 6096 fol. 88, 89), edito a Batiffol (Hist. Brev. III Ed., p. 346), haec etiam ad rem nostram proposuit: « Festa eorum sanctorum, qui post emendationem Pii v Breviario additi fuerunt, videlicet Romualdi, Francisci de Paula, Petri martyris, Stanislai Episcopi, Antonii de Padua, et Nicolai de Tolentino, sub officio semiduplici celebrari debere omnino videtur (sub ritu duplici inducta fuerant), id quod a plurimis viris piis et in rebus ecclesiasticis exercitatis summopere expetitur, et maxime a Germanis et Polonis catholicis, apud quos solemnitas diei Dominici in magna veneratione habetur, et aegre patiuntur ut illius officium saepe omittendum sit ob alicuius sancti festum, qui inter maiores non censeatur ». Et revera in calendario a Clemente viij recognito, praedicta festa ad ritum semiduplicem redacta fuerunt. Ad quam propositionem procul dubio se refet Gavantus, qui unus fuit ex membris praedictae Commissionis (Sess. III, c. iij, n. 4), ubi notat quod idem Pontifex Clemens viij, nolebat ultra concedere alia festa

duplicia sanctorum, ne impediretur officium Dominicae. Pariter Guyet, *Heortol.* I, j, 19) et Benedictus xiv (Canoniz. Ss. IV, II, vj, 14) sequenti saeculo dolebat, quod *per extensionem festorum ad Ecclesiam universalem sub ritu duplici, infertur praeiudicium officio Dominicae.* Et b. Card. Thomasius, in altero ex suis opusculis editis in fine Operum (vol. vij, pag. 171), iam suo tempore (opusculum scripsit anno 1707) notabat quod Calendarium Breviarii Romani, tam longe recessit a reformatione facta ex decreto Concilii Tridentini, ut pene aliud videatur ob multiplicata, grandi numero, festa Sanctorum, quorum plena erant Breviaria ante idem Concilium, quae ab eodem refecta sunt, ut officia Dominicalia suum obtinerent locum ». Quid scripsissent huiusmodi celeberrimi liturgistae, Gavantus, Guyet, b. Thomasi, et Lambertinius, si nostra aetate viverent, in qua Calendarium universalis Ecclesiae (utt aceamus de Calendariis particularibus) habet centum septuaginta sex duplicia sanctorum, nempe centum et duo plusquam ineunte saeculo xviij? Imo quid dicerent si vidissent tot officia asignata in die Dominica? Hinc est quod Grancolas, qui floruit tempore eiusdem Benedicti xiv, in suo Commentario Historico Breviarii (I, 41), scripsit: « Est de Dominica adnotandum, eam tam Deo sacram habitam fuisse, ut tunc nullius sancti festum celebraretur..... Optandum sane esset, ut mos iste (celebrandi in die Dominica nisi festa solemnissima occurrentia) rursus restitueretur, cum hodie nullae fere loco suo constiterint, nisi Adventus et Quadragesimae Dominicae ».

Quamquam vero Benedictus xiv nullum revocaverit festum a suis praedecessoribus concessum, in longo tamen suo Pontificatu (ann. fere 20) novum nullum officium concessit, titulum tantum decrevit Doctoris s. Leoni Magno.

Sed Commissio ab eo creata pro reformatione Breviarii, in suis propositionibus aiebat: *quod displicebat Dominicos dies festis plurimis destinatos fuisse.* Unde videtur iam illo tempore coepisse consuetudinem assignandi Dominicam aliquam pro celebratione festorum.

Uti iam diximus, usus iste antiquus non est; sub Pio v nullum festum assignatum erat in die Dominico. Successor eius Gregorius xiij, concesserat ut in Dominica I octobris celebrari posset Missa de s. Rosario, in locis in quibus aderat altare eidem dedicatum. Postea Clemens x (1671) concessit pro regno Hispaniae festum s. Rosarii in dicta Dominica recolendum; quod paulatim ad alia loca propagatum fuit, usque dum Clemens xj ad totam Ecclesiam extendit idem festum, per decretum 3 octobris 1716.

Huiusmodi festivitas s. Rosarii prima fuit, quae ad totam Ecclesiam extensa est; postea habuimus:

Festum Ss. Nominis Iesu, Dom. ij post Epiphaniam, 1723, ab Innocentio xiij;

S. Ioachim, Dom. infra Octav. Assumptionis, 1731, a Clemente xiij;

B. Mariae Perdolentis, Dom. III septembris 1814, a Pio vij;

Patrocinium s. Ioseph, Dom. III post Pascha 1847, a Pio ix;

Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. Dom, I iulii 1849, ab eodem Pio ix.

Multis vero in locis, plurimae aliae festivitates assignatae fuerunt in die Dominico celebrandae, ita ut fere omnes Dominicae mensium augusti, septembris et octobris, impeditae esset, quominus eorum officium celebrari posset.

Quod autem attinet usum celebrandi aliquas festivitates Dominica infra earum Octavam, ipse quoque valde antiquus non est, nam antiquitus ignotae erant huiusmodi festorum translationes, sed quodlibet festum in sua die recolebatur.

Quoniam vero in ruralibus paroeciis populus deserere manualia opera nequibat, ut festum s. Patroni vel Titularis Ecclesiae celebraret, hac illacque coepta est consuetudo transferendi in proximam Dominicam celebrationem externam earum festivitatum. Quae consuetudo adprobationem obtinuit in genere a S. Sede, quum in Concordato

Pii vij cum imperatore Napoleone I, reductus fuit numerus festorum *de praecepto* pro toto Galliarum imperio, quae in Dominica sequenti celebrari debuerunt, iuxta notissimum decretum Cardinalis Caprara.

Ad II. Festa externa quae in sequenti Dominica recoluntur, dicuntur *externa,* eo quod officium et Missa, iuxta proprium ritum, celebrantur in sua die, et in Dominica non agitur nisi solemnitas popularis, cum celebratione Missae, et etiam cum cantu Vesperarum.

Si huiusmodi translatio festivitatis externae, indicta fuit iam a longo tempore, videntibus et tacentibus Episcopis, ita ut vera consuetudo canonica probari possit, tolli nequit; Ecclesia enim est bona mater ac provida, atque cognoscit conditionem filiorum suorum, maxime qui in villis degunt, et in feriali die nequeunt, uti desiderant, recolere proprium Patronum, ideoque impedire non solet ut in Dominica sequenti festa huiusmodi externa celebrentur. Notare insuper iuvat, quod licet in Dominica sequenti non agatur officium de Sancto Titulari vel Patrono translato, nihilominus fit commemoratio eius Octavae, si excipias festa duplicia I et II classis. Huiusmodi autem Commemoratio pars est Officii quod celebratur in tali Dominica; non est ergo omnino contrarium spiritui Rubricarum, quod cantari possit saltem una Missa de sancto, cuius decurrit Octava.

Sed in hoc secundo quaesitu quaeritur etiam: *Quid iubeant novisimae Rubricae et decreta recentiora?*

Rubricae reformatae, precise non respiciunt casum externae festivitatis translatae in Dominicam sequentem; sed proponunt principium, super quod innititur solutio nostri quaesitus. Et sane, Titulus X Rubricarum, quae editae sunt simul cum Bulla « Divino afflatu », n. 3 dicit: *Si alicubi aliquod festum impeditum a Dominica minore, celebretur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius), Missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica non omittatur.*

Dispositio ista congruit cum Rubrica VI missalis; et licet ista et illa non loquantur, uti iam innuimus, de externo festo translato in Dominicam sequentem, attamen, ubi per probatam consuetudinem sanctus Titularis semper celebratus fuerit a populo cum concursu, in Dominica infra Octavam, procul dubio Missa solemnis de Titulari celebrari poterit, ut in die, dummodo non deficiat Missa de Dominica.

Habemus etiam S. R. C. decretum d. d. 28 octobris 1913, quo melius determinantur praescriptiones quae continentur in Motu proprio Pii x *Ab hinc duos annos,* in quo decreto ad 2 sic legitur: « Ubi solemnitas externa festorum, quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de solemnitate festi duplicis I classis permittuntur Missae omnes, praeter Conventualem et Parochialem, semper de officio diei dicendas; de Solemnitate vero festi duplicis II classis permittitur tautum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur Solemnitas externa Ss. Rosarii, quae Dominica I octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter Conventualem et Parochialem, de Ss.mo Rosario (ut supra dictum est de dupl. I classis). Omnes Missae de his Solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso festo de quo agitur Solemnitas, addita Oratione de officio diei et aliis omnibus quae dicenda essent, si festum ipsa Dominica incidisset. Prohibentur tamen in omnibus Dominicis maioribus et in aliis Dominicis in quibus fiat officium nobilius ipso festo cuius Solemnitas externa peragitur; sed in eam, praeterquam in dupl. I classis Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis, quae alioquin de Solemnitate externe celebrata permitteretur, addatur eius Oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missae Conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed oratio de festo externe tantum celebrato addi poterit (uti supra) in ipsa Missa Conventuali ».

Porro opportuna dispositio ista novissima optime potest applicari Missis solemnibus de quibus agimus. Esto quidem

quod ipsa respiciat Missas festorum, quae antea cum feriatione celebrabantur, ideoque et de s. Patrono, non autem de Titulari, qui feriationem non habebat, neque habet; nihilominus in locis illis in quibus legitime, vel ob concessiones explicitas, vel per probatam antiquam consuetudinem, semper celebrata fuit festivitas externa cum concursu populi, Missa solemnis in casu celebrari poterit, iuxta citatum decretum.

Ad III. Ad melius intelligendum tertium quaesitum istud, oportet sub oculis habere verba casus nostri, nempe:

Episcopus in sua recenti Synodo, expresse iussit ut omnes ecclesiarum rectores celebrent sanctos Titulares ac locorum Patronos in sua die natali, ne parochi limitrofi Dominicis diebus quodammodo cogantur propriam derelinquere paroeciam ad celebrandas huiusmodi solemnitates.

Procul dubio consuetudines illae, maxime quae cultum sanctorum fovent in populorum animis, optime possunt et debent servari; in casu autem nostro habemus Superiorem, qui per solemne decretum suum synodale iubet ut festa Titularium in pagis et villis celebrentur in die sua propria, non autem in sequenti Dominica; videtur ergo quod consuetudo antiqua, ac probata, non amplius servari queat, post decretum, illam abrogans.

Et sane, consuetudines, in tantum servari possunt, in quantum Superior illas tollerat vel adprobat; quod si eas explicite tollit, nullum amplius valorem habent, et eas sequi amplius non possumus. Hoc pacificum est in iure.

Nihilominus in casu nostro animadvertendum est, quod causa, ob quam Episcopus prohibet quominus festa Titularium agantur in sequenti Dominica, illa est, *ne parochi limitrofi Dominicis diebus quodammodo cogantur propriam derelinquere paroeciam...* Ideoque, dummodo periculo huic consulatur, nempe, dummodo celebratio festivitatis iuxta antiquam consuetudinem, in Dominica sequenti, fiat absque concursu parochorum, non videtur prohibitio valere in casu.

Ratio huius distinctionis fundamentum habet in iure acquisito populi celebrandi suas festivitates in Dominica, maiori cum proprio concursu et solemnitate, servata tamen mente legislatoris; remoto nempe periculo accessus parochorum viciniorum. Hoc valet eo magis, si in pago alii habeantur sacerdotes qui parochum loci adiuvare possint in sacris caeremoniis.

In casu nostro ergo respondere parocho Peregrino debemus, sub conditionibus supra expositis, posse continuare celebrationem festivitatis externae s. Liberatae Titularis suae ecclesiae, cum sola Missa solemni, non vero cum aliis Missis si quae sunt, quae de die esse debent. Quod si Peregrinus solus esset sacerdos in sua paroecia, tunc Missa omnino de Dominica esse debet, cum commemoratione s. Liberatae, ratione octavae.

Quaestiones Liturgicae.

(Continuatio, v. n. 6, curr. anni, pagg. 340-345).

5. Consuetudo huiusmodi gestandi Crucem extra celebrationem Missae, non tantum super mozzetam vel manteletum, sed etiam super vestes ordinarias et domesticas, paulatim se extendit, maxime postquam Apostolica Sedes concessit pluribus Capitulis, ut possent deferre aliquam Crucem pectoralem supra habitum choralem. Tunc enim Episcopi, ne viderentur hac de re minores esse quam Canonici propriae Cathedralis, coeperunt et ipsi gestare Crucem supra mozzetam et etiam super cappam.

Notatu dignum est responsum datum a S. R. C. Episcopo Passaviensi (16 iunii 1674, n. 1517) qui exquisiverat, utrum praepositus Losestensis, usum pontificalium habens, Crucem gestare posset, non tantum in functionibus Ecclesiae, sed etiam extra et ubivis ac in praesentia Episcopi, quod in Germania novum plane et insolitum erat, et Congregatio respondit: *Non licere extra functiones sacras, nisi doceat de speciali indulto.*

Haec verba decreti probant tunc nondum generalem fuisse usum gestandi Crucem extra celebrationem Missae. Huiusmodi autem consuetudo, limites omnes excessit medio saeculo XIX, quando Episcopi, induentes sacras vestes pro pontificalibus agendis, accipiebant quidem Crucem ante stolam, sed caeremoniarii, faciles, et plus quam aequo indulgentes, Crucem ipsam super stolam, postea super dalmaticam, ac dein super casulam imponebant; item in Vesperis Crux apparebat supra pluviale, et nostris oculis, dum adhuc clerici Seminarii eramus, vidimus extrahi Crucem, ita ut

ipsa supra velum humerale appareret, dum Episcopus Benedictionem cum Ss.mo Sacramento impertiebatur.

Huiusmodi abusus damnatus fuit a S. R. C. praesertim per decreta 14 iunii 1873, n. 3301 ad I, et 6 sept. 1895, n. 3873 ad 2; unde supponitur quod abusus iste coeperit in secunda medietate saeculi XIX. Academia Liturgica Romana quaestionem agitavit die 28 nov. 1895, de Cruce pectorali (*Ephem Lit.*, an. 1897, vol. xj, pag. 96), et cum votum emisisset ut hac de re provocaretur authentica declaratio S. R. C., haec decretum suum evulgavit d. 20 iun. 1899, in quo ad dubium 2 denuo damnavit abusum de quo loquimur.

Nos autem cognovimus quemdam Episcopum, qui, sicut praedecessores, semper adhibuerat Crucem super casulam: quum vero exiit ultimum citatum decretum anni 1895, sumere coepit Crucem super albam; attamen, dum sermonem habebat in Missa Pontificali, antequam ambonem concionaturus ascenderet, aliam Crucem pretiosiorem super platenam assumebat.

6. Prout supra innuimus, Romanus Pontifex solummodo, ante saeculum XIV, pectoralem Crucem sub vestibus sacris in Missae celebratione gerebat *reconditam in pectore*, ut scribit Innocentius iij; sed est mirandum, quod Papa, qui primus omnium fuerat in deferenda Cruce sub vestibus sacris, ultimus fuerit in ea deferenda supra vestem communem.

Et sane, dum medio saeculo xviij Episcopi, et etiam Abbates, contenti non fuerunt deferre Crucem super mantelletum aut mozzetam, sed eam sumpserunt etiam super habitum domesticum; unicus Romanus Pontifex eam non detulit super mozzetam; et primus omnium qui eam gestare coepit super vestem ordinariam, videtur fuisse Pius huius nominis septimus; degens enim in captivitate extra Urbem, aliquando ut apparet in quibusdam eius imaginibus, ne minoris dignitatis videretur, quam ceteri Episcopi, Crucem in habitu viatorio ferebat.

Cl. Battandier (*Annuaire pontifical*, 1901, p. 283) sup-

ponit quod Pius ix primus fuerit qui detulit Crucem super vestem ordinariam ; attamen, licet imagines eius antecessoris, Gregorii xvj, illum exprimant in habitu privato absque Cruce, nihilominus citatus Moroni (*Dizionario*, vol. 18, p. 247), qui uti munere fungens adiutoris intimi cubiculi ipsius Pontificis, bene noverat eius consuetudines, non excludit quod idem Pontifex aliquando Crucem deferret super vestem ordinariam.

Sed et non una imago Pii ix, in habitu privato, eum exprimit absque Cruce, maxime si agatur de imaginibus huius Pontificis in initio sui pontificatus ; dicitur tamen, quod ipse, nacta occasione cuiusdam receptionis peregrinorum ex America, qui illi obtulerunt 'pulcherrimam et pretiosissimam Crucem ex catenula pendentem non minoris valoris, eam accepit et posuit in habitu privato, ac postea numquam dimisit. Procul dubio successores eius, Leo xiij et Pius x, semper usi sunt, et etiam Benedictus xv utitur Cruce in eodem habitu ordinario.

Super mozzetam autem hodie quoque Summus Pontifex, nunquam utitur Cruce, sed assumit tantummodo stolam ; et antiquus ritus iste congruit cum iis quae scripsit Innocentius III (l. c.), scilicet, quod Papa *Crucem insertam catenulis a collo suspensam... recondit in pectore*, nempe sub vestibus.

7. Sed et apud Eminentissimos Cardinales Romanae Ecclesiae, non unus fuit mos pro delatione Crucis, dum in Curia degunt, ut supra innuimus cum Moroni.

Super habitum domesticum, seu super habitum dictum pianum, usque ad annum 1905, tantummodo Cardinales Episcopi suburbicarii Crucem gestabant ; et etiam Cardinales ex ordine presbyterali, si charactere episcopali erant insigniti, non vero Cardinales Diaconi.

Super mantelletum et mozzetam Crucem ferebant tantummodo praedicti Cardinales Episcopi suburbicarii, et etiam Cardinalis Vicarius Urbis (1), non vero alii Cardinales pres-

(1) Aliqui explicant huiusmodi usum Cardinalis Vicarii, dicentes, Cardinalem Patrizi Vicarium Urbis, super mozzetam Crucem

34

byteri, licet charactere episcopali insigniti, et multo minus Cardinales Diaconi. Super cappam autem nemo ex Cardinalibus, etiam ex ordine Episcoporum, unquam Romae detulit Crucem pectoralem.

Citatus Battandier (*ib.*, pag. 284), loquens de Cardinalibus qui Romae non utuntur Cruce pectorali, haec habet: « Toute fois, d'après un usage dont il serait difficile de donner l'origine, ces mêmes Cardinaux prêtres portent la croix pectorale quand ils se trouvent en dehors des Etats pontificaux. Le Card. Bartolini du titre de S. Marc ne manquait jamais, quand il allait au Mont-Casin, de prendre la Croix pectorale dès qu'il avait dépassé Céprano qui forme la limite Sud du Domaine temporal du Saint-Siège ».

An huiusmodi praxis esset arbitraria vel suffulta aliquo documento, neque dixit citatus Battandier neque nos dicere possumus. Verum, non satis intelligitur, quomodo Crux pectoralis, quae est unum ex insignibus prorsus liturgicis, accipi potuisset Romae tamquam signum aliquod civilis principatus, ita ut extra dominium temporale S. Sedis, eo uti liceret, non autem intra ipsum. Si hoc verum esset, cur Episcopi et ipsi Abbates in Urbe Roma deferebant Crucem? Dicendum potius est, quod consiliarius aliquis illius Cardinalis id suadebat, ne Cardinalis S. R. C. minor videretur quam Abbates coenobii Montis Casini.

8. Ceterum consuetudo deferendi Crucem super habitum privatum, et super mantelletum vel mozzetam, generalis est, non tantum apud Episcopos, sed etiam apud Abbates, imo in aliquibus provinciis etiam ipsos apud Canonicos; haec consuetudo. paulatim ultimis saeculis exorta, et ubique propagata, non intelligitur quare favere Cardina-

---

detulisse, quia erat ex ordine Episcoporum; eius autem successor, licet esset ex Ordine presbyterali, Crucem gestabat super mozzetam, in signum iurisdictionis. Attamen notum est, quod pluries Sacrae Congregationes Romanae declaravere Crucem pectoralem non esse signum iurisdictionis... Si esset, neque Cardinales Episcopi suburbicarii in Urbe Crucem gestare potuissent!!!

libus non deberet, maxime postquam S. R. C. eam admisit et probavit pro Episcopis per citata decreta.

Multi Cardinales qui, antequam ad apostolicum Collegium pertinerent, erant Episcopi, ideoque deferebant Crucem supra mozzetam, ad sacram purpuram elevati, eam amplius non detulerunt... Hoc prorsus non explicatur, sicut non intelligitur cur illam gestare deberent sub mozzetam... nisi quia mos antiquus servabatur, distinguendi per hanc differentiam ordinem episcopalem in hierarchia cardinalitia. Hisce de causis Pius x f. r. in suo decreto motu proprio, dato die 24 maii 1905 (Vide *Ephem. Lit.*, an. 1905, p. 456), haec declaravit, scilicet: « Nos omnibus Cardinalibus praesentibus et futuris, ex Ordine Presbyterali ac Diaconali, episcopali charactere non insignitis, concedimus, in perpetuum ac sine ulla limitatione, ut publice ac privatim se Cruce pectorali ornare valeant; atque volumus et iubemus, nullum adsit discrimen inter Cardinales charactere episcopali insignitos, et Cardinales eodem charactere non insignitos ».

Hoc decreto tamen nonobstante, fuerunt nonnulli qui suadebant Cardinalibus ex ordine Presbyterorum et Diaconorum quod Crucem non acciperent Romae supra mozzetam, vel quia facultatem relinquebat, illud verbum *queant*, vel quia decretum romanum usum non damnabat; et nos ipsi adsistentes in Missae celebratione E.mo Cardinali Rampolla in oratorio monialium B. M. a Coenaculo, vidimus quod ipse, licet vulgatum fuisset citatum decretum Pii x, noluit accipere Crucem pectoralem nisi supra rochetum, non vero supra mozzetam.

9. Inquirendum nunc est nobis utrum Crux pectoralis superimponi possit super Cappam.

Procul dubio, sicut nec supra mozzetam vel manteletum, nec supra vestem ordinariam, solebant Episcopi et Cardinales, aliique inferiores Praelati usum Crucis habentes, Crucem gestare, multo minus supra Cappam. Nihilominus Episcopi illarum Cathedralium, quarum Canonicis tribuerat

S. Sedes privilegium gestandi Crucem super habitum Choralem, ne minore frui viderentur honore quam sui Canonici, coeperunt usum deferendi Crucem pectoralem etiam supra Cappam. Huiusmodi usus paulatim fere ubique pervulgatus est; sed et nonnulli Cardinales, extra Urbem, huiusmodi usum secuti sunt, nunquam vero in Urbe, et multo minus in Papali cappella, in qua neque ipsi Cardinales ex ordine Episcoporum, unquam super Cappam Crucem accipiunt.

Quid ergo dicendum? Non difficile responsum; res enim iudicanda est iuxta consuetudinem. Uti vidimus, per se, et iuxta dispositiones Caeremonialis Episcoporum (l. c.), Episcopi Crucem deferre deberent tantummodo in sacris functionibus, et quidem reconditam sub sacris paramentis. Attamen non obstantibus huiusmodi dispositionibus, coepta est paulatim delatio Crucis super habitum ordinarium et super mozzetam et mantelletum; ergo, sicut consuetudo ista ubique paulatim accepta fuit et a citatis decretis 2710 et 4035 probata, ac tandem per *motu proprio* Pii x 24 maii 1905 confirmata ita in locis ubi invaluit consuetudo deferendi Crucem, etiam supra Cappam, non videmus qua ratione damnari queat.

Scimus quod nonnulli putant Cappam Episcopalem esse talem vestem superiorem, quae antiquitus tantummodo tempore hiemali adhibebatur (etiam a Romano Pontifice in nocte Nativitatis Domini), ut super eam nihil omnino superimponeretur; ergo nec Crux pectoralis.

Quidquid sit de antiquo more, dicendum est, quod postea Cappa magna usi sunt Episcopi etiam tempore aestivo, mutatis pellibus caputii, in sericum subsutum. Et si verum est quod antiquitus neque ipsa Crux pectoralis assumebatur super Cappam, verum est etiam quod tunc ipsa non accipiebatur nec supra mozzetam aut mantelletum, nec super habitum ordinarium. Quoniam vero nostris temporibus Crux pectoralis exterius signum dignitatis Episcopalis effecta est, non videtur cur super cappam eam defere nequeant Episcopi et Cardinales.

Si ergo hodie omnes Cardinales, etiam ex ordine Diaconorum, eam deferunt coram Pontifice super mozzetam, non videmus cur, vi citati *motu proprio*, eam assumere nequeant et super Cappam, agitur enim de consuetudine, quae mutari potest.

Ceterum, non tantum fere omnes Episcopi hodie in propriis dioecesibus utuntur Cruce super Cappam, sed et ipsi Cardinales, ut videre quisquis potest in imaginibus et pictis tabellis Cardinalium Parocchi, Aloisi-Masella, Svampa, Richard, Vannutelli Vincentii.

10. Argumentum istud de Cruce pectorali deserere non possumus, quin aliquid dicamus de usu Crucis ab electis Episcopis. Statim ac aliquis ad Ordinem Episcopatus eligitur, iuxta Caeremoniale Episcoporum, non tantum coronam in capite maiorem sibi facere debet, sed et habitum solitum praelatitium adhibere potest. Nil dicitur quidem de Cruce deferenda; sed, ut vidimus, Caeremoniale hac de re manet quale scriptum fuit tempore Clementis viij, quo tempore nullus gestabat Crucem nisi sub paramentis in Missa; ergo, multo minus, nil dicere poterat de Cruce gestanda ab electo Episcopo.

Iuxta ergo acceptam consuetudinem hodiernam, a S. R. C. per citatum decretum suum n. 2710 adprobatam, Crux pectoralis ornamentum evasit ordinarium Episcoporum, eo itaque uti bene poterunt etiam Episcopi electi.

Hoc clarissime probatur ex dispositione Pontificalis Romani, superius citata, qua Episcopus, dum paratur pro sua consecratione, Crucem assumit per capellanos, dum alia ornamenta Episcopalia, nempe chirothecas, annulum, mitram, et baculum, a consecratore accipit. Nostro ergo iudicio electus Episcopus, simul cum aliis vestibus praelatitiis Crucem quoque pectoralem deferre potest, nec tenetur expectare suam consecrationem (1).

(1) Nunc est vulgata opinio, quod ideo non debet adhibere Crucem pectoralem electus, quia haec est index consecrationis. Ac-

Ex iis quae hucusque hic exposuimus, possumus tamquam corollaria deducere :

I. Crux pectoralis nunquam fuit signum iurisdictionis, sed nec est unum ex insigniis pontificalibus proprie dictis.

II. Consuetudo deferendi Crucem pectoralem, supra mozzetam vel mantelletum, et in habitu ordinario, paulatim orta, adprobata fuit per decreta S. R. C. nn. 2710 et 4035; ita ut iure Episcopi residentiales et titulares, nec non Cardinales ex dispositione motus proprii Pii x, 24 maii 1905, Crucem detectam gestare possint ubicumque degunt.

III. Quoniam delatio Crucis extra sacras functiones super habitum communem et supra mozzetam vel mantelletum paulatim orta, ubique pervulgata fuit, ac postea probata, nil vetat quod consuetudo eam deferendi etiam supra cappam, multis in locis in usum deducta, etiam Romae inducatur (1).

Dr. P. Piacenza.

---

cipitur enim non in prima paramentorum sumptione ante stolam, pro examine et confessione, sed in secunda pro functione consecrationis,

Redactio.

(1) Non tam facile DD. Cardinales in Urbe consuetudines traditionibus adversantes introducunt ; etiam quia eorum Caeremoniarii sunt Consultores S. C. Caeremonialis, qui servandis decretis et consuetudinibus student.

Redactio.

Consultationes.

De duobus vocabulis « Tituli Conditoris » quae bis inveniuntur in Martyrologio Hieronymiano.

Inter opuscula de re liturgica, quae sub directione cl. Dom Cabrol eduntur Parisiis in officina libraria Bloud et C., anno 1914 apparuit: *Le Martyrologe, par Jules Baudot, O. S. B.*, qui compendiose, sed satis erudite et perfecte, necessarias notiones de origine et évolutione Martyrologii tyronibus tradit.

In huiusmodi opusculo, pag. 10, legimus:

« 4) Enfin certaines églises insérèrent, dans leur calendrier, la *mention de leurs bienfaiteurs:* cette mention est facilment reconnaisable grâce aux mots: *Tituli conditor.* C'est ainsi qu'on lit aut Martyrologe hiéronymien, le 14 avril: *Cornili conditoris tituli*: le 14 août *Eusebii tituli conditoris* ».

Videtur ergo, quod benedictinus Baudot, verba illa: *conditoris tituli* acceperit pro ecclesiae *fundatore*, ac proinde paulo inferius, in eis recognoscit quartum elementum Martyrologii localis, nempe: « 4. les anniversaires des personnages illustres par leur bienfaits ».

In nonnullis quidem antiquis Martyrologiis, aliquando nomina inveniuntur etiam virorum illustrium, quorum, vel ob beneficia collata monasteriis et ecclesiis, vel ob sepulturam in ipsis electam, in eorum die obituali, fit memoria. Iuxta Ducange (ad vocem) vox *Martyrologii* laxius sumebatur, nempe etiam pro *Necrologio* seu *Obituario*, eo quod in eodem volumine continebantur natalitia Sanctorum et anniversaria virorum illustrium; unde *Martyrologio inscribi*, dicebatur, *cuius obitus dies ibi adnotabatur;* ut scilicet in ea congregatione, vel monasterio seu fraternitate cui quis adscriptus erat ageretur

ea die memoria ad modum suffragii; et citat nonnulla acta, ex. gr. ex Ingulfo: *Nomen eius et uxoris eius, fratrum nostrorum, Martyrologio inscribi censuimus.*

In Sacramentario edito a b. Card. Thomasio (Op. omn. VI, 111, et 112) sub N. xcj habentur *Orationes et Preces in Dedicatione Basilicae quum Conditor* (subintellige, *morte praeventus*) *non dedicatam reliquit.* Et sub sequenti N. xcij: *In eiusdem Conditoris agendis*; scilicet orationes in Missa dicendae pro defuncto fundatore ecclesiae; siquidem, sancta Mater Ecclesia gratam semper se praebuit erga benefactores tam vivos quam defunctos, pro quibus in liturgia saepe saepius et hodie oramus.

Nil ergo mirandum si in libro *Martyrologii* antiquitus nomina quoque benefactorum inscribebantur, ut, sicut pro sanctis memoria in eo agitur ad venerationem, ita pro istis ad suffragium. Non itaque abs re d. Baudot supposuit quod verba illa *Tituli Conditoris*, exprimerent *Corniliam* et *Eusebium*, fuisse fundatores *Tituli* seu Ecclesiae.

Siquidem in Martyrologio Hieronymiano a clarissimis viris De Rossi et Duchesne edito (*Acta Sanctorum*, nov. II col. 43), die 14 aprilis, sic legitur: E codice Bernensi, *XVIII Kl. mai. Corniliae* (al. *Cornili*) *Conditoris Tituli* — E cod. Wissemburgensi et Epternacensi: *Corneliae Conditoris Tituli.*

(Ibid. col. 106) Die 14 augusti: E cod. Bern. *Eusebii Tituli Conditoris;* — e cod. Wissemb. *Natale Scorum Eusebii Tituli Conditoris.*

In primo casu non bene intelligitur an agatur de Cornelia femina, an de Cornelio viro; in secundo autem ex cod. Wissemb. videtur agi memoria natalitia trium sanctorum, nempe: *Eusebii, Tituli* et *Conditoris;* et ita in indice alphabetico sanctorum, quod in fine Martyrologii habetur, inveniuntur, non tantum nomina *Corniliae* et *Eusebii*, sed etiam *Conditor 18 kl. mai; 18 kl. sept.*, et *Titulus 18 kl, mai. 18 kl. sept.* Ex quo indice patet verba *Conditor* et *Titulus* non exprimere qualitatem Ss. Corniliae et Eusebii, sed agi de tri-

bus distinctis sanctis in utroque casu; nempe de *Cornilia, Conditore* et *Titulo* die 14 aprilis, et de *Eusebio, Titulo et Conditore,* die 14 augusti.

Quibus expositis, videtur quod editor indicis sanctorum, qui inscribuntur in Martyrologio hieronymiano, accepit verba illa, quasi ageretur de duobus sociis sanctae Corniliae, *Conditore* et *Titulo,* e de aliis duobus sociis s. Eusebii, *Titulo* et *Conditore,* ita ut habeantur duo sancti quibus nomen *Titulus,* et duo, quibus nomen *Conditor;* procul dubio in hanc devenit sententiam editor ille, ductus a codice Wissemburgensi, in quo, uti vidimus, legitur die 14 augusti: *Natale Ss. Eusebii, Tituli, Conditoris.*

Licet nimis audacia nos esse praeditos dicatur forsan, aliter sentiendo quam editor praedicti indicis, nihilominus arbitramur mendum esse in codice Wissemburgensi; et revera diebus illis, 14 aprilis et 14 augusti, agi de benefactoribus ecclesiae.

Fuit qui vocem *Conditor ecclesiae* accepit quasi significaret *Titularem ecclesiae,* motus ex quodam sermone S. Augustini habito *in die Ascensionis in basilica Leontina* (P. L. 38 1208), in quo sanctus Doctor ait: « Hodierum diem Ascensionis ipsius celebramus. Occurrit autem huic ecclesiae alia vernacula solemnitas, **Conditoris Basilicae huius, sancti Leontii** hodie depositio est. Sed dignetur obscurari stella a Sole. Ergo de Domino potius, quod coepimus, loquamur. Gaudeat bonus servus, quando laudatur Dominus ».

Et supposuit quod s. Augustinus, qui sermonem habuit in basilica dicata s. Leontio, voci *Conditoris* tribueret significationem Titularis, hac motus ratione:

In toto Martyrologio hieronymiano, bis tantum inveniuntur huiusmodi locutiones: *Conditoris Tituli;* imo nulla fit mentio de quolibet alio benefactore; si revera ageretur de nominibus virorum illustrium, inverosimile esset quod nonnisi diebus 14 aprilis et 14 augusti de ipsis memoria ageretur. Si accipimus libros antiquos *Martyrologia-obitualia,* fere quotidie mentiones huiusmodi inveniuntur, virorum et

mulierum illustrium, sive fundatorum, sive benefactorum, sive illorum qui in ecclesia sepulturam elegerunt.

Insuper, quamquam pro die 14 aprilis nullam sanctam in Martyrologiis inveniamus nomine *Cornilia,* seu *Cornelia,* ut argumentari possimus, quod *Cornilia* de qua in Martyrologio hieronymiano, sit sancta, non vero persona illustris quae *condidit titulum,* pro die tamen 14 augusti, in omnibus habemus memoriam s. Eusebii presbyteri et confessoris. Non est quidem impossibile quod eadem die memoria agatur de sancto in coelis regnante cum Christo, et de viro illustri benefactore, idem nomen habentibus; attamen omnis ratio suadet quod Eusebius ille, qui in Martyrologio hieronymiano die 14 augusti dicitur fuisse *Tituli conditor,* non alius sit nisi sanctus Eusebius romanus presbyter, *Titularis* suae ecclesiae, seu *Tituli.*

De eo agit Martyrologium Bedae (Cf. Quentin, *Les Martyrol.;* histor., Paris 1908, pag. 54): « xviij kl. sept. *Natale s. Eusebii presbyteri* ». Martyrologium Flori (ibid., p. 346): « xviij kl. sept. *Natale Eusebii presbyteri et confessoris* » (1). Vetus et parvum Martyrologium romanum (ibid.): xviij kl. sept. Vigilia, Eusebius. *Romae Eusebii presbyteri et confessoris.*

De huiusmodi s. Eusebio scribens Baronius (Nota Martyrologii ad 14 augusti) habet: « Est Romae vetus Titulus s. Eusebii, cuius mentio habetur in Concilio I romano habito sub Symmacho Papa ».

Nihilominus nullo in dictionario, etiam inferioris latinitatis invenimus vocem *Conditor,* adhibitam in sensu *Titularis Ecclesiae,* et in versionibus operum s. Augustini, vox illa accipitur in sua significatione naturali, nempe Conditoris, seu aedificatoris Ecclesiae, seu Tituli (2).

(1) His verbis dom Quentin addit: « Addition inspirée peut être par le Martyrologe hiéronymien, et reproduissant avec un erreur la mention: *Eusebii tituli Conditoris* ».

(2) Sermo citatus in festo Ascensionis ita invenitur in gallico sermone versus: In s. Augustin. *Oeuvres complètes* (Bar le Duc

Et sane, basilica in qua s. Augustinus citatum sermonem habuit, vocata basilica Leontina, condita fuerat a s. Leontio, Episcopo Hipponensi, qui ut habetur in Gams (Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae, pag. 466) fuit tertius praedecessor sancto Augustino, ac postea in eius honorem dicata est, quando inter sanctos relatus fuit. Ergo toto iure eum conditorem illius basilicae vocare potuit idem s. Augustinus.

Quod si revera, ut supponitur, in Martyrologio hieronymiano vox *Conditor* diebus 14 aprilis et 14 augusti indicat, sanctos quibus apponitur, fuisse aedificatores ecclesiae, nescitur quomodo in indice eiusdem Martyrologii indicentur duo sancti nomine *Conditoris*, et duo nomine *Tituli*. Et sane, minime in aliquo Martyrologio inveniuntur huiusmodi nomina inter sanctos; item inverosimile est omnino quod duo sancti *Conditoris* nomine vocati, et duo sub nomine *Tituli*, simul bis inveniantur coniuncti in iisdem diebus, nempe primo die 14 aprilis, cum Cornilia, ac dein die 14 augusti simul cum Eusebio.

Dicendum est ergo, quod si probare quis posset, sub nomine *Conditoris* Tituli, venire quoque *Titularis Ecclesiae*, peroptime diceretur die 14 aprilis sancta Cornilia esse Titularis Ecclesiae sibi dicatae, et die 14 augusti pariter s. Eusebius, cuius ea die agitur natale, ut vidimus, in omnibus Martyrologiis, esse Titularis ecclesiae Romae sibi dicatae. Quoniam vero naturaliter et iuxta communem significationem accipienda est vox *Conditoris*, sequitur dictis diebus agi in Martyrologio hieronymiano de duobus illustribus viris, non sanctis, quorum memoria, tamquam benefactorum, ob conditam ecclesiam, fiebat illis diebus, in quibus defuncti sunt.

Guérin editeur, 1868, legitur: *...l'anniversaire de l'inhumation de saint Léonce qui en est le fondateur...*; et in *Oeuvres complètes de s. Augustin* (Paris, Vives, 1872, tom. 8, p. 344): *C'est aujourd'hui l'anniversaire de la mort de saint Léontius fondateur de cette basilique.*

Quod porro intelligi nequit, est agi iis diebus de duobus sanctis nomine *Conditoris,* et nomine *Tituli.* Si ergo compilator indicis, sub littera *C* et *T,* posuit duos sanctos *Conditores,* et duos sanctos *Titulos,* hoc tribuendum est lectioni quae habetur iis diebus in codice Wessimburgense, in quo revera apparent ut vidimus: *Ss. Cornilie, Tituli et Conditoris,* ac postea: *Ss. Eusebii, Conditoris et Tituli.*

DR. P. PIACENZA.

De usu genuflexoriorum, tapetium et pulvinarium in functionibus sacris, non tantum pro praelatis et dignitatibus, sed et pro ecclesiasticis in genere et pro saecularibus.

Fatemur, huiuscemodi rebus, praesertim hodie, nimis abuti, et optandum foret, ut ad legem satis sancitam et probatam tandem deveniretur. Et primo:

I. De GENUFLEXORIO. — Iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, c. 12, n. 8), dicendum est, genuflexorium pro Episcopo « panno viridi seu violaceo, pro qualitate temporum coopertum » esse debere: « sed si Episcopus erit Cardinalis, serico, vel panno rubei, seu violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporum diversitate: appositis pulvinaribus superius et inferius, super quae Episcopus genuflexus orabit ». Genuflexorium tale qualificatum, ait clar. De Herdt, seu instructum pulvinaribus et stratis seu tapetibus, ut in Caeremoniali describitur, esse ius honorificum, quo Episcopus Ordinarius in ecclesia propria et in propriae dioecesis ecclesiis gaudet; illudque seu faldistorium ei pontificaliter celebranti deberi, ut suo loco et tempore genuflectat, et non solum pulvinum, declaravit S. R. C. die 6 augusti 1763, n. 2471 ad 6. Tale autem genuflexorium qualificatum Episcopo extra dioecesim non convenit, iuxta S. R. C. decreta sequentia:

1° Ad *Iadren.*: « Non licere Episcopo Pharen. sibi pannum et pulvinar coloris violacei sternere in ecclesia aliena » (13 oct. 1618, n. 367).

2° Ad *Veliterna*: « Non debetur Suffraganeo Episcopo genuflexorium, cum pulvinaribus et strato, ad orandum ante Ss. Sacramentum, dum occasione functionum ingreditur ecclesiam » (6 septemb. 1698, n. 2011 ad 2). Sed eisdem Episcopis debetur pulvinar ad genua flectenda paratum, quovis loco adesse contigerit.

Similiter dicendum cum Archiepiscopus una cum Suffraganeis suis ad ecclesiam accedit. Archiepiscopus, in casu, super faldistorio vel genuflexorio genuflectit, et Suffraganei hinc inde super pulvinaribus, ad mentem decreti S. R. C. (die 8 iun. 1658, n. 1069) ad *Senen.*, quod sic se habet: « Archiepiscopum oportere genuflectere et incedere digniori quidem loco, sed in linea cum Suffraganeis, Archiepiscopum scilicet super faldistorio, et Suffraganeos super pulvinaribus hinc inde. At si loco faldistorii Archiepiscopus adhibeat genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, si idem capax fuerit, super eodem hinc inde pariter genuflectere. Et ita servari mandavit ».

Genuflexoria cum stratis vel tapetibus et pulvinis in ecclesiis pro personis cuiuslibet conditionis non permittuntur, praeterquam regali vel cardinalitia dignitae fulgentibus, iuxta decretum S. R. C. diei 17 sept. 1822, n. 2621 ad 10: Ad quaesitum « An permittenda sint in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in ecclesiis pro personis cuiuslibet conditionis; vel potius reprobanda, praeter quam regali vel cardinalitia dignitate fulgentibus? » *Resp.* « Negative, ad primam partem; affirmative, ad secundam ». Inter diversas hominum classes debitus est ordo servandus et quod uni conceditur vel permittitur, non omnibus aeque concessum et permissum censendum est; ideo ratione natalium, conditionis, dignitatis, gradus, munerum, extrinsecis etiam honorificis decorationibus quidam distingui debent, nedum in civilis societatis officiis, verum etiam in religiosis actionibus. Tale est honorificum illud ornamentum genuflexorii. Nuda siquidem sint oportet genuflexoria siqua in ecclesiis ante aras collocantur, praecipue in magnis

solemnitatibus vel dum patet venerationi expositum augustissimum Sacramentum; neque stragulis et pulvinaribus instrui debent, nisi pro S. R. C. Cardinalibus, ac regalibus personis, ut declaratum fuit, indictis poenis contra inobedientes; in S. Congregatione Caeremoniali die 30 maii 1701, et etiam expressius die 11 augusti 1705: et huiusmodi decretum Clemens XI probavit, confirmavitque, necnon promulgari atque exequutioni tradi et in omnibus ecclesiarum Urbis sacrariis affigi mandavit, die 23 eiusdem mensis et anni ». Ex dictis coherentia decretorum sequentium liquido patet:

Genuflexorium non est parandum pro Baronibus in medio ecclesiae cum strato et pulvinari, sive ecclesia sit saecularis sive regularis, in una *Mediolanen.*, die 6 maii 1679, n. 1624; *Abellinen.*, die 23 septembris 1684, n. 1738; *Asculana in Apulia*, die 13 martii 1688, n. 1791; *Catanen.*, die 2 aprilis 1718, n. 2248 ad 1 et 2.

Genuflexorium (extra presbyterium) cum tapete et pulvinaribus in casu speciali Magistratui civitatis Amerinae (die 12 septembris 1699, n. 2036), necnon Baroni seu Domino Calimerae dioecesis Meliten. (die 26 aprilis 1704, n. 2133 ad 2), permittitur. Similiter cum genuflexorio sedes, non gradata nec fixa, *extra presbyterium* permittitur Domino loci; ita S. R. C. die 15 ianuarii 1661, n. 1187; 11 ianuarii 1676, n. 1555, et 3 aprilis 1688, n. 1794.

Quoad dictas facultates a S. R. C. alicui Principi vel Domino concessas observanda sunt sequentia, iuxta decretum in *Tarentina*, diei 17 maii 1732, n. 2303.

1. Stratum ex panno laneo conficiatur.

2. Fines genuflexorii ipsum stratum non excedat.

3. Pulvinaria parva esse debent et simili panno laneo confecta.

4. Genuflexorium extra presbyterium locetur.

5. Non in medio ecclesiae, sed in uno ex lateribus ei (Principi seu Domino) melius viso; ita tamen ut illi numquam liceat uti genuflexorio praesente Episcopo.

6. Neque maneat semper ornatum in ecclesia, sed eo feratur toties quoties dictum Principem illam adire contigerit.

Summatim perstringendo quae huc usque exposuimus, pretium est operis commentarium cl. Iosephi Catalani in Caer. Episc. lib. I, § V, n. 17 et 18, § VIII, n. 2, citare: « Genuflexoria strato ac pulvinaribus ornata, appellantur passim a scriptoribus *genuflexoria qualificata*, adeoque proprio Episcopo in ecclesia sua conveniunt. Nam alias Sacra Rituum Congregatio in Veliterna qualificatum genuflexorium denegavit etiam Episcopo titulari suffraganeo Cardinalis Decani in eadem civitate Veliterna, teste Monacello in Formulario, tom. II, tit. III, formula II, n. XIII, ubi ait, quod disputato inter alia sequenti secundo dubio – An eidem Suffraganeo debeatur genuflexorium cum strato, et pulvinaribus ad orandum – etc., respondit ita: – Ad secundam, in voto Magistri caeremoniarum –. Votum autem, referente laudato Monacello, n. XIV, erat negativum, nempe genuflexorium cum strato et pulvinari non deberi Suffraganeo, sed pulvinar super genuflexorio nudo ». Prosequitur Catalanus: « Non posse Episcopum sibi pulvinar et pannum sternere, et sic orare in ecclesiis alienae dioecesis, pluribus docet Iacobus Pignatellus, tomo III, consultatione LIII, quia scilicet ea honorificentia reservata est proprio Episcopo ratione suae iurisdictionis, eamque ob causam declaratum saepe fuisse ait a Sacra Rituum Congregatione, praesertim Policastren., die XXI augusti anni MDCIV: – Episcopo extra suam dioecesim et in loco, in quo non habet iurisdictionem, non convenire ea quae proprio Episcopo in sua ecclesia et dioecesi debentur –. Sed celebre est decretum illud quod in re, de qua agimus, eadem Sacra Rituum Congregatio edidit in Iadren., die XIII octobris anni MDCVIII, ubi ita inquit: – Episcopus in aliena ecclesia non potest sibi pulvinar et pannum coloris violacei sternere –. Competit ergo genuflexorium qualificatum in ecclesiis propriae suae dioecesis, non vero alibi. Ex quibus, ait cl. Auctor, addiscimus, multo

minus genuflexorium qualificatum, cum pulvinaribus scilicet et tapeto, seu strato, concedi debere homini laico, licet loci Baroni, dum illud denegatum fuit, ut diximus, Suffraganeo Veliterno, in illa ecclesia, in qua gerebat vices proprii Episcopi, in episcopali et ipse constitutus dignitate, licet cum solo titulo, qui tamen operatur, ut omni iure honorandi ac venerandi sint huiusmodi Episcopi titulares, ex adductis per Ricciul. lib. II *Variarum lucubrationum*, tit. *De Episcopo titulari*, cap. VI per totum: Frances. *De Ecclesia cathedrali*, cap. XXXII, n. XIX et seqq.: Pignatellum, Consultatione CXXXVII per totum, tomo II et alias ».

« Rursus, prosequitur Catalanus, testis est Crispinus parte II libri sui pastoralis visitationis italice scripti, § VII, n. XXI, gratiam similis genuflexorii qualificati denegatam etiam fuisse a Sacra Rituum Congregatione die XXIV ianuarii anni MDCLXV agenti et generali Gubernatori Principis Neoburgi; notumque est in hac parte, celebre factum Cardinalis Gregorii Barbarici, qui cum esset Archiepiscopus Corcyrensis, qualificatum genuflexorium noluit permittere qualificatissimae saeculari personae, eiusque factum approbatum fuit a venerabili Dei servo Innocentio XI, ut testatur in Disceptationibus suis ecclesiasticis Dominicus Ursaya, tomo IV, parte II, disceptatione IV, n. LVII, ubi etiam n. LXXXIX et seq. alia eiusdem Sacrae Rituum Congregationis decreta affert, quibus Baronum uxoribus genuflexorium eiusmodi non semel denegatum fuit; at puto servandam esse ea re veterem locorum consuetudinem, praesertim si agatur de Baronibus illustrioribus; nam ad tollenda dissidia et odia, quae foveri possent in hac materia inter Episcopos et Dominos saeculares, Episcopi omni conatu et studio omnibusque decentibus officiis incumbere debent conservationi amicitiae cum Baronibus saecularibus praesertim potentioribus, eisque faciles se praebere in concessione eorum, quae eorumdem Principum gratiam et benevolentiam conciliant, citra tamen praeiudicium episcopalis dignitatis, ut prudenter monet Al-

togradus, lib. II, n. LXII, et post eum Pignatellus, tomo I, consultatione VII, n. XXXI ».

Decretum 24 ianuarii MDCLXV, supra alligatum in Aquinaten., ad quod alludit Ursaya, ait noster Commentator, ad rem non facit, ut patebit ipsius tenorem attendenti. Ex alia parte pluries concessum fuit Baroni Domino loci genuflexorium qualificatum. Testes habemus decreta in *Larinen.* 12 septembris 1699 et in *Ostunen.* 24 nov. 1703, in quibus conceditur Baroni genuflexorium cum tapete et pulvinaribus *extra tamen presbyterium.* At Baronissis semper id denegatum fuisse quod Baronibus indultum erat liquet ex decreto 12 martii 1688, in quo declaratum fuit, « Ducissae civitatis *Ascoli* non licere uti genuflexorio et strato in ecclesiis regularium, et Episcopus prohibeat etiam iuris rimediis ».

Sed quid dicendum de usu genuflexorii, non pro Episcopis vel Baronibus, sed pro simplicibus saecularibus, non extra, sed intra presbyterium, non absque tapete et pulvinaribus, sed et cum ipsis, vel occasione primae Communionis, vel matrimonii vel huiuscemodi aliqua causa?

Respondeo dicendum, absolute non licere propter duo: Et 1°. Presbyterium proprie dictum, ad excipiendos tantum ministros sacros reservatur, et laicis accessus in presbyterium ad ss. Eucharistiam recipiendam vel ad sacramentum matrimonii celebrandum, vel ob aliamcumque rationem, citra omnem controversiam, uti ex se patet, non permittitur. Et sane, presbyterium, ut fusius diximus in libello: *Consuetudines in functionibus liturgicis,* nemo nescit, locus sacer est sacrisque functionibus destinatus, ut soli clerici eo accedere et ibi stare possint. Et ubi consuetudo contraria invenitur, sensim sine sensu, uti abusus legibus et Ecclesiae spiritui prorsus adversans, e medio auferatur. 2°. Usus genuflexorii laicis non competit, exceptis excipiendis, supra notatis, sed tantum scamni; et ubi indulgetur pro ipsis usus genuflexorii extra presbyterium, curandum est ut ipsum tapete et pulvinaribus omnino carens evadat.

II. De PULVINARI ET TAPETE. — Dignitas sive cano-

nicus, officium faciens, debet habere pulvinar laneum vel coriaceum (S. R. C. 17 sept. 1822, n. 2621 ad 4 et 5), cum tapete supra scamnum, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum, lib. 2, c. III, n. 4, 6, non tamen praesente Episcopo. Et revera: ad dubium « An canonico vel dignitati vesperas infra annum cantanti debeatur pulvinar et tapete ante ipsum? » S. R. C. die 10 septembris 1701, n. 2079 ad 7, respondit: « *Absente Episcopo*, iuxta Caerem., lib. 2, c. 3, § 4, debetur pulvinar et tapete pro hebdomadario canonico ». Extra hunc casum stratum seu tapete in stallo aut sede particulari, neque canonicis neque dignitatibus permittitur. Sacra enim Congregatio, die 12 maii 1612, n. 296, decrevit « Non convenire, sed debere tam Priorem quam Archidiaconum in choro in suo loco sedere sine strato, prout sedent alii canonici: indulgendum tamen esse censuit, ratione dignitatis, ut pulvinar tantum ex corio, tam pro Priore quam pro Archidiacono apponatur ». Similiter idem sacrum Tribunal, die 22 novembris 1698, n. 2016 ad 2, ad dubium « An Praeposito et Decano cathedralis in choro permitti possit usus solius pulvinaris ex corio absque tapete? » Respondit: « Posse permitti pulvinar laneum coloris violacei ».

Pulvinar, praesente Episcopo, ut supra notavimus, numquam aliis permittitur sive ad altare, sive in stallis aut sedibus, neque iis quibus alias pontificalium usus indultus est. Decreto enim S. R. C. ad dubium an liceat canonico usus pulvinaris sub genibus, tam intra cancellum quam in gradibus altaris, Episcopo praesente, respondit: Negative (n. 2027 ad 1): similiter decreto 27 augusti 1822, n. 2624 ad 20, praescripsit: Non licet dignitatibus, canonicis, rectoribus etc. uti pulvino sub genibus, Episcopo praesertim assistente.

Absente Episcopo, etiam nemini de iure, neque ipsis dignitatibus competit; et probatur cum decretis S. R. C. 20 augusti 1729, n. 2289 ad 1; 27 augusti 1822, n. 2624 ad 20; 22 martii 1862, n. 3110 ad XXIV. Quandoque tamen

ex speciali ratione, verbi gratia infirmitatis, sive propter consuetudinem, aut alias particulares circumstantias, indulgetur, modo sit coriaceum aut saltem laneum, et in choro, iuxta decreta supra adducta 24 martii 1612, n. 295, et 22 novembris 1698, n. 2016 ad 2, non autem in altari.

Sed quid dicendum de usu pulvinarium in missis solemnibus tam pro celebrante in dignitate constituto vel non constituto quam pro eiusdem ministris sacris; tam in missis solemnibus occasione maiorum solemnitatum, quam in missis iuxta ferialem ritum; verbi gratia dum genuflectendum est ad versiculum Symboli *Et incarnatus est,* tempore missae Nativitatis Domini vel Annuntiationis B. M. V.; ad cantum evangelii in missis Epiphaniae Domini *Et procedentes adoraverunt eum;* ad ℣. *Adiuva nos, Deus, salutaris noster, etc.* in die cinerum; ad ℣. *Veni, Sancte Spiritus, etc.* in missis dominicae et octavae Pentecostes; et etiam post verba Passionis D. N. I. C. in dominica Palmarum *clamans voce magna emisit Spiritum,* vel similibus verbis, in feria III, IV et VI?

Ex dictis, si candide nostram sententiam exponere fas est, de praefato usu pulvinarium in functionibus liturgicis, praesertim celebrationis missae (1), nulla ratio habenda est propter plura: ex. gr. quia *a)* decretis S. R. C. explicite adversatur: quia *b)* minime suffragatur a consuetudine observantiorum ecclesiarum, Urbis praecipue: quia *c)* probati auctores liturgici de hac praxi omnino silent, tamquam ipsis prorsus ignota vel contemptus digna: quia *d)* inconvenientia satis nociva procul dubio sensim sine sensu produceret, scilicet vanitatis et aemulationis, cum non parvo detrimento gravitatis ecclesiasticae, et humilitatis spiritus, a Magistro nostro divino tam constanter commendati, ut intimius in corde nostro defixus maneret. Indulgentiam petimus si finem ponimus cum sententia aurei libelli « De Imitatione Christi »: *Dimitte vana vanis; tu autem intende illis, quae tibi praecepit Deus* (lib. I, c. XX, v. 8).

D.

(1) In missis solemnibus, dum Dignitas vel Canonicus celebrans sedet ad scamnum, ob coherentiam, uti in vesperis solemnibus, ipsi permittitur pulvinar.

De privilegiis Missarum in vigiliis, utrum sint paria.

Utrum facienda sit distinctio inter Missas vigiliarum de tempore et Sanctorum, ita ut illae tantum, non vero istae, gaudeant privilegiis novarum Rubricarum?

Iuxta novissimas Rubricas: In feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum et in vigiliis:

a) si occurrat fieri Officium alicuius festi duplicis (non tamen I vel II classis) aut semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum vel de festo cum commemoratione ultimoque evangelio feriae aut vigiliae, vel de feria aut vigilia cum commemoratione festi;

b) prohibentur vero Missae votivae privatae aut privatae pro defunctis.

Quaeritur:

In casu, nomine vigiliae intelligendae sunt vigiliae stricte feriales, seu de tempore, ut vigilia Ascensionis Domini; vel etiam vigiliae Sanctorum? Ratio dubitandi est quia in vigiliis Sanctorum, v. gr. Apostolorum, Missa pertinet ad festum, et saepe non est própria, sed de Communi. Idcirco:

a) Si v. gr. in vigilia S. Iacobi Apostoli fiat Officium de festo duplici maiori vel minori, qua ratione permittitur Missa de vigilia, quae est de Communi, dum non permittitur Missa de occurrenti festo simplici s. Christinae?

b) si eadem die in vigilia S. Iacobi Ap. fiat Officium de festo semiduplici quare dici potest Missa de vigilia (quae est de Communi), et prohibetur Missa privata de requie atque votivae privatae?

Resp. Sufficeret unicum responsum: Rubrica primae editionis post Constitutionem *Divino afflatu,* quae pro Missis adhuc valet, tit. X, n. 2, nominat vigilias in numero plurali. At, praeter vigiliam Ascensionis Domini, nulla alia habetur in Kalendario vigilia de Tempore (vigilia Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes excludi debent natura sua, scilicet in casu comprehendi non possunt); ergo oportet ut sub no-

mine vigiliarum veniant et vigiliae B. Mariae et Sanctorum, quibus unica regula illius rubricae applicetur.

Sed respondeamus obiectis :

1° Quod Missa vigiliarum, praeter vigiliam Ascensionis, pertineat ad festum, nihil officit, quia, contra hoc assertum, etiam vigilia Ascensionis pertinet ad festum, uti videre est ex schemate ipsius Missae, et tamen etiam ab Oppositore agnoscitur uti excepta. Quod vero sit *saepe* non propria, sed de Communi, neque id parit difficultatem, quia illud *saepe* reducitur ad minorem numerum casuum, id est pro S. Matthia, pro S. Iacobo, pro S. Bartholomaeo, pro S. Thoma, nempe pro quatuor tantum, dum Missae propriae vigiliarum B. M. V. et Sanctorum sunt novem : S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Laurentii, Assumptionis B. M. V., S. Matthaei, Ss. Simonis et Iudae, Omnium Sanctorum, S. Andreae, Immaculatae Conceptionis B. M. V.

2° Sed et quomodo vocatur *Commune* schema Missae vigiliarum B. M. V. et Sanctorum, quod vix pro quatuor Sanctis datum est? Est Commune quatuor tantummodo ex Apostolis! Si iuxta placitum Rev. Proponentis minimi essent faciendae, hae Missae, et ipsae pulcherrimae, et rarissime per annum positae, penitus obliterarentur! En quid prodest illud *Commune* sic applicatum his Missis! Sunt ergo de Communi sensu lato, quia nempe ad commoditatem typographicam positae sunt simul, ne repeterentur singulis quatuor locis ; sed absolute dicendae sunt propriae, quemadmodum nemo dicit esse, vel fuisse, de Communi aut votivas Missas B. Mariae V. ad Nives et Prodigiorum eiusdem Beatae, eo quod schema illarum Missarum habetur pro Missis votivis S. Mariae per annum. Ita, latiori sensu loquebatur rubrica festi Prodigiorum, quae amandabat ad *Commune* B. M. V., quod Commune non extat, sed referebatur ad Missam votivam, remanente tamen conceptu Missae de festo.

Hinc respondemus quaesitis :

a) Ratio, ob quam permittitur Missa vigiliae S. Iacobi Apostoli, est quod ita vult rubrica novissima, ut vidimus. Non possumus autem admittere comparationem cum Missa de Simplici, quam facit Rev. Inquirens, quia nos admittimus, in vigiliis posse, et similiter in aliis feriis maioribus non privilegiatis, legi Missam de ipso Simplici, contra cl. Fourneret (V. *Ephemer. liturg.*, mense iulio, pagina 221 curr. anni), cui respondebit R. P. D. Piacenza, ut putamus, qui primus opinionem Simplicibus favorabilem expressit.

b) Missa vigiliae potest dici, ex rationibus supra adductis; prohibentur autem Missae privatae de requie et votivae (hae non solum privatae, sed et solemnes), quia si relinquitur Missa de Semiduplici, respondens Officio, debet omnino recipi Missa de vigilia iuxta privilegium.

M.

De celebratione Missae in quodam casu irregularitatis.

Sacerdos quidam, diocesis N., gravi in praesenti bello vulnere in brachio sinistro accepto, nec ex eo convalescere potens, eiusdem brachii amputationi se subiecit; ex quo irregularis factus est.

Ut in tam aerumnosa conditione saltem spirituale solatium celebrationis S. Missae recuperare valeret, ad suum Rev.mum Episcopum se convertit; qui, antequam supplicem libellum apud S. Sedem commendaret pro rehabilitatione infelicis Presbyteri, ab eo petiit, ut experimento facto apud magistrum Caeremoniarum, testimonium referret de idoneitate ad celebrandum, salvis necessariis limitibus decoris et venerationis, quae tanto Sacramento debentur.

Huic examini ut se rite praepararet, a nobis poposcit aptam quandam instructionem, quam ei libenter, pro modulo nostro, dedimus, hic autem vulgandam duximus, ad utilitatem aliorum, qui iam in similem conditionem, eheu! plus quam probabiliter trahentur.

INSTRUCTIO

ad S. Sacrificium celebrandum, pro Sacerdote brachio sinistro carente, qui dispensationem Apostolicam obtinere cupit.

Praeliminaria:

1. Celebranti assistat alius Sacerdos, praeter, si fieri potest, consuetum ministrum.

2. Praedisponatur super altari, praeter calicem super corporali, et Missale apertum, vasculum ad purificationem digitorum Assistentis cum purificatorio, in latere evangelii.

3. Si necesse erit vestimenta apud altare in quo celebratur assumere, hoc fiat ad cornu evangelii, Sacerdote stante super suppedaneo, de quo postea descendet, inchoaturus Missam (Rit. cel. Miss., II, 2).

4. Opportunum erit Hostiam aliquantum ad lineas fractionis apto instrumento comprimere, ut facilius suo tempore dividi possit.

5. Ne omittatur osculum amictus, eius depositio in capite, etc., quae fient auxilio assistentium.

6. Manica sinistri brachii ad cingulum cohibebitur, ne inconcinne dependeat.

7. Manipulus brachio dextero assumatur, cubito propius, ne quid in sacra Actione offendat (Si habeatur brachium fictitium, huic manipulus apponatur).

Generalia, tempore Missae:

1. Sacerdos assistens Celebrantis sinistrae vel dexterae adstabit, prout sequitur:

Ad confessionem, a sinistris, nisi adsit minister.
Ad introitum, etc., a dextris.
Ad evangelium, etc., a sinistris.
Ad offertorium, etc., a dextris.
Ad secretas, etc., ad sinistram.
Ad *Pater noster,* etc., ad dextram.
Ad *Libera nos,* etc., ad sinistram.
Ad *Communio,* etc., ad dextram.

Ad ultimum evangelium, ad sinistram.

Ad preces post Missam, ad dextram.

2. Manum teneat Celebrans ad pectus extensam (indice tamen et pollice non disiunctis post consecrationem), quoties alias deberet habere iunctas ante pectus vel ad labium altaris (nisi, sinistra manu arte suffecta, valeat decenter rubricae inhaerere).

3. Quoties rubrica praecipit manuum extensionem post illarum iunctionem, faciat gestum dexterae a pectore ad pectus, etiam cum elevatione, quum praescribitur. Ad orationes, praefationem, etc., manum tenebit prout indicat rubrica.

4. Foliorum Missalis evolutio relinquatur Assistenti.

5. Quandocumque Celebrans discooperit et cooperit calicem, Assistens, ad cautelam, illius pedi digitos sinistrae manus apponit. Similiter ad signa sub verbis *Per ipsum*, etc.

Particularia, tempore Missae:

1. Ad osculum sacri textus evangelii Celebrans manum apponat Missali, quod Assistens sublevabit.

2. Pro oblatione, curae erit Assistenti ut calicem discooperiat ceteraque peragat quae solent celebrante Episcopo et in Missis solemnibus per Capellanum vel respective Ministros.

3. Ad *Qui pridie*, adiuvante sinistra manu, ut semper et in sequentibus, Sacerdote assistente, accipiet hostiam, dum dicit *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, et statim, ad normam rubricae quoad calicem, eam dimittet (vel relinquet in manu Assistentis), ut signum Crucis producat super illam ad *benedixit*, suscipiens eam denuo, sacrum ritum prosequuturus.

4. Ante verba *Per ipsum*, Celebrantem adiuvat, ut S. Hostiam accipiat, ac postea digitos purificat et abstergit.

5. Ad verba *Omnis honor et gloria*, Assistens sublevat calicem, tangente, uti ex rubrica, Celebrante calicem digitis liberis dexterae.

6. Ad *Pater noster.* Celebranti dextrorsum abstabit Assistens, ut circa patenam agit Capellanus quoad Episcopum, et ut Diaconus in Missa solemni, ac rursus ad sinistram pertransit.

7. Supponit Celebrans patenam S. Hostiae, adiuvante Sacerdote assistente.

8. S. Hostiae fractio peragetur super patena, adiutore Assistente.

9. Ad verba *Panem coelestem accipiam,* Celebrans non sumit manu Hostiam, cum debeat pectus mox tundere; ceterum, ut indicat ipsa vox in futuro, *accipiam,* verba illa referuntur potius ad proximam Communionem.

10. Ad *Domine, non sum dignus,* Hostia super patena manebit.

11. Ad sumptionem S. Hostiae, adiuvabit Assistens Celebrantem, superponens unam partem alteri, et appropinquans vultui Communicantis patenam. Post haec digitos purificabit et absterget.

12. Collectis fragmentis, Celebrans ea digito colliget ad ipsius patenae oram super corporali, et postea, sublevante Assistente patenam sinistra super calicem, dexteraque eius pede tenente, in ipsum immittet.

13. Ad Communionem calicis et purificationem Assistens vultui Celebrantis patenam sinistra manu appropinquabit.

14. Ad ablutionem digitorum accipiendam collocabit Celebrans calicem in cornu epistolae super altari.

15. Non admoveatur purificatorium ori Celebrantis, cum id minus convenienter fieret, neque per rubricas indicetur.

16. Assistens absterget calicem, et de more illum aptabit.

M.

De usu Pontificalium, quorum privilegio gaudet Dignitas capitularis, in cathedrali.

Quaeritur: Sacerdos B., qui dignitate potitur in Capitulo cathedralis ecclesiae N., iure personali Pontificalium gaudens, utpote Protonotarius Apostolicus *ad instar*, potestne Pontificalia peragere in ipsa cathedrali, praesente Capitulo?

Resp. Pacificum est apud omnes, quod onera et honores inter Canonicos ita sunt data, accepta et servata, ex iure vel privilegio, ut nulla alia recognoscantur, quae diversitatem vel parvam inducant inter unum et alterum ex Canonicis; nisi forte vel ordo diversus Canonicorum, vel titulus dignitatis, vel privilegium alicuius, v. gr. Prioris, Decani, legitima Auctoritate concedente, alia exigat vel permittat; numquam tamen attendere fas est ad personalem dignitatem vel privilegium. Ita habentur casus, in quibus etiam dignitarii maiores ecclesiastici (ex. gr. Protonotarii Apostolici de numero participantium) Canonici alicuius ecclesiae, etiam non Patriarchalis, scilicet nullo privilegio fruentis similis gradus, quamvis sint dignitate conspicui, quemadmodum (quos mox nominavimus) Protonotarii de numero, qui praecedunt Abbatibus dioecesanis benedictis, habentibus usum mitrae et baculi (Caerem. Epp., lib. I, cap. XIII, n. 12), sedere debeant, capitulariter, in loco suae receptionis inter Canonicos, etiam si hic sit postremus omnium. Episcopi iure eximuntur ab hac regula, propter nativam sublimem dignitatem (Cfr. Motuproprium Pii Pp. X, de Protonotariis Apostolicis, etc., sub initio), et quamvis ultimo recepti, primo loco sedent, etiam supra dignitates (S. R. C., nn. 189, 355, 1046, 1672, 1688).

Hisce praemissis, ad dubium respondemus:

a) Si Dignitas, de qua in casu, sacram Actionem peragere debet, vel loco Episcopi impediti aut celebrare nolentis, vel aliter ex obligatione capitularis statuti, responsio negativa prorsus erit;

b) Si vero agatur de aliis circumstantiis, puta in aliqua solemnitate Capitulo extranea, quamvis Capitulo praesente, erit affirmativa, servatis servandis.

Et re quidem vera:

Probatur primum.

1° Canonicus vel Dignitas capitularis, qui celebrent uti tales, nullas alias possunt habere distinctiones, ab iis diversas, quae suis collegis spectant;

2° Odiosum est in seipso, et iniuriosum in collegas, ostentare privilegia personalia, loco et tempore indebitis;

3° Locus ita daretur comparationibus et commentationibus in populo, qui huiusmodi diversitates conspiceret;

4° Si vetitum est per Motuproprium Pii Pp. X, *de Protonotariis Apostolicis,* etc., n. 52, uti habitu praelatitio cum mantelleto in choro, nisi datum sit tamquam habitus choralis pro universis Canonicis, vel Dignitatibus, aut pro aliquo eorum, eo magis prohibitus dicendus est apparatus Pontificalium;

5° Si vetitum est a S. Rituum Congregatione quod detur coram Capitulo titulus vulgo *Monsignore,* cuidam Canonico, qui eo gaudet tamquam privata persona, eo magis prohibitum dicendum est quod peragantur a Canonico functiones modo ac ratione dissimili;

6° Consuetudo Basilicarum Urbis, et omnium ecclesiarum, in quibus debitus servatur ordo et ratio in liturgicis actionibus, est consona nostro asserto, et neque toleratur usus palmatoriae, seu vulgo *bugia,* si in functionibus capitularibus celebret Canonicus illo instrumento gaudens personaliter.

Posset quispiam opponere, quod si non licet Canonico coram Capitulo Pontificalia peragere tamquam Canonico, licebit ei tamquam extraneo, omissis, si Capitulum instaret, fructibus beneficii. Huic obiectioni respondemus:

a) Capitulum tenetur onera sua explere per eos qui sunt de gremio, strictiori vel latiori sensu, prout constitu-

tiones capitulares comportant, et nequit absolute admittere extraneos. Omittimus hoc probare, nimis enim notae sunt dispositiones iuris hac de re, concordes sunt canonistae et liturgistae, ita ut, sine ulla controversia, Capitulum nullimode satisfaciat suis obligationibus, nisi per suos agat. Hoc autem etiam indirecte probatur ex eo quod Apostolica Sedes, in casibus rarissimis particularibus, ob peculiares rationes dispensavit, et quidem, non quasi tradens extraneo facultatem explendi functionem capitularem, sed exonerans ipsum Capitulum ab ea functione per semetipsum explenda. Habetur exemplum in ecclesia S. Ioannis Baptistae Florentinorum de Urbe, in qua, quia Archiconfraternitas patrona ecclesiae consueverat festum titulare peragere magna cum pompa, in Pontificalibus, et translato ad eam Capitulo SS. Celsi et Iuliani, vel cedere debebat super hac traditione, vel separatim Pontificalia celebrare, magno cum ordinis detrimento et cum admiratione populi, obtinuit ut Capitulum celebraret Missam conventualem extra chorum, et exoneraretur ab illius adsistentia, facta obligatione assistendi Pontificalibus per Episcopum extraneum celebratis.

b) Neque sic solverentur praenotatae difficultates et praesertim non corriperentur inconvenientia, quae notavimus sub nn. 2 et 3.

Posset praeterea opponi, quod omnia evaderent composita, si Capitulum proprium praestaret assensum. At respondemus:

1° Capitulum nullum ius possidet, quo eiusmodi rem statuat, quamvis haec respiciat unum vel alium ex capitularibus, vel etiam ipsum Capitulum; quia non agitur in casu de controversia internae disciplinae, sed nimirum de admittendo peculiari ritu in functionibus capitularibus, vel de admittendo ecclesiastico viro Capitulo extraneo ad capitulares functiones peragendas; quae anomaliae minime admitti possunt, uti probavimus.

2° Non agitur hic de materia quae subsit arbitrio Capituli, neque applicari hic potest quod conceditur a Motu-

proprio superius citato, n. 25, de providendo functionibus pontificalibus capitulariter celebrandis, per constitutiones, de consensu Ordinarii, quia Motuproprio loquitur de privilegiis ab Apostolica Sede Capitulo attributis, et in casu nostro agitur de privilegiis extraneo concessis. Praeterea, puerile et temerarium esset in constitutionibus referre hypotheticos casus de habendo aliquo capitulari privilegiis et quidem insignioribus, decorato, nulla facta quoad hoc ab Apostolica Sede Capitulo concessione.

Neque ullo modo proficeret Capitulum, si assensum praeberet sub conditione amissionis distributionum choralium, quia de hac amissione providet ius canonicum, et non est res arbitrio Capituli relinquenda, et redirent difficultates, ut prius.

Numquam potest supponi quod liceat Capitulo cuilibet, contra sapientissima statuta procedere, de non adimplendo scilicet proprio munere, ac insuper consensum praebere, ut Canonicus talem ponat actionem, qua non debeat, saltem hic et nunc, haberi Canonicus, sed persona extranea, quamvis apprime sciat, se minime taxativae obligationi satisfacere.

Quod inconveniens gravissimum evadit, quando consideratur casus, quo dignior de Capitulo se substituere debeat Episcopo, cui pertineret celebratio, vel utcumque Canonicus pro sua obligatione celebrare debeat Missam conventualem. Eo nimirum die, quo ipse peragere debet functionem eminenter capitularem, *exiret de gremio Capituli,* et se punctationi quoque subiiceret, ut iactitet privilegium soli sibi forsan concessum!

Insuper Episcopus Ordinarius posset iuste ad hoc se opponere; et dato etiam quod assentiret, ageret contra bonas regulas iuris, quas supra adumbratas retulimus, et ageret contra vulgatum principium, quod non sunt alligandi, saltem moraliter, per introductam consuetudinem, successores ad res quae sunt onerosae vel odiosae. Nemo ceterum non videt, quomodo concessio usus Pontificalium in capitularibus, est laesiva iurium episcopalium.

Probatur secundum.

Admisso quod nequeat capitularis quilibet celebrare in Pontificalibus, ex personali privilegio coram Capitulo ad quem pertinet, in functionibus capitularibus, facilis negotii est admittere quod id possit quando non agitur de functione iuridice capitulari.

Tunc enimvero Canonicus invitatur uti Protonotarius, et Capitulum libere assistit functioni. Hoc in casu, nulla laeduntur iura, neque particularia, neque generalia; nulla habetur legum sanctio, quae prohibeat eiusmodi separationem Canonici a Capitulo.

Concludendum igitur est, nihil obstare quominus Canonici, si velint, capitulariter assistant Missae in Pontificalibus celebratae a Protonotario, de consensu Ordinarii, et servatis ceteris de iure servandis. Id tamen dummodo Capitulum non omittat assistere alii Missae, quae erit conventualis, per alium de gremio celebratae, prout de iure.

Quemadmodum enim potest Capitulum collegialiter assistere alicui Missae solemni votivae aut de requie, quamvis nulla ad id teneatur obligatione, dummodo non relinquat propter hoc suis obtemperare obligationibus, assistendi Missae conventuali currenti, ita poterit se gerere in casu, quo, ratione solemnitatis velit praeterea assistere Pontificali alicuius de suis, qui huiusmodi privilegio gaudeat personaliter.

Nihil ceterum obstat pluralitas Missarum cum cantu de eodem Sancto, in eadem ecclesia, eodem die, iuxta decretum S. Rituum Congregationis, n. 3921, quia Missa pontificalis non esset infra chorale officium celebrata.

M.

BREVIORA RESPONSA

Pro Derthusa in Hispania. — I. Minister in Missis lectis ad accendendas duas candelas potest incipere ab ea quae est in cornu Evangelii prout docent omnes auctores, inter quos P. Aloisius a Carpo (edit. 4ª, August. Taurinorum ann. 1878), qui citat in confirmationem decretum S. R. C. 12 augusti 1858 in *Lucionen.* ad 77; vel etiam tenenda est in casu norma tradita in decreto S. R. C. Eremit. Camald. 5 februarii 1907 ad IX? Videtur enim hoc decretum in responsione agere tantum de casu quo sex candelae sint accendendae.

Resp. Si multi (1), non autem *omnes* liturgici auctores aliquando docebant candelas accendendas esse incipiendo ab ea vel ab iis quae in cornu evangelii exstant, iuxta decretum in *Lucionen.*, nunc tamen, post decretum n. 4198 ad IX *Eremit. Camald.*, recentes auctores, nemine excepto, sine formidine docent, candelas accendendas esse incipiendo ab ea vel ab iis quae sunt in cornu epistolae. Ratio recentis praescriptionis eruitur ex ipsa natura quaesiti ad S. R. C. expositi, quod ita se habet: « Cum Caeremoniale Episcoporum (lib. II, c. XXII, n. 7) praescribat, ut in extinguendis ad Matutinum Tenebrarum cereis alternatim, incipiatur a cornu evangelii; quaenam norma tenenda est

(1) Sententiam iuxta decretum n. 4198 ad IX tuebantur non pauci auctores ex. gr. cl. Martinucci in 1ª editione, cl. Fumagalli, et alii, quorum auctoritati De Amicis subscripsit in operibus « *Il Parroco del Villaggio* » et « *Il Cerimoniale completo* ». Et sane, ut manifestius appareat quod sententiam ipsam iuxta decretum *Eremit. Camald.* tuebantur *plures auctores* et non *pauci*, advertatur quaesitum *Lucionen.* S. R. C.ni propositum: « An acolythus aut alius accendens cereos ante Missam, vel ante aliam sacram functionem incipere debeat a cereis qui sunt a parte epistolae, *ut volunt plures auctores*, vel prout aliis placet ab iis qui sunt a parte evangelii? ». — Ceterum, decretum istud in Collect. auth. non fuit insertum.

in accendendis et extinguendis altaris cereis pro alia occasione? » Et sacrum idem Tribunal, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit: « In voto Commissionis, ad IX: Altaris cerei ita sunt accendendi, ut incipiatur ab illo, qui Cruci proximus reperitur, in cornu epistolae, postea, servato ordine, reliqui duo in eodem cornu existentes; ac deinde accenduntur reliqui cerei in cornu evangelii extantes, incipiendo item ab eo, qui cruci propior est, usque ad ultimum in eodem cornu appositum. In extinguendis autem iisdem cereis, ordo invertitur, atque incipitur in cornu evangelii, a cereo qui a Cruce remotior est, ad illum qui propior; dein vero a parte epistolae, eadem regula eodemque servato ordine ». Videtur quod Sacra Rituum Congregatio cum allato decreto censuit praescriptum Caeremonialis Episcoporum confirmare. Ex ratione enim uniformitatis cum rubrica Caeremonialis (loco citato) quoad candelas candelabri triangularis: necnon cum rubrica ipsius Caeremonialis n. 11, ubi habetur: « Ad *Benedictus...* cum dicitur versiculus *Ut sine timore* etc. caeremoniarius, seu aliquis capellanus cum instrumento apto extinguit singulatim incipiendo a cornu evangelii », S. R. C. sancivit ut supra: et sententiam auctorum, qui innitebantur decreto in *Lucionen.* radicitus profligavit.

Cum allato decreto S. R. C., die 5 febr. 1907, omnis controversia, uti diximus in fasc. I *Ephem. Liturg.* currentis anni 1916, dirempta est; et declaratio in *Lucionen.* a P. Aloisio a Carpo proposita, non amplius est servanda, sive agatur de casu quo sex candelae sint accendendae, ut in missis solemnibus, sive duae, ut in missis privatis, sive plures ut in aliis adiunctis.

II. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, feriis et vigiliis, in quibus dicitur duplex Missa conventualis, ut in Rubrica Gen. Tit. VII, n. 2, omnes sacerdotes celebrantes privatim in praedictis ecclesiis tenenturne commemorare vigiliam seu feriam in Missis de Sancto, et vicissim, commemorare Sanctum in Missis de vigilia aut feria?

Resp. Quando duas Missas conventuales celebrari oportet, in Missa de festo (seu de officio currente) nihil fit de feria vel vigilia, iuxta allatam rubricam tit. VII, n. 2; ideoque, si hoc festum sit semiduplex et non occurrat commemoratio simplicis, vel diei infra octavam, adduntur orationes communes. In Missa conventuali de feria vel de vigilia nulla fit commemoratio de officio diei, nec de die infra octavam vel de festo simplici occurrente; sed in feriis quadragesimae et quatuor temporum necnon de vigiliis dicuntur orationes ibi notatae, praeterquam si in talem feriam incidat vigilia, quo casu (cum tunc huius Missa sit omittenda) 2ª oratio erit de vigilia, et 3ª quae secus 2ª loco poneretur (S. R. C. decreto n. 3056). Sed in Missis privatis in praedictis ecclesiis omnes sacerdotes tenentur commemorare vigiliam seu feriam in Missis de Sancto occurrente; et vicissim, commemorare Sanctum in Missis de vigilia aut de feria.

D.

Pro dioecesi B. — In Ecclesia S. L. habetur magnificum tabernaculum, et super illud tribuna marmorea (thronus inamovibilis), in interiori parte speculis contecta. Ut plurimum super hanc tribunam exponitur SS.mum Sacramentum solemniter; quibusdam tamen diebus ibidem exponuntur et Reliquiae Sanctorum. Sed, ut tam illud quam istae queant melius conspici a populo, in interiori parte accenditur lampas electrica. Estne id prohibitum? Adsuntne hac de re aliqua S. Rituum Congregationis decreta?

Resp. Si expositionis thronum inamovibilem difficile sit habere, nisi Crux ponatur in eo, non licet super tabernaculum erigere talem inamovibilem thronum (S. R. C., n. 4268, IV). Haec dispositio profecto respicit futurum, quia praesertim ubi eiusmodi tabernacula et tribunae affabre constituta sunt, moraliter impossibile est quod removeantur; et tunc res iuxta opportunitatem, meliori quo potest modo, sunt componendae. Attamen semper prohibitum manet quod in tabernaculo augustissimi Sacramenti exponantur Reliquiae

Sanctorum, quemadmodum vetitum est Crucem in illo collocari (S. R. C., n. 3576, III). Neque Reliquiae Sanctorum collocari possunt in theca, atque exponi super parvo throno, corona in parte superiori ornato (S. R. C., n. 4186, I). Toleratur quod Reliquia S. Crucis exponatur sub baldachino, sed oportet ut hoc sit diversum ab illo in quo exponitur almum Sacramentum, ut debita cultus significatio opportuna distinctione servetur: idcirco thronus S. Crucis, rubeo, in totum vel ex parte, exornatur colore.

Quod tandem respicit lampadem electricam, quae reflexis speculorum amplius illuminet expositum obiectum, dicimus, id, si sermo sit de SS. Sacramento, lege positiva prohibitum esse, decreto nempe S. Rituum Congregationis, diei 28 iulii 1911, n. 4275, quod etsi loquitur de expositione publica ac privata in pyxide, profecto applicari, imo a fortiori, debet expositioni solemni cum ostensorio. Quod decretum renovatum est per aliud d. d. 24 iunii 1914.

Haec dispositio forte data est, ne quidquam artificiosum fiat erga SS.mum Sacramentum, quod fingat splendorem et gloriam, cui Dominus nobiscum remanens se subtraxit. Ita vetuit alias S. Congregatio quod poneretur lumen retro ostensorium, ad perlucidam reddendam SS.mam Hostiam (S. R. C., n. 2613).

Quoad Reliquias Sanctorum nihil dictum est, et putamus non esse prohibitum eas aliquo eiusmodi artificio illuminare, quia non videtur adesse ratio aliqua id prohibendi, uti adest pro SS.mo Sacramento, quemadmodum superius vidimus.

M.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 8 curr. anni, pagg. 492-511).

Quaestio iuridico-moralis (1).

Parochus B. exsequias cuiusdam sui filiani explet *recto tramite* a defuncti domo ad coemeterium, ut ordinaria praxi fieri solet in ea civitate. Missa exsequialis celebrari debebat in ecclesia C. (idest in ecclesia tumulante), quae in territorio iurisdictionali eiusdem parochi B. continetur: ipsa autem non est ecclesia

(1) Praesens *Quaestio* fuit ab Auctore proposita clarissimis scriptoribus ephemeridis, cui titulus *Rivista liturgica*, editae a venerabilibus patribus S. Benedicti Coenobii Pragliensis in agro Patavino; et in fasciculo septembris–octobris 1915, n. 3, pag. 187, quamvis substantialiter soluta fuerit adamussim iuxta conclusiones antea expressas, tamen multae eius partes obscurae manserunt, praesertim iis, qui de iuribus parochialibus, materia quidem valde spinosa et difficili, ieiuni sunt, vel claram et perspicuam notionem non habent. Auctor igitur, ne perplexa maneret in hac re suorum fratrum mens, lucidius et opportunius controversiam explicatam, subque duplici aspectu, canonico et liturgico ordinatam, prudenti iudicio mandavit Exc.mi D. Ianuarii Trama Episcopi Aletiensis, quo nemo his disciplinis doctior et peritior, et eius epistola, diei 14 ianuarii 1916, amplas obtinuit laudes et obtestationes omnia esse, ut Auctor exposuit et explanavit, ad tramitem iuris canonici et liturgicae disciplinae et praxis. Inter cetera haec continentur in eadem epistola testimonia:

Regularis, sed Confraternitatis sedes, cui defunctus pertinebat uti confrater, et in quam efferri debebat cadaver ob funera *praesente corpore*. Die XXX ab eius decessu, suorum cura, et Confraternitatis praesertim debito, celebratur funus eiusdem defuncti cum certo numero Missarum, et, prima vice post mortem, cum Missa in cantu.

Parochus interim B. prohibet quominus ecclesiae C. rector Missam in cantu celebret, dicens eiusmodi

---

« Ho letto la vostra pregevole Monografia, e posso assicurarvi che mi è piaciuta molto per la chiarezza e per il ragionamento.

« Solo mi pare che contrariamente a quello che dite, possa dirsi Messa esequiale quella che dopo le esequie, *non ultra biduum,* si celebra quando è stata impedita dall'Autorità civile per ragione d'igiene, ecc.

« E se è così, bisognerebbe mitigare un poco la dizione assoluta posta nel terzo periodo della soluzione « *dici non potest Missa exsequialis illa, quae prima canitur in defuncti suffragium* »: questo a mio modo di vedere.

« Non so se il caso proposto riguarda qualche parroco del Mezzogiorno. In tale ipotesi la parte della soluzione che riguarda la *quarta funeraria* anche dovrebbe attenuarsi con qualche frase, perchè qui non abbiamo *quarta funeraria* ma solo *diritto di benedizione* del parroco dopo il Concordato del 1818.

« Del resto il lavoro, come ho detto, è fatto benissimo e debbo porgervi i miei vivi e schietti rallegramenti ».

Quo melius provideret veritati suarum conclusionum, Auctor opportunum arbitratus est consulere etiam Exc.mum D.num Aloysium Lavitrano Episcopum Cavensem et Sarnensem, qui Moderator est clarissimae ephemeridis *Il Monitore Ecclesiastico,* eamque saepe saepius suis pretiosis scriptis ornat atque ditat iis praesertim, qui de materia canonico-iuridica tractant. En verba, quae doctissimus Praesul per suum Secretarium, D. Nicolaum Margiotta, Auctori scripsit die 18 februarii 1916:

« Le chiedo anzitutto e principalmente da parte di S. E. R.ma Mons. Vescovo mille scuse, se non si è potuto presto rispondere

ius sibimetipsi spectare; quatenus illa prima Missa in cantu aequivalet, quoad ius, si non quoad liturgica privilegia, Missae exsequiali, iuxta decretum S. R. C. (12 ianuarii 1704): « Ad parochum spectat facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in ecclesiis Confraternitatum, quando tumulandus est subiectus parocho intra cuius fines est ecclesia ».

Rector, contra, ecclesiae C. contendit spectare parocho, ut in casu, tantum *quartam funeralem,* iuxta

---

alla Sua del 24 dicembre s. a causa le continue e molteplici occupazioni. Ho il piacere per altro di comunicarle che il Suo lavoro è sommamente piaciuto a Mons. Vescovo, giudicandolo non solo meritevole di esser letto nelle adunanze diocesane e licenziato alle stampe, ma di essere altresì trasfuso in Costituzioni Sinodali ».

Quamvis autem ab Episcopo aversano consulto interrogati sint viri ecclesiastici magna auctoritate praediti in disciplinis canonicis et liturgicis, quique suis studiis Sacris Romanis Congregationibus sunt decori, omnia eorum responsa et consultationes nobis manifesto faverunt, cum nihil stabiliat nihilque mutet nostrae opinioni, quidquid sacri canones continent et leges vigentes et decreta Ecclesiae. Clarissimus Gennari (*Consultaz. Monitore Eccl.* XIX, p. 54). solida, multiplici ac profunda doctrina, auctoritate fretus complurium Sacrarum Congregationum decretorum, ita, inter cetera, ad rem declarat: « In forza di questa nuova giurisprudenza canonica, par che la disciplina sul diritto del parroco ai funerali celebrati altrove in giorni diversi da quelli in cui il cadavere possa dirsi moralmente presente, siasi alquanto mutata, sì che gli antichi insegnamenti *(quae hoc parochorum ius videbantur magni facere)* non abbiano oggidì tutto il loro valore ». — Ad rem desideratur aliquod opportunum atque explicitum decretum Sacrarum Congregationum, quod statuat ac determinet, seclusa omni alia quaestione, hanc intricatam materiam. Quod si aliud nostrae opinioni contrarium stabiliat, contenti erimus cum plausu illud, tamquam oraculum, accipere, laeti quod illud provocavimus, laeti etiam quod erravimus una cum tantis magna auctoritate viris, ac ephemeridibus, ad normam vigentis Iuris *(20 iunii 1916).*

Constitut. Benedicti XIII *(Rom. Pont.)*, decretum S. R. C. (29 iulii 1905), necnon EE. et RR. (3 augusti 1862). Quaeritur:

I. *Aequivalet Missae exsequiali, quoad saltem iura parochialia, si non quoad privilegia liturgica, prima Missa, quae canitur post decessum, « etiam si ad diversum diem vel ad aliud longius tempus differatur? »* (*Bened. XIII*, Rom. Pont.).

II. *Parocho, ut in casu, competitne ius Missam canendi in ecclesia C., an percipiendi tantum* quartam funeralem?

III. *Licetne in alia ecclesia, familiae expensis, celebrare funus alicuius defuncti in 3°, 7° et 30° « maiori cum solemnitate, quam pro die obitus actum sit in ecclesia parochiali? »*.

IV. *Licetne in funere celebrare Missas planas* in nigris, *cum non sit ritus semiduplicis officium diei?*

Solutio.

Ut respondeam propositis quaestionibus, pauca sunt circa aliqua praeliminaria dubia praemittenda.

I. Quaenam est Missa exsequialis? — Missa exsequialis est illa, quae celebratur in funere « praesente physice vel moraliter corpore » (d. S. R. C. n. 3755). Missa autem non est eiusdem funeris pars essentialis, ut eruitur ex Rit. Rom. et decreto S. R. C. n. 3494, cum possit etiam relinqui, nec ideo exsequiae essent detruncatae. Quapropter, exsequiis expletis, dici non potest Missa exsequialis illa, quae prima canitur in defuncti suffragium, quamvis solemniter, excipe casum cum ab auctoritate civili prohibita fuerit hygienis gratia etc., Missa exsequialis. Tunc exsequialis potest dici et retineri illa, quae *non ultra biduum* post exsequias celebrabitur.

II. Delatio cadaveris a parocho facta *recto tramite* a domo ad coemeterium habetne locum exsequiarum? — Exsequiae sunt complexus precum et sacrarum caeremoniarum, quas Ecclesia super cadavere alicuius fidelis defuncti celebrat. Quae, si fieri non potuerunt *praesente cadavere*, possunt eodem modo celebrari, sed tantum post Missae celebrationem, quae in casu necessaria esset, cum secus defunctus retineri non possit *moraliter praesens*.

Rituale Rom. praescribit ut cadaver efferatur ad ecclesiam, ibique recitentur illae preces « quae numquam omittantur »; dum ibidem dicit Officium et Missam posse etiam omitti. Praxis igitur *recto tramite* ad coemeterium est per se irregularis (1). In casu dicitur « parochus ex-

(1) Ad rem notandum: defuncti delatio in ecclesiam, exsequiarum causa, antequam ad sepulcrum deferatur, cum sit ex obligatione facienda iuxta Ritualis Romani praescriptionem, uti supra innuimus, quippe quae partem essentialem funebris officii constituit, et, cum cadaveris benedictione et absolutione in ecclesia impertienda, facit unum cum funebri comitatu, parochis, in casu, unum tantum emolumentum, seu ius funerum, competit; et haud iustum est, imo contra iustitiam ageretur, si duplicia ipsi perciperent emolumenta, quasi ut, non una, sed duplex et distincta esset cadaveris delatio. Ratio est, quia in huiusmodi statutis iuribus comprehenduntur omnia emolumenta ipsis spectantia pro toto funere a Rituali Romano praescripto, non autem pro irregulari tantum delatione *recto tramite* facta, e domo, nempe, defuncti ad coemeterium.

Funebri officio in ecclesia peracto, defunctus ad sepulcrum immediate deferatur. Quoad Missam autem exsequialem, ut infra diffusius et ex proposito tractabimus, ipsa non est eiusdem funeris pars essentialis, cum possit etiam relinqui. Si autem ipsa ex laudabili propinquorum voluntate, aut piae sodalitatis debito, cani debeat, Celebranti et sacris Ministris debita eleemosyna et taxa solvatur. Optandum igitur est, ut parochi, quibus absolute hoc onus incumbit, fortiter ac suaviter fidelibus persuadeant, ut cadavera in ecclesiam, antequam ad coemeterium, deferantur; et ut possit frui omnibus insignibus privilegiis et suffragiis in defunctorum levamen: officiis et ritibus in ecclesia persolvendis affixis.

sequias explesse recto tramite e domo defuncti ad coemeterium »; id censetur igitur locum tenere funeris exsequialis, ob quod parochus sua emolumenta percepit, uti, *ex. gr.*, ordinaria praxi, evenit in tota fere nostra dioecesi aversana. Sed in archidioecesi genuensi, ubi consuetudo vigebat efferendi cadaver *recto tramite*, Synodus anno 1909 habita, dum parochos hortabatur ut Rituali Rom. se conformarent, statuebat interim primum funus solemne post tumulationem celebratum, tenendum esse uti exsequiale, quoad iura parochialia, sed tunc solum cum parochus nullum percepit emolumentum ob cadaveris delationem, aut tam parum, ut teneri debeat quasi nihil percepisse (Syn. ian. 1909, n. 605).

His positis, singulis quaestionibus ita respondemus:

Ad I. Prima Missa solemnis, quae canitur pro defuncto, *reduplicative* sumpta uti talis, cum ab exsequiis, scilicet a funere, separatur, ob hoc idem non est consideranda uti exsequialis, Rituale enim Rom. concedit quidem in exsequiis posse Missam deesse, sed nullo modo insinuat Missam illam celebrandam esse alio die. Documenta autem, quae in casu adducuntur, in quibus sermo fit *de dilatione*, non referuntur **ad Missam** *uti talem*, sed **ad funus,** quod factum non esset *praesente cadavere:* ita Benedictus XIII: « quod *si funus* non fiat in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad longius tempus differatur etc... ».

Itaque, Missa, quae exsequias comitatur, specialibus liturgicis privilegiis gaudet, et est de stricto iure parochi tantum ob funus de quo participat; quod, si prima Missa solemnis, quae canitur pro defuncto, nullum ordinem habet ad funus, non amplius gaudet illis privilegiis, nec considerari potest exsequialis, nec est ideo de parochi iure.

Ad II. Primum omnium pauca sunt praenotanda. Quoad paroecias nostrarum regionum meridionalium, iuxta Concordatum anni millesimi octingentesimi decimi octavi, non amplius exsistit ius *quartae funeralis*, sed tantum ius parochi *benedicendi* cadaver. — His in antecessum positis, si

Missa, de qua agitur, nullo modo rationem haberet funeris exsequialis, nihil competeret parocho, uti supra innuimus.

Quod, si loci consuetudo et cetera rei adiuncta eam redderent talem, « *servetur regula statuta* in Barcinonensi (S. C. EE. et RR. 29 iul. 1905), id est, *in decisis et amplius et iuxta modum. Modus est ut in posterum prima funebris Missa post obitum fiat aut in propria defuncti paroecia, aut in Cathedrali* (quae, illa in civitate, apostolico privilegio freta, ius habebat); *et quatenus in alia ecclesia legitime celebretur,* **ut in casu,** *parocho proprio solvatur quarta funeraria* » (1).

(1) Huius tenoris sunt pariter decreta eiusdem S. Congregationis 13 maii 1904 *in Tusculana,* 14 iulii 1905 *in Ianuen. funerum,* et 23 februarii 1907 *de Serena.*

Ne autem lector aliquantulum forsan anceps maneat, hic libenter referimus quod idem E.mus Gennari (Consult. *Monit. Eccl.*, vol. XIX, p. 58) ad rem diserte scripsit: « In detta causa *Barcinonensi* i parroci di Barcellona si erano querelati del rettore della chiesa appartenente ad una pia casa di carità e dei rettori di altre chiese, in cui solevansi celebrare i funerali solenni dopo compiute le esequie in parrocchia. E al quesito: « *An rector ecclesiae piae domus a charitate et rectores nonnullarum aliarum ecclesiarum non parochialium ius habeant peragendi functiones exsequiales solemniores* », il dì 27 agosto 1904 fu risposto: *Affirmative*. Avendo i parroci chiesto e ottenuto il beneficio di una nuova udienza, fecero notare che in Barcellona, in virtù della legge civile, i cadaveri non si portano nelle chiese parrocchiali, ma si recano difilato al pubblico cimitero: laonde i parroci non hanno se non la facoltà di benedirli solamente, non quella di celebrare la Messa esequiale *praesente corpore*. Se dunque fosse lecito a qualsivoglia chiesa celebrar la Messa funebre solenne, a loro sarebbe per sempre tolta la possibilità di esercitare cotal diritto.

« In vista di ciò, ripropostasi la quistione col dubbio; « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* », la S. Congregazione, il dì 29 luglio 1905, ecc. ecc., come sopra ».

Imo, eadem Sacra Congregatio non tantum supradictum decretum magis confirmavit ac declaravit, verum etiam cum explicita declaratione *in decisis et amplius,* quae decreto praeponitur, vetuit

Decretum, quo parochus B. nititur ad suas rationes confirmandas, intelligi debet de exsequiis *praesente cadavere*, de quibus rationibus, uti supra, explicite ibi fit sermo; sed si funus ad diversam diem vel ad aliud longius tempus in aliqua ecclesia celebrandum differatur, quasi ut perficiat et suppleat funus *praesente cadavere*, quoad saltem iura parochialia, non quoad privilegia liturgica, est praescriptio Benedicti XIII, in qua nituntur rationes Rectoris ecclesiae C. (1).

Ceterum, ita videntur posse inter se conciliari duo documenta allata. Cum parochus defert funus alicuius sui filiani in ecclesiam Confraternitatis et intra fines suae paroeciae, ipsi competit ius levandi cadaver, totumque Officium celebrandi simul cum Missa, quae canitur in eisdem exsequiis; et hic est casus in decreto S. R. C. d. 12 ian. 1704 contemplatus.

---

ne denuo eidem Congregationi pro eodem argumento, recurri queat. Addendum, quod, *vigore legum civilium*, non manet parochis illarum regionum, *nisi sola facultas benedicendi cadavera*, ut supra diximus!

Omnibus constat interim in illa et ista provinciarum meridionalium peninsulae dioecesi vigere, nescio quo nomine appellem consuetudinem an abusum, celebrandi certum Missarum numerum, cum satis pingui eleemosyna, in defuncti domo praesente cadavere, qua occasione semper invitatur ipse defuncti parochus ad Missam celebrandam, quamvis consuetudo non adsit efferendi cadavera in ecclesiam, iuxta casum. Praeterea parochus ipse, nescio quo titulo aut iure, simul ac cadaver e domo exit, *cereis omnibus potitur*, qui ante defunctum ardent *in ipsius domicilio*. Quapropter si S. Concilii Congregatio haec omnia mature perpendat, nescio utrum conservet necne parochis, iuxta casum, *quartam funerariam*, ad tramitem iuris vigentis et ad mentem decretorum, ut supra innuimus.

(1) « Al Rettore di una chiesa non parrocchiale è permesso, senza alcuna autorizzazione del parroco, di celebrare quelle funzioni che non sono strettamente parrocchiali. La S. C. dei Riti con decreto « *Urbis et Orbis* » del 10 dicembre 1703, alla questione proposta sotto il n. 10: « *An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis iuribus*

E contra, si res agatur de funere alicuius defuncti ad diversum parochum pertinentis, qui, exsequiarum causa, deferri debet in Confraternitatis ecclesiam intra fines territorii parochi B. positam, tunc parochus B. nullum ius, quatenus est parochus, quacumque ex causa et quolibet praetextu aut colore, repetere potest; dum ad defuncti parochum sola *quarta funerum* spectat (S. R. C. 12 ian. 1704. *Monit. Eccl.*, vol. 3°, ser. 2ª, p. 272).

Sed, cum, facta a parocho B. tumulatione *recto tramite*, differatur ad aliam diem funus in aliqua ecclesia Confraternitatis celebrandum, tunc ei spectat tantum *quarta funeralis*; quin exigere possit ius Missam canendi, quod exclusive competit, hoc in casu, ecclesiae Rectori aut Confraternitatis Capellano a Rev.ma Curia per litteras adprobatis (S. C. Conc. 27 aug. 1904).

Quod, si ex civili vetito aut morbo contagioso, aut alia gravi causa, cadaver in ecclesia praesens esse nequeat, imo ad coemeterium absque funebri officio et sine parocho rite comitante delatum fuerit, ob quod nec emolumentum quodcumque ipse perceperit; si funus celebretur prima vice ab obitu, etiam si ad longius tempus differatur, dictum funebre officium totum habet valorem, quod saltem iura parochialia, si non quoad privilegia liturgica, funeris exsequialis. Qua de re, Missa solemnis pro defuncto filiano ce-

---

parochialibus?», rispose «*Negative, prout iacet*», e al n. 20 dichiarò che al parroco spetta soltanto far l'esequie (presente il cadavere, come spiegano i commentari). Con una successiva dichiarazione, la stessa S. C. spiegò che non si ledono per nulla i diritti parrocchiali, se, terminate l'esequie (senza Messa) nella chiesa parrocchiale del defunto, gli eredi o i parenti fanno celebrare la Messa in un'altra chiesa, specialmente se di Regolari (S. R. C. 13 maii 1879). Così pure è in arbitrio degli eredi o dei parenti fare le esequie del 3°, 7° o 30° giorno dalla morte dove vogliono (la stessa S. C. 24 iulii 1638; cfr. anche Alberti *Theol. past.* P. V, pag. 65, VII, *Monit. Eccl.*, vol. VII, serie 3ª, pag. 167, ovvero fascicolo 1° aprile 1915).

lebranda, hoc in casu, de stricto parochi iure considerari debet; unde ab ipso in propria ecclesia, vel in aliis ad ipsum pertinentibus, non autem a Regularibus aut per privilegium legitime exemptis, canenda est, et emolumenta pro toto funere *praesente cadavere* praescripta, percipienda. Unde Episcopus bene poterit, etiam extra Synodum, per decretum statuere, ne dictum funus cum certo tantum numero Missarum, sed dolose, absque Missa in cantu, celebretur, ut fraus parocho fiat (Bened. XIII *Romanus*). Insuper parochis *quarta funeralis* defunctorum suae paroeciae, qui in ecclesiis Regularium sepulturam elegerint, persolvatur, ut statuit Benedictus XIII (28 april. 1725): nequit autem parochus in associatione cadaverum ecclesias Regularium cum stola et Cruce elevata ingredi, ibique functiones peragere. Unde, expleto funere, ecclesiae funerantis Rectori ius competit cadaver ad commune coemeterium deferendi, etiam invito parocho; quia *ius funerandi a iure tumulandi separari non potest.*

Ex his igitur consequitur, quod ad ianuam ecclesiae tumulantis, extra, nempe, ambitum iurisdictionis parochi defuncti positae, sicuti in ecclesiis Regularium, desinit officium cuiuscumque parochi, quatenus est parochus.

Ad III. Nullum dubium est quin cani possint Missae solemnes defunctorum, quacumque in ecclesia, diebus 3°, 7° et 30° et aliis, uti eruitur ex decretis S. R. C. nn. 643 et 3494; neque limitari potest solemnitas funeris ad illud, quod celebratum fuit in paroecia, cum nulla lex aut praescriptio exstet in materia.

Ad IV. Concessio celebrandi Missas privatas pro defunctis *in nigris* in die funeris, cum ritus Officii non est semiduplex, limitatur *ad Missas cum applicatione defuncti pro quo funus habetur, et ad ecclesiam et ad diem*, in quibus celebrantur funera *praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere* (S. R. C. Decret. general. n. 3903 et 3944 ad 2^m^ et ad 3^m^).

Quaestio.

Aloysius sacerdos, cum intersit sacris functionibus in civitate et ecclesia B., observat sacerdotem quemdam, vespertinis horis, in sermone votivo Divi Antonii, non in die propria commemorati, stolam coloris officio diei respondentis, idest rubri, adhibere; idemque notat cuiusdam confraternitatis Capellanum, publicam processionem comitantem, stolam deferre.

Observat pariter consuetudinem illic invaluisse benedictionem in Sabbato Santo anticipandi in Hebdomada maiori, ob ingentem domorum numerum et paroeciae extensionem, stolam albi coloris adhibendi, et, interdum, diaconum delegandi.

Quaeritur:

1. *Stola signum muneris an iurisdictionis denatat; cuius coloris esse debet in sermonibus festivis vel votivis; et quibusnam in casibus rite et iure ipsa est adhibenda?*

2. *Licetne piarum Societatum Capellanis in publicis processionibus stolam deferre?*

3. *In Sacramentorum et Sacramentalium administratione, necnon in concionibus, tam in propriis, quam in alienis ecclesiis, licetne, privilegio fruentibus, usus cappae aut mozzettae, et stolae super huiusmodi insignibus; insuper usus superpellicei et stolae, ad mentem Ritualis Rom. et S. Congr. decretorum, estne praeceptivus in sede confessionali?*

4. *Benedictio Palmarum, Cinerum et Candelarum estne de iuribus parochialibus; quinam privilegio gau-*

dent ipsas benedicendi et Missam sequentem non celebrandi; et quibusnam in ecclesiis, stricte, respectivis diebus, est praeceptiva?

5. *Usus in Sabbato Sancto fidelium domos perlustrandi estne parochorum propria; quaenam aqua, ad mentem Ritualis Rom., adhibenda est; licetne insuper diacono huiusmodi officium, etiam cum delegatione, explere; eamque benedictionem potestne parochus in Hebdomada maiori peragere; et « i parlatori » etiam vel fores cuiuslibet Monasterii aspergere, quamvis Ordinario loci sint subiecta et intra fines paroeciae erecta?*

Solutio.

Ad I. *Stola signum muneris an iurisdictionis denotat; cuius coloris esse debet in sermonibus festivis vel votivis; et quibusnam in casibus rite et iure ipsa est adhibenda?*

Resp. Stola pro signo muneris, non autem iurisdictionis semper habita est (d. 3035[2]): et stolae delatio haud est vana quaedam ostentatio vel ornamentum dignitatis aut iurisdictionis parochialis, uti a multis forsan censetur (Gardellini, vol. III, p. 126). In exsequiarum tantum processionibus, stolae delatio signum est iurisdictionis, relate tamen ad cadaver, quod defertur, non ad locum e quo defertur (Gardellini, tom. VII, in suppl. n. 35).

Stola autem concionatoris, in sermonibus festivis de S. Ioseph et Annuntiatione B. M. V., quando haec festa occurrunt in Hebdomada maiori, necnon in sermone pro defunctis, sit coloris officio diei respondentis (dd. 3157[6], 3764[13]). Hoc intelligendum est si sermo locum infra Missam vel Officium habeat; secus stola sit coloris Sancto vel Mysterio, de quibus sermo habetur, respondentis.

Quod praesertim parochos, et etiam Capellanos et ecclesiarum Rectores, attinet, stola, rite et iure, non est adhibenda nisi in administratione et confectione Sacramen-

torum et Sacramentalium, et, quoad parochos in functionibus parochialibus in propriae parochiae districtu (S. R. C. n. 1356, ad 1) in functionibus non parochialibus, praesertim in processionibus et choro (D. 1797) et de requie, ut supra innuimus (1). Unde, in aliquibus dioecesibus parochi uti possunt mozzetta, rocheto et stola, *dummodo* collegialiter incedant, quippe qui apostolico privilegio fruuntur (d. 3328 dub. V); non possunt tamen ante se propriam Crucem extollere, sed sub Cruce cathedralis collegialiter incedere debent.

Quapropter usus stolae, quod casus frequentiores attinet, ut paucis absolvam, prohibetur: cum superior porrigit aquam benedictam episcopo in ecclesiam ingredienti (d. 3191[1]); in celebratione divinorum Officiorum, haud excepta hora *Tertia* solemniter cantata; vel in Vesperis festivis vel votivis, quae cantantur iis in ecclesiis, in quibus obligatio Chori non est, non obstante consuetudine (dd. 1275[3], 2956[5]); dum Capellani assistentiam in habitu chorali Episcopo celebranti praestant (d. 2741[1,2]); itemque cum officium presbyteri assistentis in Missa solemni peragitur.

Quamvis autem vetitum sit parochis et ecclesiarum Rectoribus stolam, ex iure vel privilegio, deferre praesertim in choro, praesente Capitulo cathedrali (d. 3251[4]), perveteri tamen perspecta immemorabili consuetudine, eiusmodi usus ex. gr., in obedientia Episcopo praestanda Dominica II post Pascha, potest tolerari (S. R. C., die 3 dec. 1881).

Ad II. *Licetne piarum Societatum Capellanis in publicis processionibus stolam deferre?*

Resp. Ex his, quae supra innuimus, consequitur tolerari

(1) Usus stolae permittitur insuper in processionibus *Corporis Domini* propter consuetudinem, arbitrio Episcopi (D. 2973); in adoratione ss. Sacramenti (D. 2709 ad 2), in assistendo ad primam Missam novum Sacerdotem (vel ad Missam Episcopum), si adsit consuetudo (D. 3515, VII), in divino verbo ex pergamo nunciando, quibus locis consuetudo invaluit, in transferendo ab uno in aliud altare ss. Eucharistiam: in expositione alicuius sacrae reliquiae, et similiter, ut in communione sacerdotis qui non celebrat Missam etc.

haud posse abusus, quod in publicis processionibus Capellani piarum Societatum, *extra propriam ecclesiam* (S. R. C. 12 ian. 1704), comitantes earumdem consodales, et sub Cruce paroeciae incedentes, deferant stolam super cottam, vel super habitum talarem (d. 3191 dub. II). Optandum est, ut, nulla interposita mora, eiusmodi abusus, ad lites etiam praecavendas, e medio tollantur, ut in iure praescribitur. Pretium autem est operis subiungere quod in casu consuetudinis contrariae, S. R. C. usum stolae aliquando permisit cfr. DD. 2635, 2652, 2755, 2763, 3051.

Ad III. *In Sacramentorum et Sacramentalium administratione, necnon in concionibus, tam in propriis, quam in alienis ecclesiis, licetne, privilegio fruentibus, usus cappae aut mozzettae, et stolae super huiusmodi insignibus: insuper usus superpellicei et stolae, ad mentem Ritualis Rom. et S. Rit. Congregationis decretorum, estne praeceptivus in sede confessionali?*

Resp. « In omni seu Sacramentorum, seu Sacramentalium confectione et administratione, tam in propriis, quam in alienis quibuscumque ecclesiis, utendum est semper superpelliceo et stola; retento nihilominus quod Rituale Rom. docet circa Sacramentum Poenitentiae (Tit. III, cap. I, n. 9) ».

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREG. S. OFFICII

I.

Super casuum conscientiae reservationibus.

INSTRUCTIO.

Cum experientia comprobatum sit casuum, quos vocant, conscientiae reservationes, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergere posse; Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, praecedentibus ad rem dispositionibus novas, pro opportunitate temporum, superaddens, de expresso mandato Ss.mi D. N. Benedicti divina providentia Pp. XV, haec cum omnibus et singulis R.mis locorum Ordinariis *decretorie* omnino ac *praeceptive* communicanda statuit:

1. Meminerint ante omnia R.mi Ordinarii casuum conscientiae reservationes *ad destructionem munitionum*, iuxta dictum Apostoli *(2 Cor., X, 4)*, ad removenda scilicet obstacula quae saluti animarum *non communi* impedimento sunt, esse dirigendas; ideoque, generatim loquendo, extraordinario huic remedio manus ne velint apponere nisi, re in synodo dioecesana discussa, vel, extra synodum, auditis Capitulo Cathedrali

et aliquot ex probatioribus ac prudentioribus suae dioecesis animarum curatoribus de vera reservationis necessitate aut utilitate in Domino convincantur.

Utcumque, casus reservandi sint *pauci* omnino, *tres* vel, ad summum, *quatuor*, atque ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus *specifice* determinandis; ipsa vero reservatio non ultra in vigore maneat quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.

3. Reservationi, generatim, ne submittantur sive *peccata mere interna*, quippe quae, ut docet Benedictus XIV (*De syn. dioec.*, V, 5, 5), *non est in praxi receptum ut unquam reserventur*, propter animarum periculum; sive quae ex *humana fragilitate* derivantia aliam non habeant specialem sibi coniunctam malitiam, propter humanam infirmitatem.

4. Prorsus autem ab iis peccatis sibi reservandis Ordinarii abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae reservata, ne scilicet absque necessitate multiplicentur leges; et, regulariter, ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit; hoc enim expresse prohibet vetus Instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 26 novembris 1602, quae ita se habet: « Praesertim vero haec monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii ne illos casus promiscue reservent quibus adnexa est excommunicatio maior a iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur ».

5. Cauti insuper omnino sint et quam maxime parci quod ad poenales sanctiones, excommunicationis praesertim, quibus forte suas reservationes communire velint; nam, ut sapienter admonet Sacrosancta Tridentina Synodus (Sess. 25, *de Ref.*, c. 3): « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem ».

6. Veruntamen, statutis semel reservationibus quas vere utiles aut necessarias iudicaverint, curent omnino ut ad *certam* fidelium notitiam, quo meliori eis videbitur modo, eaedem deducantur – nam quaenam earum vis si lateant? – easque, quamdiu necessitas aut utilitas perduraverit, firmas teneant, seu facultatem a reservatis absolvendi ne cuivis et passim impertiant. Mens tamen est S. Congregationis ut huiusmodi absolvendis facultas *habitualiter* impertiatur saltem Canonico Poenitentiario, etiam Ecclesiae Collegiatae, et Vicariis Foraneis eorumve vices gerentibus, addita his ultimis, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, etiam facultate subdelegandi *toties quoties* confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiori aliquo determinato casu ad eos recurrant.

7. Ad evitanda demum gravia inconvenientia quae ex reservationibus utilibus quoque ac necessariis in peculiaribus quibusdam rerum adiunctis facile

oriri possent, eadem S. Congregatio, nomine et auctoritate Sanctissimi, sequentia decernit:

a) Quaevis Ordinariorum reservatio *ipso iure* cessat sive cum aegrotis qui domo excedere non valent, confiteri cupientibus; sive cum sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa; sive tandem quoties, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat absque gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis;

b) Cessat pariter reservatio si, petita pro aliquo determinato casu a legitimo Superiore absolvendi facultate, haec forte denegata fuerit: cessat tamen pro ea vice tantum.

c) Toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, a casibus quos quomodolibet sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt, absque alius facultatis ope, parochi quive parochorum nomine in iure censentur.

d) Quo tempore Sacras Missiones ad aliquem populum haberi contingat, eadem absolvendi facultate gaudent singuli Missionarii.

e) Postremo, a peccatis in aliqua dioecesi reservatis absolvi possunt poenitentes in alia dioecesi, ubi reservata non sunt, a quovis confessario sive saeculari sive regulari, etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint.

8. Sed, denique, studeant potissimum Ordinarii doctos, pios, ac prudentes confessarios in tota dioecesi efformare, eisque opportuniora ad inolita vitia convellenda remedia suggerant quae ipsimet, si poe-

nitentes ad se remitterentur, adhibituri forent. Quo, dum et confessariis et poenitentibus inevitabiles reservationum molestias vitabunt, optatum effectum suavius simul ac certius, Deo adiuvante, consequi poterunt. Interim vero casuum reservatorum, si qui in propria dioecesi constituti sint, disciplinam ad haec praescripta quamprimum reducere, servato modo art. 1° statuto, et haec omnia suos confessarios apprime edoceri satagant.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 13 iulii 1916.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*

L. ✠ S.

II.

Declaratio.

Feria IV die 2 augusti 1916.

Cum dubia varia orta fuerint circa decretum latum ab hac Suprema Congregatione S. Officii, die 12 maii 1912 circa adsistentiam passivam Parochorum in celebratione matrimonii mixti, haec eadem S. Congregatio sui muneris esse duxit declarare, praefatam adsistentiam passivam tolerari solummodo in illis regionibus, quibus ante decretum *Ne temere* concessiones speciales factae ac instructiones datae fuerant a S. Sede, et tantum in casibus et sub conditionibus ibidem expressis, atque proinde matrimonia extra praedictas regiones sic contracta (idest cum adsistentia Parochi passiva) esse non tantum illicita, sed etiam omnino invalida.

Et feria V, die 3 eiusdem mensis, Ss.mus D. N.

Benedictus divina providentia Pp. XV, in solita audientia R. P. D. Adsessori huius Supremae Congregationis S. Officii impertita, relatam sibi suprascriptam declarationem benigne adprobare ac suprema sua auctoritate in omnibus ratam habere dignatus est.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 5 augusti 1916.

L. ✠ S.

ALOISIUS CASTELLANO, S. R. et U. I. *Notarius*.

Censura Liturgica

I. In *Ephemeridibus Liturgicis,* anni 1915, pagg. 180, 181, dicitur quod Kalendarista (in Gallia) bene se egit in ordinando kalendario, die 31 maii, pro Missa, occurrente festo B. Ioannae de Arc, cum sanctis Angela Merici et Petronilla, et cum feria IV Rogationum ac Vigilia Ascensionis Domini. Ordo hic erat: « 3ª or. Vigiliae, 4ª Rogationum, 5ª (in Missis privatis) S. Petronillae ». Nonne S. Petronilla (simplex) praeferri debuerat feriae IV Rogationum (feria minor)?

Resp. Non est feria IV Rogationum per totum comparabilis feriis minoribus, quoad Missam; et revera de ipsa semper fit commemoratio, etiamsi occurrat duplex II classis, quod numquam competit aliis feriis minoribus. Hinc, si commemoranda est in Missa huius classis, etiam solemni, iam quodam privilegio ornatur, superiori nimirum festo simplici etiam occurrenti, quod in Missa solemni non commemoratur. Si igitur praeponitur Simplici, quoad exclusionem, cur non praeferetur ipsi Simplici concomitanti, quoad ordinem? Hinc est quod Gavantus cum Merati (tom. I, p. 4, tit. 11, n. 13), opinantur, occurrente Officio Sancti simplicis in hac feria IV, in libertate esse Celebrantium, Missam de Sancto simplici assumere, vel Missam de feria Rogationum.

Rebus sic stantibus, minime condemnare potuit Solutor Kalendaristam in casu, neque nos nunc condemnamus.

II. In citato Periodico, pag. 181, pro die 31 maii, invenitur correctum: « Ubi unica Missa et fit processio, 3ª or. S. Angelae, 4ª Vigiliae ». Haec tertia oratio cum quarta videntur esse omittendae, iuxta decretum S. R. C., n. 3924, X, quod in Missa, unica in eadem ecclesia, quae

dicitur de Rogationibus cum commemoratione festi occurrentis, excludit commemorationem Vigiliae Ascensionis et eiusdem evangelium in fine (Cfr. *Ephem. Liturg.*, an. 1910, pag. 698, nn. 5 et 7). Notetur quod, in casu de quo inquirimus, festum occurrens est de B. Ioanna de Arc, duplex II classis.

Resp. Non videmus ubi consistat difficultas Rev. Inquirentis, utrum in indole festi duplicis II classis (in epistola scripsit: « E *notisi bene,* che la festa occorrente è della B. Giovanna d'Arco, *II cl.*, linea » ad II cl. « supposita); an vero in celebratione Missae de Rogationibus (epistola dicit: « ... che — decretum scilicet — oltre la Messa delle Rogazioni cum comm. festi occurrentis, esclude la comm. della Vigilia... »).

Quidquid sit de hoc, respondemus: 1° Missam de Duplici II cl. admittere commemorationem Duplicis simplificati et Vigiliae; ergo, a fortiori debet eas admittere ipsum Duplex II cl. simplificatum; 2° Decretum citatum ponit casum de Missa de Rogationibus in feria IV, cum commemoratione festi occurrentis, sed non excludit commemorationem festi simplificati, quod eventualiter haberi possit: inquirentibus non dabatur occasio; et excludit commemorationem Vigiliae cum illius evangelio in fine; at hoc evenit anno 1896, quando scilicet nondum data erat regula hodierna, ex qua Missa de feria admittit commemorationem Vigiliae, cum eiusdem evangelio.

In casu igitur, recte admittitur commemoratio S. Angelae ac Vigiliae, cum huius evangelio in fine.

III. In eisdem *Ephemeridibus*, pag. 503, iis quae diximus in II, opponitur auctoritas Ordinum divini Officii Desclée et D' Auria. Sed mirum est quomodo tam facile confundantur Missae privatae de feriis, Vigiliis etc., permissis a Pio X, cum Bulla *Divino afflatu,* et Missae conventuales. Primae, antea permittebantur tantum in Semiduplicibus, nunc vero excluduntur tantum in Duplicibus I et II classis; Missae autem conventuales nullam subiere

immutationem, nisi circa cantum et assistentiam choralium. Missae privatae admittunt omnes commemorationes Officii, dum conventuales dicuntur absque ulla utrorumque commemoratione (Rubr. Missal., VII, 2). Praeterea Ordines citati loquuntur explicite, v. gr., post dies 28 et 30 maii, de ecclesiis, « ubi adest obligatio chori... in choro... extra chorum... Ubi tamen unica habetur Missa, etc. ». Intelligitur semper, prout et antea, de ecclesiis parochialibus etc., in quibus habetur obligatio Missae de Rogationibus ob processionem. Contra vero et separatim, Ordo D'Auria de Missis privatis loquitur tantum sub initio Quadragesimae, et addit, pro toto anno : « Haec Missa permittitur etiam in Vigiliis extra Quadragesimam, quando fit Officium festivum, nisi aliter notetur ». Et Ordo Desclée, praeter adnotationem initio Quadragesimae, singulis diebus, non modo Quadragesimae, sed etiam infra annum, quandocumque occurret, distinctim indicat: « Permittitur Missa privata de feria, vel Vigilia ».

Resp. Huic longae censurae nihil aliud opponimus, nisi quod iam diximus in locis incriminatis, salva distinctione inter Missas conventuales et privatas, quae distinctio ibi supponitur, et non erat locus ibi de hac loquendi. Manet distinctio pro locis ubi habentur plures Missae conventuales, esto extra chorum, quae excludunt invicem commemorationem de eo cuius factum est in alterutra, qua de re etiam non erat casus. Manet, dicimus, quod scripseramus de conformitate illius doctrinae cum novissimis normis liturgicis, quas optime novit Compilator Kalendarii Desclée, qui, ut fertur, suam operam ferebat in iis comparandis, ita ut, prout innuimuis in responsione ad II, decretum 3924, X, immutationi sit obnoxium. Volumus tamen protestationem exprimere, quod nullam assumimus hac de re sponsionem, quia, usque dum non prodeat novum Missale cum rubricis, iuxta definitivas sanctiones concinnatis, nequit affirmari quod res maneant iisdem in terminis, quibuscum parabantur.

IV. Miramur quomodo sibimet contradicat Solutor quaestionis de qua supra, in alia solutione, in iisdem Ephemeridibus data, ad pag. 562, III, ubi sapienter distinguit: « Si Missa de feria est privata... si est conventualis, etc. », circa 3^{am} orationem in Missa de feria IV temporum (et Vigil. S. Matthaei).

Resp. Nescimus suaderi de hac admiratione! Quomodo distinguere poteramus Missam unicam, si unitas opponitur pluralitati?!! Ubi contradictio? Prius dixeramus, decretum S. R. C. n. 3924, X, esse reformandum iuxta novas dispositiones, ita ut in Missa *unica*, quae habetur in ecclesia (*conventuali*, uti patet, casus enim erat de Missa Rogationum, scilicet ad processionem, feria IV ante Ascensionem), deberet, post orationem S. Angelae Merici, dici tertia oratio de Vigilia; postea vero, ad dubium, non de Missa conventuali et unica, sed generale, de quacumque Missa de Quatuor temporibus septembris, occurrente Vigilia S. Matthaei, respondere debuimus distinguendo, inter Missam privatam et conventualem de feria, sed idem principium servavimus, sive de dicenda tertia oratione Vigiliae in Missa privata item de feria, quia secunda erat de Ss. Eustachio et Soc., sive de dicenda tertia oratione *Concede* in Missa conventuali, item de feria, quia secunda erat de Vigilia, exclusa oratione de Ss. Martyribus, supposita, ut de iure, alia Missa conventuali de iisdem, non vero Missa Vigiliae, quae dici nequit in casu.

Sustinuimus ergo, et sustinemus, commemorationem de Vigilia esse faciendam in Missa de feria, reformato decreto 3924, X, iuxta diversitatem casuum, uti fuse exposuimus.

V. Eodem anno, *Ephemerides*, pagg. 49, II, et 53, I, dixerunt, non posse servari consuetudinem impertiendi absolutionem generalem Tertiariis secularibus S. Francisci immediate post Missam, ac proinde cum paramentis missalibus et coloris non violacei. Et probe hoc asseritur, quia « obstat rubrica Ritualis, requirens superpelliceum et stolam

violaceam ». Id confirmat decretum S. R. C. sub n. 4176 ». Quomodo tamen idem Solutor, alibi (*Ephem.* an. 1916, pag. 241, III) sibi contradicit, loquens de casu « immediate post benedictionem cum SS. Sacramento, non depositis vestibus albi vel rubri coloris etc.? » Pares enim rationes parem debebant sibi vindicare solutionem.

Resp. Quod prius diximus, et placet Rev. Censori, aliis non placuit, ita ut coacti simus moderare sententiam, non tamen absolute, uti videre est in postrema solutione, sed praeposita voce *videtur*, ac insuper, non diversimode sentientes, sed alienae opinioni aliquatenus indulgentes : « Non videntur esse inquietandi, qui ita se gerunt ». Tandem rationem addidimus fautorum consuetudinis: « ex similibus exemplis ». Ceterum non patet de legitimitate consuetudinis, deficiente conditione rationabilitatis; quomodo enim diceretur rationabile quod fit ratione simplicis commoditatis et praecipitationis? Nihil porro in dubiis dicebatur de longaevitate et iuridica praescriptione... Sed potius nobis videtur fieri iniuria ipsi Iuri canonico, huius gravitatem trahendo ad huiusmodi quaestiunculas! Si maior esset reverentia erga sacram Liturgiam, non quaererentur praetextus ad defendendam propriam incuriam vel arbitrium.

Repetimus, quod centies resonamus: in huiusmodi casibus, qui non assurgunt ad maiestatem Iuris, consuetudo consuetudine vincitur. Reverentia in Legem, potius quam querelae, venerationem gignet. Indulgeamus ergo debilibus, sed instemus ut omnes regularitati studeant.

VI. Anno currenti, pag. 282, (21), quoad festa propria Sanctorum ratione Reliquiae insignis, scriptum est: « Cum festum proprium praevaleat super generale, illud erit agendum, cum commemoratione vel translatione istius », hoc est: generalis duplicis minoris. Verba *vel translationis* videntur errata, post novissimas liturgicas reformationes, quibus Duplicia minora neque in perpetuum transferuntur. Neque valet opponere quod ibi sermo sit etiam de festis classicis, namque, cum agatur de occurrentia festorum, quae perti-

nent ad Sanctos proprios, ratione Reliquiae insignis, ritus nequit esse nisi duplicis minoris. Forsan quaedam declaratio Ephemeridum alias data (anno 1906, pag. 540) in errorem traxit Solutorem.

Resp. Veteres solutiones, pro iis qui multa scribunt de re liturgica, ad minus suspectae habentur, non ergo tam facile in errorem trahunt. Sed respondeamus substantiae quaestionis. Quando Solutor dixit *illud erit agendum cum commemoratione vel translatione istius*, sententiam dedit generalem et non applicatam; eam nimirum ob causam, quod non repugnat Officium ob Reliquiam insignem gaudere ritu duplici classico. Verba *hoc est: generalis duplicis minoris* adiunxit Censor, non his usus est Solutor. Ideo ergo dictum est *vel translatione;* quod generaliter dictum est, evadit particulariter applicandum, in casu, cum agitur de festis classicis.

Nota. Rursus rogamus Rev.dos Lectores, ut velint undequaque datas solutiones ponderare, et se referre ad omnes possibiles casus, quia saepe accidit, quod, praesertim in brevioribus solutionibus, non omnia et singula sint minute descripta, et saepe etiam solutiones datae sint pro peculiari circumstantia, quam profundius novit qui dubium porrexit, et Redactio quae illud recepit. Ita fiet ut ad eadem non redeamus inutiliter. M.

Quaestiones Liturgicae.

I.

De influxu alicuius Octavae cuius Commemoratio est omittenda in Officio et Missa.

Quando infra aliquam Octavam communem huius Commemoratio omittitur occurrente aliquo festo duplicis I vel II classis, an eo in casu etiam habeatur influxus illius Octavae in Officio et Missa?

Resp. Affirmative, nisi illud festum classicum habeat in Officio vel Missa eam partem propriam, circa quam haberi potest influxus illius Octavae, vel nisi ea pars Officii vel Missae, circa quam habetur influxus ratione Octavae, sit contra naturam Officii vel Missae. Sic v. gr. in festo S. Annae, B. Mariae Virg. Matris, non habetur per se *Credo* in Missa. Quando autem illud festum celebratur infra aliquam Octavam communem, v. gr. Titularis Ecclesiae, ius ad *Credo* habentis per totam Octavam, eo in casu, quamvis in festo S. Annae, utpote ritus duplicis II classis, Commemoratio dictae Octavae omittatur, dicendum tamen est *Credo* in Missa ratione Octavae. Ita etiam manifeste constat ex festo S. Ioachim, B. Mariae Virg. Patris, hodie diei 16 augusti assignato. Illud festum est pariter duplex II classis et occurrit infra Octavam Assumptionis B. M. V. Porro in Missali hodierno (seu potius antiquo), quando illud festum S. Ioachim adhuc celebrabatur in Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V., indicatur *Credo* ratione Dominicae et *Octavae*. Quamvis ergo hodie illud festum non amplius celebretur in dicta Dominica, conservat tamen *Credo* ra-

tione *Octavae*. Idem dicendum est de aliis partibus Officii et Missae, circa quas influxus ratione Octavae haberi potest.

Casu autem quo infra eiusmodi Octavam festum occurrat quod habet illam partem Officii vel Missae propriam, circa quam influxus illius Octavae haberi potest, tunc illa pars festi propria praeferenda est, v. gr. die 1 iulii celebratur Officium Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. duplex II classis infra Octavam Apostolorum, tunc eo die Praefatio Crucis in Missa, et non illa de Apostolis, dicenda est.

Item dictum est supra « *nisi ea pars Officii vel Missae, circa quam haberi potest influxus, sit contra naturam Officii vel Missae* ». Sic v. gr., quamvis Octava habeat *Credo*, hoc dici nequit in Missa votiva privata, neque per se in Missa de feria vel Vigilia (vide supra has Ephemer. currentis anni, pag. 408 et sqq.). Ita etiam conclusio Hymnorum propria B. Mariae Virg., *Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine*, etc. non congruit Officio de Tempore Adventus, in quo oratur pro Adventu Redemptoris nostri, uti habetur in nova Rubrica Psalterii, tit. VIII, n. 1.

II.

De ordinandis Vesperis, quando subsequenti die fit Officium de eadem die infra Octavam.

Quando Officium recitatum est de aliqua die infra Octavam privilegiatam vel communem et die subsequenti Officium iterum recitandum est de eadem Octava, an in primo die Vesperae (saltem a Capitulo) dicendae sint de primis, an de secundis Vesperis?

Resp. Dubium hoc forsan oritur ex eo quod hodie dies infra Octavam habeat non solum secundas Vesperas, sed etiam primas, et consequenter in iis concursus haberi possit. Hinc in Rubrica nova Psalterii, tit. VII, n, 4 praescribitur, quod de die infra Octavam, etiam privilegiatam, cuius agitur Officium in crastino, agenda sit Commemoratio cum Antiphona et Versu e I Vesperis festi, nisi habeantur propria

per singulos dies infra Octavam (uti infra Octavam Apost. Petri et Pauli), aut specialiter per totam Octavam assignata (uti infra Octavam Epiphaniae), aut denique nisi extra diem festum sint incongrua (uti infra Octavam Nativitatis).

In casu autem, quando agitur in crastino de die infra Octavam, de qua recitatum fuit Officium in die praecedenti, tunc non habetur concursus proprie dictus inter diversa Officia. Hinc in Tabella concurrentiae indicatur in eiusmodi concurrentia littera *O*, significans quod inter eiusmodi Officia nullus concursus esse potest. Et revera nova Rubrica Psalterii, tit. VI, n. 4 praescribit: « Quando duo Officia eiusdem Personae simul concurrunt, si ea sint diversi ritus aut nobilitatis, fit totum de nobiliori, omissa, nisi agatur de mysteriis Domini diversis, Commemoratione alterius; *in paritate* autem *ritus et nobilitatis* fit totum de praecedenti, omissa vel addita Commemoratione sequentis ut supra » *(Cf. etiam Notandum 8 ad Tabellas occurrentiae et concurrentiae).*

Circa hanc Rubricam egregius Rubricista, Dr. P. Piacenza (in suo *Comment. in noviss. Rubr. Brev. Rom.*, edit. altera, pag. 95), sequentia verba adnotat: « Quod si duorum festorum concurrentium idem sit ritus et nobilitas, si omnia sint paria in criteriis praeferentiae,... praescribit Rubrica ista quod fieri debeant Vesperae integrae de praecedenti, sine Commemoratione sequentis. Principium istud inductum est in liturgia a S. R. C. per suum decretum 11 aprilis 1840, n. 2802 ad 5, in quo ad dubium: " Dum duo Officia Passionis concurrunt, utrum Vesperae debeant fieri de primo vel de secundo ,, ; respondit: " Nihil de sequenti, dummodo non fuerit potioris ritus, tunc enim nihil de primo ,,. Non parvam admirationem inducit huiusmodi praescriptio; notum est enim, quod primae Vesperae semper consideratae fuere nobiliores quam secundae; ideoque, concurrentibus duobus festis eiusdem Personae, eiusdemque ritus et nobilitatis, fieri deberent primae Vesperae sequentis, sine Commemoratione praecedentis. Forsitan, magister Caeremoniarum qui, uti

tunc solitum erat, quando nondum penes Congregationem Rituum habebatur Commissio liturgica, votum suum dedit pro solutione propositae quaestionis, festa concurrentia in casu consideravit sub eodem respectu, ac si ageretur de duobus diebus infra aliquam Octavam, aut de duobus ferialibus Officiis. Sicut enim, ratiocinari debuit consultor, duobus concurrentibus diebus infra Octavam, omnia fiunt de die praecedenti, ac nil de sequenti, ita fieri debet in casu concurrentiae duorum festorum eiusdem ritus, nobilitatisque, ad eamdem Personam pertinentium. Si quaestio ista denuo esset agitata, forsan bonis ex argumentis, oppositam solutionem haberet, exemplum enim duarum feriarum et duorum dierum infra Octavam, non facit ad rem; nam ad ferias quod attinet, omnes sciunt, Officium feriale incipi ad Matutinum et ad Vesperas finiri, ita ut concipi nequeant primae Vesperae ferialis Officii; quod vero pertinet ad dies infra Octavam, licet revera, uti probavimus, et novissimae Rubricae admiserunt, ius habeant ad utrasque Vesperas, *nihilominus hae aguntur de praecedenti, non de sequenti, quia agitur de eodem prorsus Officio, et non solum de eadem Persona,* ideoque praesertim quando habeantur antiphonae ad *Magnificat* propriae pro singulis diebus, summopere congruit, quod fiant Vesperae potius de praecedenti quam de sequenti; ceterum nil in casu deperdit, neque Persona, neque eius Officium.

« Attamen, nostro iudicio, aliter res se habet, quando concurrunt duo festa eiusdem nobilitatis ad eamdem Personam pertinentia; tunc enim non agitur de eodem Officio, sed tantum de eadem Persona... Nihilominus principium a citato S. R. C. decreto n. 2802 acceptum, in praxim est procul dubio deducendum, eo magis quod in novissimis hisce Rubricis inductum solemniter fuerit ».

Nullum itaque dubium esse potest quin in casu, quando duo dies alicuius Octavae se subsequuntur, in primo die Vesperae recitandae sint ut in secundis Vesperis festi.

III.

De ordinandis Vesperis et Completorio in concurrentia festorum diversae nobilitatis.

Quomodo ordinandum sit Officium Vesperarum et Completorii v. gr. concurrente Officio Ss. Nominis B. Mariae Virgine cum die Octava Dedicationis Ecclesiae propriae, vel concurrente die octava Dedicationis Ecclesiae propriae cum festo Exaltationis S. Crucis?

Resp. 1° *In concursu Officii Ss. Nominis B. M. V. cum die Octava Dedicationis Ecclesiae propriae:* « Cum Octava non sit nisi prorogatio festi, et dies omnes infra Octavam pro una festivitate computentur, ideoque Octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis... » (cf. Dr. P. Piacenza, *Comment. in noviss. Rubr. Brev. Rom.*, edit. altera, pag. 64), et cum Dedicatio Ecclesiae propriae censeatur festum primarium (S. R. C. 4 febrarii 1896 ad 3, n. 3881 et 24 maii 1901 ad 3 ap. *Ephemr. Liturg.*, vol, XV, p. 399); ideoque Vesperae in casu recitandae sunt de sequenti, scilicet de die Octava Dedicationis, sumendo tamen Antiphonas et Psalmos de occurrenti hebdomadae die e Psalterio (uti praescribitur in Rubrica speciali in fine festi Dedicationis Ecclesiae); Capitulum vero, Hymnus, etc. sunt e primis Vesperis Dedicationis cum Commemoratione Officii Ss. Nominis B. M. V. Ad Completorium illius diei Antiphona et Psalmi etiam sumantur de occurrenti hebdomadae die (iuxta Rubricam specialem Psalterii in fine Dom. ad Completor.), cum conclusione Hymni *Iesu, tibi sit gloria* (cf. nov. Rubr. Psalterii, tit. VIII, n. 1).

2° *In concursu diei Octavae Dedicationis Ecclesiae propriae cum festo Exaltationis S. Crucis:* Cum Octava Dedicationis Ecclesiae propriae sit primarium et festum Exaltationis S. Crucis secundarium, Vesperae dicantur de die Octava Dedicationis, sumendo (ut supra) Antiphonas et Psalmos de occurrenti hebdomadae die, Capitulum, Hymnum, etc. uti in secundis Vesperis Dedicationis, cum Commemora-

tione sequentis festi Exaltationis S. Crucis. Quamvis in casu pro secundis Vesperis Dedicationis Antiphonae et Psalmi sumpta fuerint de occurrenti hebdomadae die, censentur tamen illae II Vesperae integrae persolutae de Dedicatione, et consequenter ad Completorium illius diei Antiphona et Psalmi pariter sumantur (uti in II Vesperis Dedicationis) de occurrenti hebdomadae die.

IV.

Quando et de quali loco sumendae sunt Lectiones I Nocturni de Communi.

In Proprio Sanctorum novi Breviarii in pluribus locis non indicatur, quandonam Lectiones I Nocturni cum Responsoriis suis de Communi sint sumendae, v. g. in festo Ss. Nominis B. Mariae Virginis; neque in eodem Proprio habetur, quando de I vel de II loco eiusdem Communis, v. gr. in Quadragesima in festo S. Ioannis de Deo Conf. (8 martii), nonne habeatur aliqua regula quae in his punctis est sequenda?

Resp. 1° *Quando sumendae sunt Lectiones I Nocturni de Communi:* Iuxta novam Rubricam Psalterii, tit. I, n. 4, « In Festis Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, Apostolorum, Evangelistarum, in omnibus duplicibus I vel II classis, in aliis Festis quae propria habeant Responsoria (1), et in Officiis quibusvis quae Lectiones pariter habeant proprias vel quae occurrunt in Feriis Lectiones de Scriptura nullimode habentibus, tam

(1) Adverte quod iuxta Decretum S. R. C. 28 octobris 1913, III, 2 et 3, Responsoria propria I Nocturni in festis S. Luciae Virg. et Mart., Ss. Ioannis et Pauli Mm. et S. Clementis Pap. et Mart. ponuntur in II Nocturno, et in I Nocturno dicuntur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore. Item in festo S. Elisabeth Reginae et Vid. expunctasunt, inter alia, Responsoria propria I Nocturni, et dicuntur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore.

Lectiones quam Responsoria, quae propria non sint, sumuntur de Communi iuxta Rubricas; adhibitis tamen, per Octavas, Responsoris de Festo, si propria de ipsa Octava non habeantur ».

2° *Quoad locum e quo Lectiones I Nocturni de Communi sunt sumendae*, Rubrica specialis novi Breviarii, initio Proprii Sanctorum haec habet: « In omnibus Festis novem Lectionum Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, Apostolorum, Evangelistarum, necnon in omnibus duplicibus I vel II classis, integrum Officium dicitur ut in Proprio vel Communi, *et Lectiones I Nocturni cum suis Responsoriis, nisi propriae vel specialiter astignatae habeantur, sumuntur de Communi I loco.* In reliquis vero Festis IX Lectionum... Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti, vel resumenda aut anticipanda, iuxta Rubricas, cum suis Responsoriis de tempore; quae si omnino desint, *Lectiones et Responsoria de Communi I loco, nisi aliter propriis locis notetur...* Per Octavas antem communes... Lectiones et Responsoria I Nocturni, nisi propria habeantur, sumuntur de Script. occurr., ut supra, et iis deficientibus, Lectiones in diebus infra Octavam dicuntur de Communi, in die Octava, et pro Festis Domini Commune non habentibus etiam infra Octavam, ut in Festo; Responsoria vero, tam infra Octavam quam in die Octava, ut in Festo ».

Notandum tamen est quod Commune Apostolorum ab eo Evangelistarum sit distinguendum; item Commune Doctorum ab eo Confessorum Pontificum et non Pontificum, nec non Commune Virginum ab eo non Virginum, vel Martyrum tantum. Hinc ea diversa Communia sunt applicanda Sanctis vel Beatis, prout eorum qualitates sunt, et consequenter proprie loquendo habentur solummodo pro Sanctis non Confessoribus et Abbatibus Lectiones I Nocturni de Communi I et II loco. Insuper adverte quod in Communi Confessorum non Pontificum in novo Breviario Lectiones I Nocturni in I loco positae sint eae quae antea fuerunt in II loco, et illae quae in II loco erant, hodie in I loco inveniantur.

V.

De ritu quocum celebranda sunt Officia Beatorum concessa in determinatis loci.

In decreto S. R. C. d. 22 maii 1914, I (A. A. S., VI, 283) statuitur, Festa *Beatorum* Ordinis seu Congregationis, sive ii sint solemniter sive aequipollenter beatificati, in Ecclesis conventus, seu domus, in quibus obierunt vel eorum Corpus aut insignis reliquia asservatur, celebranda esse sub ritu *duplici maiori;* in aliis autem eiusdem Provinciae coenobiis seu domibus sub ritu *duplici minori.* An vi dicti decreti illa Officia Beatorum in Calendario respective Provinciae et coenobiorum inseri possint?

Resp. Primo notandum est in eo decreto agi tantummodo de Beatis solemniter vel aequipollenter beatificatis, non autem de iis quorum cultus tantum sit approbatus a S. Sede. Beatificatio *formalis* est illa in qua praevia formali discussione virtutum, aut Martyrii, et miraculorum, summus Pontifex indulget, ut Servus Dei appelletur, atque in determinato aliquo Regno, Provincia, Religione, aut loco colatur, et ut plurimum quidem, cultu Officii ac Missae in eius honorem. Beatificatio *aequipollens* est illa, in qua rata habita fama virtutum, aut martyrii, et miraculorum, summus Pontifex adprobat sententiam latam a Iudice ordinario vel delegato super cultu immemorabili, ac casu excepto a Decretis Urbani VIII (Bened. XIV, *de Serv. Dei Baetific.* etc. l. I, cap. 42, n. 8). Insuper iuxta antiquissimam Ecclesiae disciplinam, ait idem Bened. XIV (l. I, c. I, n. 16) loquens de iis qui nondum sunt beatificati vel canonizati, permissum non est « unicuique ex arbitrio, quemlibet unum, ut sibi videtur, *publico cultu* tamquam in coelis existentem, et apud Deum intercessorem colere et venerari; sed ecclesiasticum iudicium accedere debet, in quo, visis videndis, statuatur, an hic vel ille publice colendus est » (cf. l. 2, c. I, nn. 8 et 9).

Hisce notatis, respondeo, vi dicti decreti, Beatorum Officia, sive ii sint solemniter vel aequipollenter beatificati,

in Kalendario respective Provinciae vel coenobiorum inseri non posse, quia in dicto decreto sequentia verba adduntur : *Quatenus in Ordinis seu Congregationis Kalendario* (perpetuo nempe) *eis* (Beatis) *ritus tantummodo semiduplex aut simplex fuerit adscriptus*. Ex quibus verbis clare sequitur, quod si dicti Beati in Kalendario (perpetuo) Ordinis seu Congregationis non sint inscripti, de iis Officium in Kalendario Provinciae et coenobiorum, ubi eorum Corpus aut insignis reliquia asservatur, recitari nequit, cum de Beatis, etiam solemniter vel aequipollenter beatificatis, Officium dici nequeat *sine expresso indulto S. Sedis*. In decreto Alexandri VII super Cultu Beatorum, d. 27 sept. 1659 (n. 1130) dicitur : Ubi cultus permissus est, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur. Festum non celebrandum sine speciali indulto. Nomen in Calendariis non apponatur, nisi in locis, ubi cultus cum Officio et Missa celebratur.

Hinc praefatum decretum (d. 22 maii 1914) est solummodo indultum a S. Sede concessum *de ritu*, quocum celebrandi sunt Beati, solemniter vel aequipollenter beatificati, in Provincia et conventibus, ad quam vel ad quos respective pertinent, *casu quo dicti Beati in Kalendario Ordinis inserti sunt sub minori ritu*. Eo enim in casu Kalendarium istud a S. Sede approbatum est, et ipso facto habetur indultum de iis Beatis Officium celebrandi in toto Ordine seu Congregatione, et tunc in coenobiis seu domibus ubi obierunt vel eorum Corpus seu insignis reliquia asservatur, dicti Beati recolendi sunt sub ritu *duplici maiori*, in aliis autem eiusdem Provinciae coenobiis seu domibus sub ritu *duplici minori*.

VI.

De Missa votiva Immaculatae Conceptionis B. M. V. apud Franciscanos.

Ex Hispania. — «Promptuarium Seraphicum», an. 1910, pag. 299, adducens «Acta Ordinis Minorum», tom. XXVI, p. 96, dicit quod Missam votivam de Immaculata Concep-

tione B. M. V. celebrare possunt in Sabbatis... « Sacerdotes III Ordinis etiam saecularis in Ecclesiis Ordinis nostri... et Sacerdotes omnes Sacrum facturi in Ecclesiis et Oratoriis Religiosorum utriusque sexus Kalendario Romano-Seraphico legitime utentium ». Quaer. :

1° An dictum privilegium sit verum, idque Ordini nostro Capuccinorum etiam applicari possit?

2° An Missa votiva *solemnis* de Immaculata Conceptione celebrari possit in Sabbatis Quadragesimae?

3° An nos Capuccini participes simus privilegii, FF. Minoribus Unionis Leonianae concessi, vi cuius ipsi Missam de Immaculata Conceptione celebrare possunt per omnes dies Octavae Immaculatae Conceptionis?

Resp. Ante omnia notandum est quod vi Litterarum Apostolicarum « Septimo iam pleno » Pii Pp. X (fel. rec.), diei 4 octobris 1909, « III. Indulgentiae, gratiae, exemptiones, privilegia omnia quae uni Minorum familiae concessa vel iam sint vel posthac fuerint, ea ipsa ceteris familiis concessa censeantur et sint... ». — IV. Quod « Officia ritualia, quae de Sanctis et Beatis Ordinis sunt, vel ad priva sacra seu *devotiones* attinent, uni familiae concessa, ab aliis quoque familiis, probante generali aut *Capitulo* aut *Definitorio*, adhiberi, nullo alio intercedente indulto, liceat: idem de aliis omnibus privilegiis in re liturgica, uni familiae tributis, fieri licebit ».

Examinemus itaque quaenam indulta concessa sunt uni vel alteri familiae Franciscanae circa Missam votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V.; ex illis enim documentis vera responsa ad quaestiones praedictas dari possunt:

1° Pius Pp. IX, Brevi d. 5 april. 1856, Fratribus Minoribus sequens indultum concessit: «... Auctoritate Nostra Apostolica, per praesentes Litteras de speciali gratia concedimus et indulgemus, ut singuli religiosi viri Sacerdotes subiecti Ministro Generali totius Ordinis Minorum S. Francisci, quolibet die Sabbato, exceptis tamen Sabbatis solemnioribus primae scilicet ac secundae classis et privilegiatis

iuxta Rubricas, Missam votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V. in sui Ordinis Ecclesiis celebrare libere ac licite possint. Volumus autem atque mandamus ut in Ecclesiis ipsis Missa Conventualis, ut vocant, de Officio occurrente numquam omittatur ac reliquae Rubricae serventur. Non obstantibus... contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris » (Vide Bull. Capuc., tom. X, pag. 338) (1).

Iam anno 1770 indultum Apostolicum obtinuerunt Fratres Minores de Observantia celebrandi singulis Sabbatis non impeditis Missam de Immaculata Conceptione B. M. V. Hoc indultum sonat ut sequitur: « Decretum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia ». — Porrectis per R.mum Patrem Fr. Paschalem a Varisio Ministrum Generalem Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Sac. Rituum Congregationi humillimis precibus, quatenus indulgere dignaretur, ut in Ecclesiis universi sui Ordinis celebrari possit singulis Sabbatis « Missa votiva Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis », Sacra Congregatio, ad relationem E.mi et R.mi D.ni Cardinalis Torrigiani Ponentis, gratiam petitam, non omissa tamen celebratione Missae Conventualis cum cantu de Officio occurrente (2), et exceptis Sabbatis solemnioribus primae et secundae classis, Oratori benigne concessit. Die 11 augusti 1770 » (Talia exemplaria extant Romae penes Archivium Ordinis, uti te-

(1) Item Pius Pp. IX, d. 14 iunii 1866, Fratribus Minoribus Capuccinis indulsit, ut Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V. in Sabbatis celebrare possint iuxta concessionem factam Ordini Minorum de Observantia, « Servatis tamen clausulis et limitationibus in memorato indulto die 5 april. 1856 comprehensis ». (V. *Bull. Capuc.*, tom. X, pag. 517).

(2) S. R. C. d. 19 iunii 1773 (n. 2495) declaravit: « Gratiam concessam nullam inducere obligationem cantanti Missam conventualem, ubi ea obligatio non sit nec esse debeat, iuxta Constitutiones Apostolicas ».

statur P. Petrus Mocchegiani, *Iurisprud. Eccles.* tom. III, n. 1040).

2° Pius Pp. IX d. 8 april. 1875 « de speciali gratia supraenuntiatum privilegium (diei 5 april. 1856) extendere dignata est ad illos solummodo Alumnos Ordinis memorati (Minorum de Observantia), qui in locis Missionum inter infideles degentes, vel sub dio celebrant, vel in privatis Sacellis, vel etiam in Oratoriis publicis et in Ecclesiis, in quibus tamen non adsit vel Clerus, vel saltem unus Sacerdos, qui eiusdem Ecclesiae servitio sit fixe addictus ». (Vide *Acta. Ord. Minor.*, an. I, pag. 83: *Bull. Capuc.*, tom. X, pag. 680 (1).

3° S. R. C. d. 20 iulii 1882, ad instantiam P. Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum, privilegium a Pio Pp. IX sub die 5 april. 1856 eidem Ordini concessum, extendere dignata est ad Cappellanos Ecclesiarum Sanctimonialium Clarissarum, i. e. secundi Ordinis Minorum « verum excepta Conventuali Missa, quae Officio diei respondens semper esse debet ac servatis Rubricis » (Vide *Act. Ord. Min.*, an. II, p. 192).

4° Pius Pp. X, d. 9 decembris 1903 privilegium celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione in Sabbatis extendit ad Ecclesias cuiuslibet familiae religiosae Kalendario Romano-Seraphico utentis: « ... Quo cultus et pietas erga eamdem Immaculatam Deiparam magis magisque foveatur inter Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis, R.mus P. Bonaventura Marrani, Procurator Gene-

(1) S. R. C. d. 26 mart. 1904 privilegium nobis Capuccinis anno 1886 concessum extendere dignata est « ad Sacerdotes quoque Capulatos, qui inter infideles, vel haereticos aut schismaticos Missionariorum munere perfunguntur, in quavis Ecclesia, vel publico, aut privato Oratorio Sacrum facturos,... dummodo in Ecclesia vel publico Oratorio non legatur alia Missa de Officio occurrente: exceptisque Sabbatis iuxta Rubricas privilegiatis, necnon duplicis I vel II classis, et quolibet Deiparae Virginis festo, servatis Rubricis » (V. *Anal. Ord. Capuc.*, vol. XX, pag. 143).

ralis Ordinis Minorum... enixis precibus rogavit, ut enunciatum Missae votivae privilegium benigne extendere dignaretur etiam « ad Ecclesias Monialium Tertii Ordinis, et Regularium Familiarum, quae Kalendario Romano-Seraphico legitime utuntur: ita ut cuilibet Sacerdoti in ipsarum Ecclesiis vel Oratoriis Sacrum facturo memoratam Missam votivam de Immaculata B. Mariae Virginis Conceptione Sabbatis diebus liceat celebrare.

« Sanctitas porro Sua, referente infrascripto S. R. C. Secretario, petitam supradicti privilegii extensionem clementer indulgere dignata est; sub iisdem tamen exceptionibus et clausulis in Apostolico indulto *(d. 5 april. 1856)* atque in memorato S. R. C. decreto *(d. 20 iulii 1882)* appositis: servatis Rubricis ac Generali Decreto diei 9 decembris 1895 » (V. *Act. S. Sedis,* vol. XXXVI, p. 487, et P. Mocchegiani, *Iurisprud. Eccles.*, vol. III, p. 563; item ap. *Act. Ord. Min.*, ann. XXIII, p. 12).

S. Rit. Congregatio, die 14 martii 1906, ad instantiam R.mi P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, privilegium ex Apostolico indulto diei 14 iunii 1866 suo Ordini largitum, quo in Ecclesiis ipsiusmet Ordinis singulis per annum Sabbatis non impepitis festo duplici I aut II classis, vel aliquo festo aut Octava Deiparae Virginis, necnon Vigilia aut octava privilegiata, Missam votivam de Immaculata B. V. M. Conceptione fas est celebrare, de Apostolica benignitate extendit ed Ecclesias et Oratoria Monialium Capuccinarum II vel III Ordinis et Religiosarum Congregationum, quae in Horis Canonicis persolvendis Calendario memorati Ordinis legitime utuntur, sub iisdem limitationibus et clausulis in enuntiato indulto appositis: servatis Rubricis (Vide Anal. Ord. Cap., vol. XXII, pag. 165).

Nota. — Privilegium Missae votivae de Immaculata Conceptione B. M. V., Ordini Minorum Capuccinorum concessum et extensum ad Ecclesias et Oratoria Religiosarum Congregationum, quae in Horis Canonicis Calendario praefati Ordinis legitime utuntur, afficit etiam eas Congrega

tiones quae praefati Ordinis Calendario utuntur quoad Missam, sed loco Horarum Canonicarum recitant Officium parvum B. M. V., iuxta decr. n. 4132 Ord., Fratr. Minor., 15 april. 1904 ad I (S. R. C. d. 25 maii 1906, n. 4185).

5° « Insuper Adm. R. P. Procurator Generalis Ordinis Minorum petiit a Summo Pontifice:

a) Ut Sacerdotes etiam saeculares, tertio Ordinis S. Francisci adscripti, qui Calendario Romano-Serafico utuntur, quoties vel in privato Oratorio vel in Ecclesiis trium Ordinum S. Francisci Sacrum faciant singulis per annum Sabbatis Missam votivam de Immaculata B. Mariae Virginis Conceptione legere valeant, prouti Alumnis vel Cappellanis trium Ordinum Regularium permittitur; quemadmodum nempe Sacerdotibus tertii Ordinis Praedicatorum conceditur Feria IV et Sabbato per annum, etiam festo duplici minori ac maiori impeditis, Missam SS.mi Rosarii « *Salve, Radix* » iisdem in casibus celebrare ».

b) « Ut Sacerdotes e primo ac tertio Ordine Regulari S. Francisci Sacrum facturi in Oratoriis privatis extra Coenobium positis sicuti Calendarium Romano-Seraphicum possunt ac debent adhibere, ita valeant Missam votivam de Immaculata B. Mariae Virginis Conceptione celebrare, prouti in Ecclesiis ipsius Ordinis conceditur; ne secus, ac praesertim Religiosi extra Coenobium rem divinam oblaturi, eodem uti privilegio impediantur, ipsis admodum salutari.

« Sanctitas porro sua benigne annuere dignata est pro gratia iuxta preces. Die 22 martii 1905 ». (Vide Act. Ord. Minor., an. XXIV, p. 200, et P. Mocchegiani, *Iurisprud. Eccles.*, t. III, p. 564).

6° Demum ut tam in Ecclesiis Ordinis Minorum quam in aliis Calendario Romano-Seraphico legitime utentibus, diebus Vigiliae atque infra Octavam Immaculatae Conceptionis Deiparae, Missae omnes, praeter Conventualem, celebrari valeant de eadem Immaculata B. Mariae Virginis Conceptione, S. Rit. Congregatio d. 20 ianuarii 1905 benigne indulsit, exceptis duplicibus I et II classis, ac Do-

minicis privilegiatis, in quibus unica Missa solemnis de Immaculata B. Mariae Virginis Conceptione decantetur, Missa Conventuali Officio diei respondente numquam omissa: servatis Rubricis (Vide Act. Ord. Minor., an. XXIV, pag. 112, et P. Mocchegiani, *Iurisprud. Eccles.*, tom. III, pag. 565).

Ex praedictis documentis manifeste patet:

I. Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V. celebrare valent, quolibet Sabbato, exceptis Sabbatis dupl. I et II classis et diebus privilegiatis iuxta Rubricas, nec omissa Conventuali ubi adest Chori obligatio:

a) Singuli Sacerdotes Franciscani, respective subiecti sui Ordinis Ministro Generali, in suis Ecclesiis Ordinis;

b) Alumni I Ordinis S. Francisci, inter infideles, haereticos aut schismaticos Missionariorum munere fungentes, in quavis Ecclesia vel publico aut privato Oratorio, dummodo in Ecclesia aut publico Oratorio non alia Missa de festo occurrente legatur;

c) Quilibet Sacerdos Sacrum facturus in Ecclesiis vel Oratoriis Monialium II vel III Ordinis S. Francisci et Religiosarum Congregationum, quae Kalendario respective Franciscano legitime utuntur, etsi ipsae Religiosae Officium B. M. V tantum recitent;

d) Sacerdotes saeculares III Ordinis S. Francisci, Kalendario Franciscano utentes, quoties in privato Oratorio vel in Ecclesiis trium Ordinum S. Francisci Sacrum faciant;

e) Sacerdotes I et III Ordinis regularis S. Francisci Sacrum facturi in Oratorio privato extra Coenobium.

II. Omnes Sacerdotes, Sacrum facientes sive in Ecclesiis ad Ordinem S. Francisci pertinentibus sive in aliis Kalendario Franciscano legitime utentibus, celebrare possunt Missam de Immaculata Conceptione B. M. V. diebus Vigiliae atque infra Octavam Immaculatae Conceptionis, exceptis duplicibus I ac II classis ac Dominicis privilegiatis, in quibus unica Missa solemnis de Immaculata B. M. V. Conceptione decantetur, Missa Conventuali de Officio occurrente non omissa.

Hisce omnibus notatis et rite examinatis, ad praedicta quaesita :

Resp. Ad I.m Affirmative, praedictum privilegium est verum, nimirum :

a) Quod Sacerdotes III Ordinis S. Francisci, etiam saecularis, qui Kalendario respective Franciscano (prout ipsi subiecti sunt) utuntur, Missam votivam de Immaculata B. M. V. Conceptione celebrare possint in Ecclesiis Ordinis nostri quolibet Sabbato, exceptis excipiendis; vide supra indultum n. 5, *a*) allatum.

b) Quod Sacerdotes omnes Sacrum facturi in Ecclesiis et Oratoriis Religiosorum utriusque sexus, Kalendario respective Franciscano (scilicet illius familiae cui subiecti sunt) utentes, eamdem Missam votivam celebrare valeant; vide supra indultum n. 4, allatum.

Quod autem praedicta privilegia etiam Ordini nostro Capuccinorum concessa censeantur, hoc clare patet ex litteris Apostolicis Pii PP. X d. 4 octobris 1909, supra in initio notatis, ubi dicitur : « Indulgentiae... privilegia omnia quae uni Minorum Familiae concessa... ea ipsa ceteris familiis concessa censeantur et sint... ».

Cum autem hic agatur de privilegiis *in re liturgica*, quis forsan petet : nonne pro eiusmodi privilegiis, antequam ea applicari possint Ordini nostro Capuccinorum, necesse sit, ut prius respetive *Capitulum* vel *Definitorium Generale* eorum usum approbet pro suo Ordine ? Ad hoc respondeo, quod eiusmodi approbatio, uti ibi indicatur, requiratur, si agatur de Officiis de Sanctis et Beatis in Kalendario Ordinis inserendis vel de devotionibus particularibus in Ordine introducendis, quilibet intelliget eiusmodi approbationem necessariam esse. Sed quod eiusmodi approbatio etiam requiratur ut Sacerdotes III Ordinis S. Francisci in Ecclesiis nostris, vel alii Sacerdotes in Ecclesiis et Oratoriis II et III Ordinis Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V. celebrare valeant, nemo, ut mihi videtur, supramemorata verba in tali sensu accipiet vel accipere potest.

Resp. Ad II^m Cum circa hanc Missam solemnem de Immaculata Conceptione B. M. V. in Sabbatis per annum nullum particulare S. Sedis indultum in Ordine Franciscano existat, idcirco dicta Missa quantumvis solemnis, si re non gravi et ex causa non publica celebretur, censeri debet uti mera Missa votiva privata de Immaculata Conceptione, et consequenter quoad dies quibus ea permissa est iisdem conditionibus ac illa privata subiiciatur. Quoad autem modum eam celebrandi, si Chorus adsistat, vide decretum generale S. R. C. d. 30 iunii 1896, IV, n. 3923. Notandum tamen est quod infra Octavam festi Immaculatae Conceptionis B. M. V., si occurrat aliquod duplex I vel II classis vel Dominicae privilegiatā, S. R. C. d. 20 ianuarii 1905 permisit unicam Missam solemnem de Immaculata Conceptione, non omissa Conventuali de Officio occurrente.

Resp. Ad III. Uti patet ex praedictis, nullum dubium existere potest, quin Fratres Minores Capuccini participes sint illius privilegii, de quo est quaestio.

VII.

An in primis Vesperis alicuius Festi Beatae Mariae Virginis, de quo fit solummodo Commemoratio, huius conclusio « Iesu, tibi sit gloria » dicenda sit?

Resp. Casus accidit die 23 septembris huius anni: die 24 septembris est Dominica; fit ergo Officium de ea cum commemoratione B. Mariae de Mercede. Officium autem dominicale in I Vesperis non habet conclusionem propriam. Quaestio nunc est, utrum die 23 septembris, in Sabbato ad Vesperas, conclusio propria B. M. V. dicenda sit? — Plura Kalendaria annualia quae consului dicunt tantum: *Ad completorium et per totum crastinum hymni concluduntur ut in festis B. M. V.* Iuxta ea itaque Kalendaria conclusio propria B. M. V., cuius commemoratio tantummodo fit in Vesperis Sabbati, non videtur esse dicenda in iis Vesperis.

Iuxta novam autem Rubricam Psalterii, tit. VIII, n. 1,

nullum dubium esse potest quin in dictis Vesperis Sabbati ea conclusio B. M. V. sit dicenda. En tenor huius Rubricae: « Quod si Officium diei careat conclusione et versu propriis, sumuntur conclusio et versus, quae sint propria Officii primo loco inter cetera conclusionem aut Versum proprium habentia commemorati, ita tamen, ut neque in I aut II Vesperis, neque ad Completorium eas respective sequens adhibeatur conclusio alicuius Festi aut diei Octavae simplicis, aut S. Mariae in Sabbato, *si de eis ad ipsas Vesperas omittenda sit commemoratio* ». Ex quibus verbis clare sequitur: quod si commemoratio alicuius Festi conclusionem propriam habentis fiat in I vel II Vesperis Festi, quod conclusionem propriam non habet, in iis Vesperis et Completorio sequenti conclusio propria Festi commemorati sit adhibenda.

VIII.

De translatione Imaginis Mysterii ab Altari maiori, cuius nomini dedicata est Ecclesia.

In quadam Ecclesia Imago Crucifixi *dell' Agonia,* cui nomini dedicata est Ecclesia, translata fuit ab Altare maiori de consensu Episcopi ad aliud Altare laterale eiusdem Ecclesiae, credendo in hoc novo Altare hanc imaginem habituram cultum maiorem. Quaeritur:

1° Utrum haec translatio legitime facta fuerit, saltem in casu quo Altare maius non sit consecratum?

2. In casu negativo, quid faciendum sit, praesertim cum pro illo novo Altari pia foemina magnos fecerit sumptus et Episcopus Dioecesis illi translationi benigne annuerit?

Resp. Ante omnia notandum est quod Titulus seu Titularis Ecclesiae « is dicitur sub cuius nomine seu titulo Ecclesia fundata est et a quo appellatur » (S. R. C. 9 maii 1857, n. 3048). « Hic (titulus seu Sanctus), ut observat Guyetus, est relate ad Ecclesiam, quod est in homine baptizato nomen quod imponitur, ita ut a Sancti (seu Mysterii) titulo quo nun-

cupatur, Ecclesia illa ab aliis Ecclesiis veluti proprio nomine dignoscatur » (Ita Gardell. in Suffrag. IV Vol. Decret. authent., pag. 366).

Nihil impedit, ait cl. F. V. D. Stappen (Tom. I *De Hor. Canon.*, q. 220) nixus super S. R. C. decretis, nomen seu titulum dare Ecclesiis non solum Sancti, sed et Personae Divinae vel Mysterii, vel Rei Sacrae, et ita Ecclesiarum Titulares constitui possunt Ss. Trinitas, Spiritus Sanctus, Ss. Salvator, Ss. Sacramentum Corporis Christi, Ss. Cor Iesu, S. Crux et similia. Beati vero numquam constitui possunt Titulares, nisi ex indulto speciali S. Sedis Apostolicae (S. R. C. 23 ian. 1740, n. 2353).

« Titularis, ait idem cl. auctor cum aliis liturgistis, regulariter eligitur in benedictione primarii lapidis pro aedificanda Ecclesia ; cum autem Ecclesia benedicitur (i. e. solemniter iuxta Rituale Rom.), aut consecratur, tunc Titularis reapse cónstituitur »,

Antiquitus solae verae Ecclesiae consecratae vel saltem solemniter benedictae celebrabant festum titulare sub ritu duplici I classis cum Octava. Nunc vero iuxta S. R. C. decretum generale d. 5 iunii 1899 (n. 4025) non solum Ecclesiae, sed etiam Oratoria publica, imo et semipublica, sive sint consecrata sive solemniter benedicta, debent celebrare festum titulare sub ritu duplici I classis cum Octava (Cf. *Ephemer. Liturg.*, an. 1899, pag. 694). In eodem autem decreto « S. Rit. Congregatio mandat, ut nullum ex Oratoriis *privatis* consecretur, aut benedictione donetur solemni, quae in Rituali Romano legitur ; sed ea tantum formula benedicatur, quae pro domo nova aut loco in eodem Rituali habetur » (1).

(1) Hinc notamus cum cl. Dr. P. Piacenza (in suo opere *Praelectiones de S. Liturgia,* n. 162), « quod licet *Titulus,* vel *Titularis,* recte dicatur Sanctus vel Mysterium quibus dedicatur Altare, nihilominus iura et privilegia titularis gaudeat tantummodo Titularis Ecclesiae, dicente Rubrica (IX, 3), festum fieri Tituli Ecclesiae, *non autem alicuius capellae vel Altaris eiusdem Ecclesiae ...* ».

Cum itaque unaquaeque Ecclesia et quodlibet Oratorium (publicum seu semipublicum) ab illius Sancti vel Mysterii nomine, cui dedicatum fuit in consecratione vel solemni benedictione, suam accipiat appellationem, et sicut nova Ecclesiae vel Oratorii dedicatio, stante integra priori dedicatione, inanis omnino est, ita inanis, imo et iniuriosa esset Titularis mutatio. Hinc est quod S. R. C. decrevit n. 2719 ad 2, quod Titularis Ecclesiae ab Episcopo immutari nequeat (Vide Gardell. Suffrag., vol. IV, pag. 341). Item alio decreto eadem S. Congregatio decernit, quod Titulo Ecclesiae semel assignato non liceat eum amplius immutare (n. 2893 ad 1); potest tamen addi Contitularis de licentia summi Pontificis (ibid. ad 2).

Hisce notatis de *Titulo* alicuius Ecclesiae seu Oratorii consecrati vel saltem solemniter benedicti, examinemus nunc quaestionem *de imagine Altaris maioris*, cuius nomini Ecclesia vel Oratorium dedicatum est; utrum nempe dicta imago renovari vel substitui possit de licentia Ordinarii loci?

Resp. Pauci sunt liturgistae qui de hac quaestione explicite locuti sunt, et ego confiteri debeo, quod si S. Rituum Congregatio de hoc puncto nihil decrevisset, difficile esset aliquid certum de eo statuere; nam quo argumento quis probare posset talem imaginem vel statuam in eiusmodi Ecclesia vel Oratorio de necessitate in Altari maiori collocandam esse? Quot enim extant Ecclesiae et Oratoria adhuc hodiedum quae sunt consecrata vel solemniter henedicta, quae non habent in Altari maiori imaginem vel statuam Sancti vel Mysterii, cuius nomini dedicata est Ecclesia vel Oratorium? Et si eiusmodi imago vel statua non sit de necessitate in Altari maiori, quare illa removeri seu transferri non possit, si habeatur? In deficientia autem liturgistarum, S. R. Congregatio de hoc puncto satis clare locuta est. Habentur circa hanc quaestionem tria huius Congregationis decreta, quae hic allegenda et examinanda sunt:

a) In I° decreto ex parte Congregationis Missionis

Provinciae Neapolitanae exponitur, quod nulla extet imago in Ara principe, Ecclesia autem in ipsa consecratione fuerit Deo in honorem S. Nicolai Tolentinatis dicata, et postulatur ut ibidem collocari valeat imago Beatae Mariae Virginis Conceptionis. Et S. Congregatio respondit: « Negative, et apponatur imago S. Nicolai Titularis » (Die 27 augusti 1836 ad 5 et 7, n. 2752).

b) In II° decreto eadem Congregatio Missionis iteratis precibus S. Rit. Congregationi exponit, quod S. Nicolaus Tolentinas veneratur et colitur in apposita aedicula. Quapropter supplicat enixe, ut in ipso maiori Altari apponi possit dicta Imago Conceptionis Deiparae. Sacra autem Rit. Congregatio respondit: « Relinquatur Imago Sancti Nicolai propria in aedicula, sed in Ara maiori ponatur icon illius Sancti, in cuius honorem est consecratus » (Die 11 mart. 1837, n. 2762).

c) In III° decreto petitur: « III. Num absque indulto Apostolico, et auctoritate tantum ordinaria, titulus Altaris fixi commutari possit cum altero titulo v. g. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si negative, num saltem super Altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu, loco imaginis S. Sebastiani, tituli Altaris? » Et

« IV. Sufficitne ut imago tituli Altaris fixi in tabula picta retro post Altare in fenestra applicetur? »

Et S. Rit. Congregatio respondit: « Ad III. Negative ad utrumque, iuxta decretum n. 2752 Congregationis Missionis, 27 aug. 1836 ad V et VII. Ad IV Imagines in vitris fenestrarum depictae nihil cum Altari commune habent, et tituli imago super Altari absolute non praecipitur. Si tamen quaedam esset apponenda Altari fixo, imago tituli apponatur » (Die 10 decembris 1906, n. 4191).

Ex dictis decretis sequentia deduci possunt:

1° Tituli imago super Altari, licet fixo et consecrato, absolute non praecipitur; si tamen quaedam eiusmodi Altari esset apponenda, imago tituli apponatur.

2° Imago tituli, cui Ecclesia seu Oratorium est dedicatum, ab Altari maiori absque indulto Apostolico removeri, vel alia imagine substitui nequit; et si factum fuerit, haec vel altera similis imago dicti tituli restituenda seu apponenda est.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. Cap.

Consultationes.

Ex Augusta Taurinorum. — I. Caeremoniale Episcoporum, lib. 2, c. 14, n. 5, in die Nativitatis Domini, ait: « Praeintonatur hymnus *Iesu Redemptor omnium* etc., quem, dum Episcopus repetit, elevat, et iungit manus, caput versus altare inclinans, ob reverentiam divinae Incarnationis », haec praxis tenenda est tantum exclusive in intonatione huiuscemodi hymni, an etiam et aliorum?

Resp. Si hymnus per invocationem inchoetur, verbi gratia: *Veni, creator Spiritus; Deus, tuorum militum; Salutis humanae Sator,* tunc celebrans, dum praeintonationem seu invocationem repetit, ut praescriptum est de hymno *Iesu, Redemptor omnium,* iuxta aliquos extendit, elevat et iungit manus caputque versus altare inclinat ob reverentiam divinae invocationis. Cfr. Gavantus Thesaur. Sacr. Rituum, sect. X, cap. 3, n. 15; Bauldry part. 2., cap. II, art. 1, n. 25; De Herdt Prax. Pontif. lib. II, cap. 3, n. 44. Quia Caerem. Episc. loc. cit. in die Nativitatis Domini ita praecipit; nullibi autem hoc generaliter praescribitur (Caer. Epp. lib. I, cap. XIX, *Ordo et modus inugendi* etc.) et proinde ad alios casus, nisi forte ex consuetudine, non extenditur (De Conny, liv. 2, c. 8).

II. Caerem. Episcoporum lib. I, cap. XXI, n. 3, praescribit: « In Missa solemni, quae non ab Episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli fiunt..... quarto (loco) et ultimo, paulo antequam Celebrans dicat *Per omnia saecula etc.,* ante *Pax Domini etc.,* (canonici) iterum veniunt ad circulum, ut dicant cum Episcopo *Agnus Dei, etc.* Et tunc, dum veniunt ad circulum, et dum discedunt, ambobus genibus versus altare genuflectant propter reverentiam Ss. Sacramenti, quod est super eo ». Quaeritur: Genuflexio ad Sacramentum facienda est utroque genu, vel unico genu?, et in ipso casu reverentia ad Episcopum facienda est vel omittenda?

Resp. Expedit singillatim de utraque caeremonia sermonem facere et

I. *De genuflexione:* Ante Ss. Sacramentum expositum genuflectendum est utroque genu (S. R. C. 19 aug. 1651, n. 937[6]; 7 maii 1746, n. 2390[4]; Gardell. instruct. Clem. § 7, n. 7); sed unico genu genuflectendum est ab ingredientibus chorum vel transeuntibus ante altare post consecrationem usque ad communionem. S. R. C. ad petitionem: « Genuflexio quae fit coram Ss. Sacramento exposito tam in Missa, quam in Oratione quadraginta horarum, ceterisque functionibus quando fieri debet unico genu, et quando utroque, tum a celebrante tum a ministris, vel alio qui exponit, et reponit? » decrevit: « In accessu, et recessu utroque genu, intra Missam unico genu: pro reliquis functionibus consulantur Rubricistae » (D. 12 nov. 1831, n. 2682[49]). In casu de quo hic agitur, accedendo ad circulum, ait cl. De Herdt, proprie acceditur ad sedem episcopalem, et altare tantum transitur, praecipue dum sedes episcopalis ab altari longius est remota, vel dum altare est sub tribuna et sedes episcopalis ex opposito. In transitu autem altaris a consecratione usque ad communionem genuflectitur unico tantum genu, quia cum Sacramentum sit absconditum ob sacerdotem celebrantem, est in illo altari, quasi esset in tabernaculo. Quidquid tamen sit, sequendum est in casu, ait cl. De Herdt, sequendum est in casu praesenti Caeremoniale Episcoporum, in quo accedendo ad circulum post consecrationem genuflexio utriusque genu expresse praescribitur. Ad rem cl. Martinucci (lib. V, cap. VIII, art. 1, n. 170, 171) ait: « Episcopus recitabit *Agnus Dei* cum canonicis, quos postea benedicet; ipsi autem iterata reverentia ad Episcopum et genuflexione utroque genu ad Sacramentum, ad sua subsellia revertentur ». Idem Auctor, lib. V, c. 8, art. 1, n. 164 eandem sententiam tenet quoad Episcopum: « Peracta Hostiae et calicis elevatione, assurget Episcopus, et sublevantibus ei fimbrias pluvialis diaconis assistentibus, genuflectit utroque genu ad Ss. Sacramentum, quod aderit super altari, idemque

exequentur Diaconi assistentes et cappellani qui erunt cum ipso ». Ad laudatum Auctorem, cl. Menghini sic commentatur: « Regulae ordinariae potius standum esse videtur, genuflexionem Sacramento post Missae consecrationem supra altari existenti unico genu faciendi; exceptio habetur in Caerem. Episcoporum lib. I, c. XXI, n. 3, ut seqq. nn. 170, 171 ». Hanc sententiam nonnulli auctores tenent, nixi etiam decreto S. R. C. 4 novembris 1904 *Carpen.*, quod ita se habet: « Utrum in Missa solemni coram Episcopo celebrata Canonici venientes ad circulum et ab illo recedentes ad *Agnus Dei*, utroque genuflectere versus altari debeant, vel debeant et possint genuflectere unico genu?» Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, atque audita sententia commissionis liturgicae, rescribere rata fuit: « *Affirmative* ad primam partem, nisi ex consuetudine obtinuerit genuflexio simplex, iuxta decretum *Rhemen.* 20 maii 1904; et quoad secundam partem provisum in prima ».

II. *De reverentia:* Quamvis S. R. C. decr. 13 martii 1700, n. 2049 ad 1, responderit in casu, quo Ss. Sacramentum super altare maius diametraliter ante chorum, sed in notabili distantia situm, expositum reperitur, solitas Episcopo faciendas esse salutationes; postea tamen generaliter rescripsit coram Ss. Sacramento publicae venerationi exposito *nemini deberi reverentiam* (31 augusti 1793, n. 2544). Quapropter in voto ad decretum 12 septembris 1857, n. 3059, XXVII, dicitur, iuxta praxim communem salutationes omitti ab elevatione Missae ad communionem, et in Missis aliisque officiis divinis, quae coram Sanctissimo exposito peraguntur (Cfr. De Herdt, Caer. Episc. lib. I, c. 18, n. 155). Exposito igitur Ss. Sacramento omittendae sunt omnes salutationes chori, et etiam inclinationes ac genuflexiones ante Episcopum in accessu, recessu vel transitu, non tamen illae reverentiae quae fiunt v. gr. ad incensationem, ad pacem dandam aut ad aliquid ministrandum, quae potius ritus quam honoris ratione fiunt.

Hisce praemissis quid dicendum de rubrica Caeremo-

nialis Episcoporum quoad genuflexiones utroque genu in casu, et de doctrina super exposita cl. Martinucci eiusque reformatoris cl. Menghini, nec non de decreto citato, 4 novembris 1904 *Carpen.?* et quid de reverentia canonicorum ante et post *Agnus Dei?*

a) Rubrica Caeremonialis Episcoporum non videtur obligare. Similiter in vesperis solemnibus, ex eodem Caeremoniali (lib. II, cap. III, n. 10), videretur utroque genu genuflectendum esse cum ad altare reditur, *Magnificat* praeintonato; sed hic locus, aliis cohaerenter mutandus esse putatur: in praxi enim genuflexio unico genu super infimum gradum, ab Episcopo et a ministris suis fit. Cur in casu nostro, a principiis recedendum esset, scilicet ab Episcopo post elevationem et canonicis ante et post recitationem *Agnus Dei* genuflectendum esse utroque genu, non autem simpliciter unico genu?

Auctores recentiores, qui post promulgationem decreti *Rhemen.* scripserunt, docent genuflexionem unico genu faciendam esse. Audiatur cl. Schober (Cap. V, art. XII *de Assistentia Episc. in Missa solemni*, n. 4): « Elevatione peracta, surgit Episcopus cum Assistentibus..., ac genuflectit cum eisdem unico genu ». Et in nota: « Martinucci lib. V, cap. VIII, art. I, n. 164, vult ut Episcopus *utroque genu* flectat; sed recte dicit Solans (Parte III, cap. VIII, n. 1319) hanc genuflexionem unico genu esse faciendam; nam Sacramentum super altare positum considerari potest sicut absconditum in tabernaculo ». Idem cl. Auctor n. 5: « Initio *Pater noster*, canonici descendunt de stallis suis et vadunt in medium chori ad circulum efficiendum, genuflectunt tamen prius *unico genu* versus altare et deinde ad Episcopum accedunt etc. ». Cl. Beniaminus Favrin (*Prax. solemn. funct. Episcoporum* Cap. VII, loc. cit.): « Canonici circulum faciunt, genuflectentes unico genu versus altare, etc. ».

Decretum S. R. C. die 4 novembr. 1904 evulgatum in *Carpen.* confirmare videbatur praescriptum Caeremonialis Episc. quoad genuflexionem *utroque genu*, nisi ex consuetu-

dine obtinuerit genuflexio simplex, iuxta decretum *Rhemen.*; sed allatum decretum *Carpen.* a collectione authentica decretorum exulavit non autem decretum *Rhemen.*, quod suspicare permittit principiis potius standum esse praescriptione Caeremonialis relicta.

b) Quoad reverentiam vero canonicorum Episcopo faciendam ante et post recitationem *Pax Domini,* cum bona venia cl. De Herdt, qui ab elevatione Missae ad communionem, nullam salutationem, ut supra dictum est, Episcopo admittit, minime assentimur. Iuxta praxim communem omnes fere auctores liturgici admittunt aliquas reverentias, praeter enunciatas ab eximio auctore, sive Ss. Sacramento exposito, sive praesente Episcopo; sive feria VI in Parasceve. Dum ministri sacri et clerici servientes immediate ante celebrantem praedictis in casibus transeunt, reverentim celebranti faciendam docent, et merito. Si autem ita res est, cur in casu nostro, canonici ad circulum faciendum coram Episcopo, ipsi reverentiam omittere debent? Auctores veteres recentioresque in hoc concordes sunt, admittunt reverentias Episcopo ante et post recitationem *Agnus Dei;* et ideo sententiam cl. De Herdt sine formidine errandi reiicere fas est.

Ex Sarzana. — Iuxta Rituale Romanum, a S. P. Pio X castigatum et auctum, in oratione post administrationem ss. Eucharistiae, sive infra annum, *Deus, qui nobis, etc.*, sive tempore paschali, *Spiritum nobis, Domine, etc.*, conclusio longa dicenda est. Quaeritur tamen in conclusione orationis *Spiritum nobis, Domine,* tempore paschali, dicendum est..... *in unitate eiusdem Spiritus sancti, etc.*, an simpliciter *in unitate Spiritus sancti?* Nempe in ipsa oratione fit directa mentio Spiritus sancti, an non?

Resp. Si in oratione fiat mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur: *in unitate eiusdem Spiritus sancti.* Ad hoc autem requiritur, ait cl. De Herdt, 1° ut eius mentio fiat in ipsa oratione quae concluditur: si enim in una ex praecedentibus orationibus, quae sub una conclusione termi-

nantur, mentio Spiritus sancti habeatur, non autem in ultima, conclusio fit more solito: *in unitate Spiritus sancti,* sine addito eiusdem, iuxta decretum S. R. C. 23 maii 1835, n. 2724. Ad quaesitum: « Quando in Missa vel Officio, dicuntur plures orationes sub unica conclusione, et in prima oratione vel secunda, non autem in ultima, nominatur Spiritus sanctus; an in conclusione dici debet *in unitate eiusdem Spiritus sancti, etc.?* » respondit: « Negative ». Requiritur 2° ut mentio illa directe significet Spiritum sanctum, ut patet ex decretis S. R. C. diei 12 nov. 1831, n. 2682 ad 45. Ad quaesitum: « In aliquibus breviariis et missalibus oratio s. Iuliani et s. Fidelis a Sigmaringa Mart.: postcommunio s. Ioannis Nepomuceni, s. Bernardini, s. Hieronymi Aemiliani, sanctae Ioannae Franciscae, s. Ianuarii, octavae Passionis Domini nostri Iesu Christi, feriae IV post dominicam secundam quadragesimae in vesperis concluduntur: *in unitate Spiritus sancti;* an nomen *Spiritus* quod in iis orationibus legitur indicet revera Spiritum sanctum; et ideo quomodo sint concludendae? » respondit: « Negative, ad primam partem; ideoque quoad secundam: More solito concludendae », sine addito *eiusdem.* Sic etiam vox eiusdem in missalis typica editione omissa est in postcommunione feriae sextae post feriam quartam cinerum, in secunda oratione quae in benedictione fontis ante praefationem dicitur, in postcommunione sanctae Franciscae de Chantal, in oratione pro praelatis et congregationibus eis commissis, in communione pro concordia in congregatione servanda, nec non in oratione missae in sabbato sancto, et in postcommunione dominicae paschatis, quibus duobus casibus oratio indentica dicitur, quae et in communione fidelium tempore paschali. Pretium tamen operis est, ad notitiam historicam ferendam, quod ipsa oratio *Spiritum nobis, Domine,* in veteribus missalibus scilicet ante S. Pium V editis, necnon in ipsis missalibus iussu eiusdem Pontificis reformatis, conclusio orationis ita habetur: *Per Dominum nostrum Iesum... in unitate eiusdem Spiritus sancti.* Mens ergo auctoris ipsius

orationis, sub verbis *Spiritum tuae caritatis*, videtur intelligere voluisse, non simpliciter spiritum amoris, sed ipsum caritatis Auctorem, scilicet tertiam augustissimam Personam sacrosanctae Triadis. D.

Ex Brixiensi dioecesi. — In quadam ecclesia, unicum altare, quod fixum putabatur, ex eo quod ecclesia consecrata erat, est quidem ex lapide, sed variis compositum partibus, cum parva ara in medio. Pro casu simili, S. Rituum Congregatio, n. 4227, III, respondit: *Orator acquiescat.* Haec ecclesia consecrata est anno 1517, et praesumitur altare una cum ipsa fuisse consecratum. Quid tenendum?

Resp. S. Congregatio, ad primum quaesitum, de altaribus consecratis uti fixis, cum mensa e pluribus lapidibus simul iniunctis, respondit *pro gratia sanationis*, dummodo sepulcrum esset integrum ex lapide. Hic erat casus de consecratione peracta adhibita tota mensa tamquam unico lapide, quod unicum de facto non erat, unde sanatio defectus concessa est. In secundo quaesito, quod ex errore rev. Inquirens numerat III (tertium revera agit de altari cum Reliquiis positis in basi ex lateribus coctis), exponebatur quidem esse mensam ex pluribus simul lapidibus, sed lapidem quadratum in medio positum, continere Reliquias, ad instar parvae arae, vulgo *pietra sacra*. Hic modus exponendi casum manifestum fecit, lapidem illum parvum tamquam obiectum singulare, seu mensam, consecratum fuisse, et non iunctim cum ceteris partibus, quibus constabat mensa, quae in casu partem stipitis constituebat (1); quia secus redibat casus iam in primo quaesito expositus. Unde differentia in responsione, ut scilicet, in secundo casu, orator acquiesceret, supponens consecrationem factam esse uti facienda est pro altaribus fixis, esto quod non omnino regulariter. Et revera illud *acquiescat* significat quandam indul-

(1) Potest enimvero basis altaris cum parte mensae, quae circumdet lapidem centralem, efformare unicum stipitem, qui complectatur, potiusquam sustentet lapidem centralem seu mensam.

gentiam pro re aliquatenus irregulari. In casu praesenti, videtur posse idem ratiocinium fieri, quod nempe altare consecratum sit in ara parva, sed uti fixum.

Inspiciatur tamen attentius, utrum characteres extent de antiqua consecratione, ita ut reipsa, serio scilicet, praesumi possit altare consecratum fuisse una cum ecclesia. Si enim vestigia exhiberet recentioris appositionis lapidis, aut novae substructionis vel basis vel reliquae mensae, caderet argumentum. Videatur utrum referri possit casus ad alium de quo in primo quaesito decreti 4227, nempe utrum exhibeantur cruces, vestigia consecrationis, in quatuor cornibus, non parvi lapidis, sed mensae ex pluribus partibus constantis; quia, si ita esset, iam non diceretur valide consecratum altare, et vel rursus consecrari deberet, vel recursum fieri oporteret ad S. Congregationem pro sanatione, uti data est in *Concordien.*, decreto citato, 4227, I. Si vero cruces omnino desint, praesumptio sufficit, eo vel magis, quod agitur de ritibus adhibitis ante hodiernos codices et decreta.

Difficultas ex eo posset oriri, quod altare unicum dicitur, et proinde, si non esset consecratum uti fixum, obstarent decreta, quae volunt in ecclesiis consecratis saltem unum haberi altare consecratum. Huic difficultati respondemus, in casu, possidere praesumptionem; et etiamsi fiat hypothesis de conditione altaris non fixi, sed portatilis, hoc nullimode perturbationem gignere deberet, quia substantiam non tangit; namque ecclesia et valide consecratur, etiam cum nulla vel irregulari consecratione altaris, et consecrata permanet, etiamsi altare una cum ipsa consecratum destruatur vel in portatile immutetur. Ex alia parte, scilicet lapidis consecrati, nulla difficultas, quia characteres, uti supponere sinit expositio casus, regularis consecrationis possidet.

Ergo, salvo meliori iudicio, rev. Inquirens acquiescere potest, seu potius se remittat iudicio R.mi Episcopi.

Nota, pro rev. Inquirente. Iam pluries respondimus, non esse dicendum *Credo* in Missis de feria, in qua fit com-

memoratio Sancti Doctoris Ecclesiae, quia symbolum naturae Missae ferialis repugnat.

M.

BREVIORA RESPONSA

Pro Veneta regione. — I. In permultis ecclesiis huius regionis, in expositione ss. Sacramenti consuetudo invaluit quae minus videtur consentanea legibus liturgicis. Exposito Sanctissimo, et cantata prima parte hymni *Pange, lingua,* officium faciens et ministri surgunt et pergunt ad longum genuflexorium, damasceno tapeto et pulvinaribus ornatum, ubi recitantur preces pro opportunitate dicendae, vel ibidem manent genuflexi dum litaniae vel hymnus canuntur. In aliqua dioecesi genuflexorium collocatur apud scamnum solitum ministrorum, in alia contra altare parum longe a gradibus. Haec praxis toleranda est?

Resp. De usu et abusu genuflexorii inter septa presbyterii, praesertim tempore adorationis ss. Sacramenti, iam in libello cui titulus **Consuetudines in functionibus liturgicis,** pag. 72 et seqq. pertractavimus. In praecedenti autem fasciculo *Ephemeridum* pag. 540, ss. fusius de ipsa quaestione locuti sumus. Similiter de consuetudine cantus litaniarum et hymnorum in triduanis vel novendialibus precibus in honorem Deiparae vel Sanctorum, exposito Sanctissimo, sermonem habuimus in memorato libello, pag. 114 necnon ad secundam notam.

II. Quid sentiunt *Ephemerides Liturgicae* circa consuetudinem recitandi *publice* Rosarium B. Mariae Virginis, ita ut prima pars *Pater, Ave* et *Gloria* in prima decade, a Sacerdote recitetur, in secunda a populo, et sic alternatim, usque ad finem?

Resp. Usus universalis huiusmodi devotae marianae recitationis, tam publice quam private est ista: Minister primarius, scilicet qui pium exercitium ducit, praemisso versiculo *Deus, in adiutorium meum intende,* etc., et mysterio enunciato, incipit recitationem orationis dominicae et usque ad medietatem recitat; et populus subiungit: *Panem nostrum,* etc. usque ad finem. Minister deinde salutationem angelicam usque ad medietatem recitat; et populus reprehendit: *Sancta Maria,* etc., usque ad finem; et sic deinceps usque ad decimam vicem, oddito *Gloria... Sicuterat* etc., vel aliquando *Requiem* etc. Enunciato secundo mysterio, populus incipit primam partem orationis dominicae secundae decadis, et similiter primam partem angelicae salutationis, quibus respondet minister primarius *Panem nostrum... Sancta Maria... Sicut erat...* Praxim aliquando notavimus diversam, videlicet: recitatio primae partis dominicae orationis et angelicae salutationis, tam quoad primum mysterium quam quoad sequentia, ab ipso ministro recitatur, quam praxim condemnare non audemus, quinimmo necesse est ipsam praeferre, si, ob defectum tintinnabuli, ad decimam angelicam salutationem iam expletam signum non detur. D.

Pro Nuceria Superiore. — I. Cuius auctoritatis vi Officium defunctorum *potest* recitari *semper* sub ritu duplici, uti docent *Ephemerides Liturg.*, hoc anno, pag. 482, n. IV?

Resp. 1° Auctoritate decreti S. R. C., n. 3920, I: « Unam tantum dicendam esse orationem in Missis omnibus quae celebrantur in Commemoratione omnium fidelium defunctorum... Atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus III... necnon *quandocumque* pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu, qui *duplici respondeat* », scilicet Officio quod vel reipsa recitatur sub ritu duplici, vel, si diceretur, sub duplici recitaretur Ubi notandum est illud *quandocumque* positum post enumerationem dierum privilegiatorum, cum exemplo — *uti in Officio* — aliorum videlicet similium, nempe in Officio post acceptum nuntium obitus et in anniversariis late sumptis.

2° Auctoritate novarum rubricarum, Ritualis typici et Breviarii, item typici, ante Officium defunctorum : « Et non duplicantur antiphonae, praeterquam in die depositionis, in die post acceptum mortis nuntium, et tertio, septimo, trigesimo et anniversario, etiam late sumpto, et *quoties* solemniter celebratur Officium (ita Breviarium; similiter Rituale) ». Ubi notandum quod omnes dies ex rubricis et decretis privilegiati enumerantur, et additur solemnitas ad libitum, sub verbis *quoties solemniter celebratur*. Excluditur Commemoratio omnium defunctorum, eo quod, uti notum est, Officium eius nunc est proprium et habetur proprio loco cum suis rubricis. Ita, maiori cum proprietate locutionis, et clariori sensus explicatione, solemnitas *ad libitum*, determinatur; quod non erat in decreto 3920, 1.

II. Occurrente in Sabbato aliquo festo Domini, v. gr. Exaltationis S. Crucis, Dedicationis Basilicarum SS. App. Petri et Pauli etc., et supposito in Dominica Officio de ea, Vesperae erunt de festo, cum commemoratione Dominicae. At dubitatur, utrum Completorium esse debeat de Sabbato, an potius de Dominica, non enim conveniunt inter se varii Ordines divini Officii recitandi.

Resp. Ratio ob quam Ordines non conveniunt videtur esse in eo, quod Vesperas secundas festi Domini non moderantur iuxta rubricas. Hae enim dicunt, Dominicas minores cedere Vesperas *omnibus festis Domini* (Rubr. noviss. tit. VI, n. 2), et in omnibus festis novem Lectionum Domini, Officium persolvendum esse prout assignatur, hac tamen lege ut psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumantur ex Dominica (Rubr. noviss., tit. I, n. 2). Ergo post Vesperas festi Domini, dicendum est Completorium de Dominica.

Et revera Ordo Romanus Vaticanus ponit erronee Vesperas de sequenti Dominica minori, sed tacet de Completorio, quod significat esse debere de Sabbato; Ordo universalis Pustet, uti Ordo praedictus; Ordo universalis Neapolitanus, uti praecedentes, et explicite indicat Com-

pletorium de Sabbato ; Ordo universalis et Romanus Desclée ponit regulariter Vesperas de Dedicatione, sed tacet de Completorio; monuit tamen in *Advertenda*, sub initio, pag. 9, II, quod, quando dicitur in Ordine *Officium festivum*, Completorium est de Dominica ut in Psalterio; hinc et post secundas Vesperas festi Domini intendit esse dicendum Completorium de Dominica.

Manet ergo ut, correpto errore ubi invenitur, servetur quod dictum est, nempe post Vesperas de festo Domini, esse recitandum Completorium de Dominica.

Pro Assisio. — Monialibus ad chorale Officium adstrictis, quandonam s. Communio administrari debet? Utrum absolute infra Missam conventualem, an vero, vi consuetudinis, etiam ante eam?

Resp. Decretum S. R. C., sub n. 4177, III, negat posse Sacerdotem, sacris vestibus Sacrificii indutum, administrare s. Communionem, etiam data rationabili causa, ante vel post Missam solemnem vel cantatam, aut etiam conventualem. Durus est, profecto, hic sermo: *etiam data rationabili causa!* Sed, ita disponente lege, remedium discretionis quaerendum est. Negatur hoc posse fieri a Sacerdote sacris vestibus Sacrificii induto, ergo non vetatur Sacerdoti cum superpelliceo et stola, sit vel non ipse celebraturus, celebraverit an non. Ratio prohibitionis est, quod in Missa, transent locutio, officiali, faciendum tantum est quod regulare est (Cfr. Rituale Rom., tit. IV, cap. 2, n. 10).

Difficultas tamen semper manet pro Missa conventuali, pro qua etiam videtur ita responsum esse, quia nequit ordo choralis perturbari; debet scilicet Missam immediate aliqua Hora canonica praecedere, et, ut plurimum, immediate subsequi. Interpolatio igitur administrationis Sacramenti Eucharistici huic ordini adversatur. Attamen saltem contra legem non ageret, qui, *data rationabili causa,* epikeiam adhiberet, ut supra. Quid tamen de monialibus, quae non ex alia causa ita se gerunt, quam ratione consuetudinis?

Secundum nostrum consilium, deberent decreto sese

conformare: si tamen consuetudo haec, peculiaribus ex adiunctis, talis videatur ut continuari debeat, etiam haec consuetudo ponatur inter rationabiles causas, fiat nimirum quod iuxta decretum citatum tolerari potest, ut Sacerdos s. Communionem distribuat cum superpelliceo et stola, postea assumpturus missalia paramenta, si est Missam conventualem ipse celebraturus. Quibusdam puerilis videri potest haec insinuatio, sed nesciremus aliter rem componere, dum decretum supponit et tamen respuit causam rationabilem. Obtemperandum ne absolute est consuetudini, clausis oculis, etiam irrationaliter? Videant qui videre debent.

Pro Arborea in Sardinia. — I. Utrum Episcopus, ss. Communionem administraturus, possit rochetum cum mantelleto aut mozzeta gestare, iuxta nonnullorum sententiam, qui aiunt, eiusmodi insignia propria esse episcopalis dignitatis?

Resp. Episcopi saeculares, ut recte supponitur in quaesito, numquam adhibent superpelliceum, nisi Romae, aut aut alibi, si est casus, Missae planae Summi Pontificis inservientes. Episcopi autem regulares, e contrario, nequeunt adhibere rochetum, sed eius loco superpelliceum (citra indultum). Hinc merito dubitatur quinam sit habitus functionis adhibendus in casu. Sed excludendum est omnino mantelletum vel mozzeta, quia hoc indumentum non est ministrantium altari, sed ad summum chorale. Unde bene applicantur etiam Episcopis decreta prohibentia administrare Sacramenta et Sacramentalia cum eiusmodi indumento. At, cum decreta pro eorum administratione praecipiant absosute superpelliceum, quomodo pro Episcopo providendum?

En solutio, ex Pontificali Romano: « Quando Pontifex extra Missarum solemnia est promoturus aliquos ad primam Tonsuram vel ad quatuor minores Ordines, sufficit quod habeat stolam et mitram simplicem » super rocheto (*De Ordinibus conferendis*). Similiter loquitur ubi sermo est de Sacramento Confirmationis et de Tonsura ac Ordinibus minoribus uni tantum conferendis, cum addito de assumendo

etiam amictu. Quod ergo sufficiens declaratur pro administratione alicuius Sacramenti aut Sacramentalis, sufficiens dicetur et pro aliorum administratione. Dicimus sufficiens, quia non repugnat posse Episcopum assumere etiam, super rocheto, superpelliceum, quemadmodum Praelati et Canonici utentes rocheto faciunt, et facere legitime possunt, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, iuxta decreta. Exemplum iam attulimus de Episcopis Missae Summi Pontificis ministrantibus, et de regularibus quibus rocheti usus interdicitur.

Ratio quam adducunt qui putant posse Episcopum uti mozzeta vel mantelleto, ut dicitur in dubii propositione, nihil valet, quia, verum est, ea esse insignia dignitatis episcopalis, sed non in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, verum in choro et extra illum, numquam ad altare, ministrando.

Pro Granata, in Hispania. — I. Sacerdos caecutiens, indulto apostolico fruens celebrandi Missam votivam de *Requie*, hanc celebrare potest omnibus feriis Quadragesimae, cum de iis fit Officium, necnon in omnibus Vigiliis Sanctorum ex. gr. S. Laurentii, S. Ioannis, etc., exceptis Vigiliis Epiphaniae; Pentecostes et Nativitatis Domini?

Resp. Negative, etenim indultum celebrandi Missam de Requie coecutienti datur pro diebus, quibus etiam ceteris Sacerdotibus licet huiusmodi Missam celebrare. Haec solutio primo intuitu videtur ridicula, quomodo enim datur indultum ad faciendum quod omnibus licet? Sed considerandum est, coecutienti dari indultum celebrandi Missam votivam de B. Maria, loco Missae diei currentis; si ergo mentio non fieret de Missa de Requie, haec videretur prohibita: aut de die, aut de B. Maria. Sed, ut possit uti iure ceterorum, id expresse declaratur. Nullum tamen privilegium, neque prius, neque hodie, coecutientibus, quoad hanc rem tribuebatur vel tribuitur.

II. Iuxta rubricam Missalis, XVII, n. 5, in praedictis Vigiliis Sanctorum (tribus iam exceptis) quibus Ministri

induunt dalmaticam et tunicellam, genuflectere debent omnes in Choro ad orationes in Missa, et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini*?

Resp. Absque dubio, affirmative, ita disponente rubrica Missalis, tit. XVII, n. 5: « In Missis autem feriarum... et Vigiliarum quae ieiunantur... genuflectunt omnes etiam ad orationes, et dicto per Celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, et ad orationes post Communionem et super populum, excepta Vigilia Paschae et Pentecostes ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporibus Pentecostes ». Ieiunium porro sufficit ut sit de iure, quamvis nunc de facto suppressum, uti per decreta sancitum est.

III. Iisdem Vigiliis, tam in Officio quam in Missa, pulsari potest organum, attenta regula generali de eius sonitus prohibitione in Missa quando (tantummodo) Ministri induunt planetas, exceptis Dominicis 3ª Adventus, et 4ª Quadragesimae?

Resp. Ex decreto S. R. C. n. 2365, IV, organa non silent, quando Ministri altaris, Diaconus scilicet et Subdiaconus, utuntur in Missis dalmatica et tunicella, licet color sit violaceus. Sed in Missa votiva de Passione, quae dicitur in colore violaceo, non sunt pulsanda organa, ex decreto n. 3922, IV, 2. Prohibentur etiam Feria V in Coena Domini; ergo non est verum organum prohiberi *tantummodo* quando Ministri induunt planetas. Vigiliae autem de quibus inquiritur, non sunt exceptae, et subsunt declarationi decreti 2365, IV.

Pro dioecesi Suessionensi. — Quaenam sunt regulae translationis ad Dominicam, solemnitatis festorum 1 et 2 cl. infra hebdomadam incidentium?

Et insuper quid de dubiis sequentibus:

a) Adestne *obligatio* transferendae pro populo solemnitatis alicuius festi? Videtur quod non, ordinarie; iuxta recens S. R. C. decretum non adest obligatio transferendae solemnitatis Dedicationi Ecclesiae Cathedralis, et hoc, ad mentem decreti S. R. C. d. 28 octobris 1913. Dixi: *ordi-*

narie, quia in Gallia, iuxta Concordatum, solemnitas Epiphaniae, Corporis Christi, SS. Ap. Petri et Pauli, et Patroni loci — iuxta indultum, Immaculatae Conceptionis — ad Dominicam sequentem transferri *debet*.

b) Quid, si infra hebdomadam occurrunt duae solemnitates transferendae? Nonne minus digna sit in Dominicam 2^am vel 3^am vel 4^am liberam sequentem transferenda? Si negative, quomodo duae hae solemnitates simultanee celebrari possunt?

c) Nonne aliqua solemnitas, si sequens Dominica sit impedita, in Dominica praecedenti, *regula generali*, celebrari potest? Responsio affirmativa speratur; nam in Ecclesia universali solemnitas SS. Rosarii saepe anticipatur; in Gallia, solemnitas B. Ioanne de Arc, in Dominica infra Octavam Ascensionis fixa, saepe locum habet ante festum incidens in diem 30 maii.

Resp. Regulae fixae non habentur, et oportet pro singulis festis decreta vel indulta cognoscere, quibus translationes huiusmodi moderantur. Constat enim S. Sedem variis pro adiunctis diversam prorsus praebuisse normam:

a) Responsio quam sibi praebet rev. Inquirens est recta, eamque ratam habemus. Standum ergo est decretis vel indultis, ex quorum verbis explodetur quodlibet dubium.

b) Standum item decretis particularibus; dicimus particularibus cuiusque solemnitatis, quae possunt esse generalia, scilicet pro omnibus locis, vel peculiaria, pro quibusdam tantum. Numquam tamen celebrabitur solemnitas translata eodem uno die, quia pro una reduceretur privilegium ad solam commemorationem, quod implicat. Ergo, ubi provisum est per declarationes iam existentes, hisce adhaerendum, ubi non, recurratur ad S. Sedem; indultum enim non potest proprio marte extendi.

c) Negative. Exemplum solemnitatis Ss. Rosarii nequit adduci, prout neque aliud de B. Ioanna de Arc; quia festorum horum solemnitates, ex indulto Apostolicae Sedis, in talibus conditionibus versantur, in quibus non omnes.

Si ergo adiuncta sunt eadem, praxis eadem item erit, si secus, non.

Ne tempus et spatium inutiliter occupemus, rev. Inquirentem remittimus ad Collectionem authenticam decretorum S. R. C. (qua certe non caret), quoad multas solemnitates transferendas; pro indultis in Collectione non contentis, videat in singulis casibus relativa documenta.

Pro Aversa. — In ecclesiis dioecesis B. inveteratae invaluerunt sequentes consuetudines:

I. In functione praesertim XL Horarum, Litaniis Sanctorum necnon orationibus, a Rituali Rom. ad id praescriptis, persolutis, et decantato *Tantum ergo,* aliae SS. Sacramenti oratione adiiciuntur, nempe *pro congregatione et familia,* et *pro remissione peccatorum,* quae in Missali numeris 8 et 22, distinguuntur; necnon collectae ab Episcopo imperatae: quae omnes haud comprehensae inveniuntur inter orationes post Litanias ipsas a Rituali Rom. assignatas.

Quaestio est, an huiusmodi consuetudo, quamvis immemorabilis, sit conformis necne decreto S. R. C., praesertim die 23 nov. 1906, n. 4194, X, dato.

Resp. Si dubio respondere debemus uti iacet, dicere cogimur: Consuetudo, de qua in casu, non est conformis decreto n. 4194, X; et revera disponitur in hoc decreto, non esse addendam ad benedictionem cum SS. Sacramento ullam orationem, post *Deus, qui nobis,* nisi Auctoritate Apostolica id fieri debeat; nunc vero, Auctoritas Apostolica, quae moderatur functionem XL Horarum, sive Romae, per Constitutionem Clementinam, sive extra Urbem per extensionem huius Constitutionis, taxative praecipit orationes quae sunt dicendae in casu. Neque collectae imperatae Romae adduntur. Extra functionem XL Horarum, nisi constet de alia Apostolica sanctione, neque si dicantur Litaniae Sanctorum, additio huiusmodi locum habere potest. Si enim dicuntur Litaniae Sanctorum, exposito etiam Sacramento, hae concludi debent cum orationibus praescriptis, ut in Rituali vel Breviario, et post ipsas, ante Benedictionem, dicendum est *Tantum ergo* cum unica oratione *Deus, qui nobis.*

Si autem quaereretur utrum consuetudo ista sustineri queat nec ne, tunc responsio ingreditur aulam Iuris canonici, et, cum non agatur de repugnantia intrinseca, nisi pro oratione *Defende* (n. 8, ad diversa, in Missali) cum alia *Concede* (inter praescriptas pro Oratione XL Horarum), quae sunt ambae sub invocatione B. Mariae (Cfr. decr. n. 3767, XXIV, circa similem occurrentiam, nempe orationis *Defende* et *A cunctis*), eo quod additio aliquot orationum iam habetur ex Apostolica dispositione, non videtur debere refragari si addantur aliae. Dicimus tamen, 1. non esse addendam ullam orationem, ratione Indulgentiarum, si expositio XL Horarum intenditur iuxta Constitutionem Clementinam cum suis Indulgentiis et privilegiis, praesertim post recens decretum Supremae S. C. S. Officii, diei 22 iunii 1916; 2. Quando dicuntur Litaniae Sanctorum ut in Breviario aut Rituali, quamvis exemplum in iisdem habeatur, orationum similium, saltem superfluum esse quod addatur *Deus, qui nullum respuis,* iam contenta, quoad sensum, in ceteris ibi praescriptis.

II. Cum, horis vespertinis, hymnus *Te Deum,* post processionem aliasve functiones, persolvitur, mos est cantare versiculum « Dignare, Domine, *nocta ista* etc. », loco « *die isto* », ut in textu authentico legitur; quandoque insuper, cantu hymni peracto, nullam addere orationem. Quid de hac praxi?

Resp. 1° Hymnus *Te Deum* non est dicendus habuisse originem compactim, uno stylo; et idcirco, etiam versiculus *Dignare, Domine,* additus est ad opportunitatem, forsan quando dici coeptum est ad Matutinum. Quidquid sit de hoc, notamus, in precibus liturgicis, etiam quando non dicuntur in oratione stricte tali, nisi nefas esse, saltem non convenire immutationes facere, quando sensus non repugnat. Ideoque, cum vox dies accipi queat sensu latiori vel strictiori, ut vel significet vix partem diei, vel etiam totam vitam et totum saeculum usque ad mundi finem, non absurde dicitur *die ista* ultima pars diei, aut dies ab hora praesenti ad eandem redeuntem in crastinum, vel alium longiorem terminum, ut supra. Melius igitur est, nullam mutationem inducere. Cur

porro invocabitur divina custodia tantum ad proximam noctem? Forsan agitur de gratiarum actione pro die solari qui disparet? Et incipiente novo die gratiae aguntur de nocte transacta, et invocatur divinum munus usque ad vesperam? Hoc in casu, quaedam congruens ratio haberetur, sed nobis magis placet, sequi lectionem ab Ecclesia propositam, aptata intentione sensui vario de quo diximus.

2° Quando nulla lege peculiari ordinari debet aliqua functio, nil prohibet quominus oratio vel laus aliqua usurpetur modo diverso ab eo qui proponitur in libris liturgicis. Hinc *Te Deum; Veni, creator* etc. dici queunt sine addito.

III. In cantico « *Benedictus Dominus* », ad versiculum *Per viscera misercordiae Dei nostri*, omnes e capite pileolum deponunt, vel caput inclinant. Recte ne? Quid, si alicubi, non omnes, sed pauci tantum id peragunt?

Resp. Cum nulla adsit, pro casu indicato, praescriptio, consuetudo servari potest; quia quod maioris reverentiae est in Deum, in iis praesertim quae apta sunt gratiarum exprimere actiones pro humana redemptione, laudabile prorsus dicendum est. Ideo laudatur chorus qui stat iugiter, psallendo, vel qui caput non tegit (exceptis qui sacris paramentis sunt induti).

Nequit admitti in publici cultus manifestatione differentia, ut una pars cleri aliqua ratione se gerat, quae non est alterius; hinc, in iis quae sunt de iure, obtemperent omnes ipsi iuri; in iis quae sunt de consuetudine, vel omnes adhereant laudabili usui, vel si nequit fieri ut pauci consuetudinis fautores trahant ceteros, hi pauci se remittant parti maiori. Si vero alicuius momenti res retineri debeat, v. gr. ratione scandali adstantium, ii pauci protestationem emittant, et ad Auctoritatem recurrant. M.

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 9 curr. anni, pagg. 563-576).

« Canonicis autem et parochis quocumque privilegio fruentibus, etiam deferendi rochettum et mozzettam coram Pontifice, in iisdem Sacramentis et Sacramentalibus conficiendis et administrandis, usus cappae, mozzettae, vel caputii est omnino interdictus: nihilominus, qui rochetti privilegio gaudent, idem retinere, sed in propria tantum ecclesia, privilegio secluso, permittuntur, dummodo super illud superpelliceo et stola induantur; qui vero superpelliceum super rochettum induere prohibentur, nonnisi cum superpelliceo ac stola, Sacramenta et Sacramentalia conficiant et administrent ».

« In concionibus autem, nec non in publicis conventibus sacris, usum cappae, mozzettae vel caputii S. R. C. permissum declarat iis tantum, qui eiusmodi insignibus gaudent, in solis tamen ecclesiis propriis, haud vero in alienis, privilegio pariter secluso, nisi in his capitulariter conveniant; nunquam autem in aliena dioecesi (S. R. C. 12 iul. 1892, n. 3784 »).

Quoad autem sacerdotes confessarios, qui ex immemorabili consuetudine, in publica administratiane Sacramenti Poenitentiae se abstinent ab usu superpellicei et stolae, Rituale Rom., dum eorum usum praescribit in Sacramentorum administratione, addit: « nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat ». Et alibi subdit: « stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo ».

Unde S. R. C. ad rem censuit: « Conveniens est ut in ecclesia adhibeatur stola » (d. 3158[2]).

Ex his omnibus eruitur, quod huiusmodi Rubrica, ut perspicuum est, directiva, non autem praeceptiva est.

Ad IV. *Benedictio Palmarum, Cinerum et Candelarum estne de iuribus parochialibus; quinam privilegio gaudent ipsas benedicendi et Missam sequentem non celebrandi; et quibusnam in ecclesiis, stricte, respectivis diebus, est praeceptiva?*

Resp. Etsi benedictio Candelarum, Cinerum et Palmarum respectivis diebus, sit ex obligatione facienda tantum in Cathedralibus et Collegialibus ecclesiis, in aliis autem, nempe in parochialibus, possit fieri (S. R. C. 21 nov. 1893, n. 3813); attamen, perspecta immemorabili consuetudine in aliquibus dioecesibus inducta, necnon Ordinariorum praescriptionibus et Constitutionibus Synodalibus, supradicta benedictio, respectivis diebus, fieri debet in omnibus et singulis eiusmodi dioeceseon paroeciis.

Ubi autem consuetudo non invaluit, dicta benedictio, ad tramitem citati decreti, ad arbitrium parochi fieri potest: non autem fiat in ecclesiis, quae parochiales non sunt, nempe in oratoriis Regularium, religiosorum et monialium, seu Congregationum religiosarum, si non habeant indultum asservandi SS. Sacramentum, et careant sufficienti numero Ministrorum ad solemniter functiones peragendas. Etenim in huiusmodi ecclesiis vel oratoriis officia Hebdomadae Maioris aliaque similia, iuxta Memoriale Rituum, persolvi non posse, rescribendum censuit S. R. C. (d. 3390), et indigent speciali indulto.

Ex his omnibus, quae super innuimus, liquido eruitur, quod eiusmodi benedictio non est de iuribus parochialibus (d. 2123^5).

Tantum autem Episcopi Ordinarii privilegio gaudent Candelas benedicendi et Missam sequentem non celebrandi, sicuti in die Cinerum et Palmarum.

Quisque alius, quamvis Canonicus, primarius Capituli et titularis Episcopus, benedictiones Candelarum, Cinerum et Palmarum peragere, quin Missam sequentem celebret, prohibetur (dd. 2783^2, 3798^2).

Ad V. *Usus in Sabbato Sancto fidelium domos perlustrandi estne parochorum propria? Quaenam aqua, ad mentem Ritualis Rom., adhibenda est? Licetne insuper Diacono huiusmodi officium, etiam cum delegatione, explere; eamque benedictionem potestne parochus in Hebdomada Maiori peragere; et « parlatoria » etiam vel fores cuiuslibet Monasterii aspergere, quamvis Ordinario loci sint subiecta et intra fines paroeciae erecta?*

Resp. Benedictio in Sabbato Sancto est ita parochorum propria (S. R. C. 7 mart. 1903), ut aliis sacerdotibus nonnisi de illius facultate liceat; hac autem per parochum expleta, vice-parochus secundam facere nequit (d. 2270), ne quoad parochianos quidem id requirentes (d. ibid. 2): diacono id minime licet, etiam de consensu et de parochi delegatione (d. 2729).

Haec autem benedictio, iuxta Ritualis Rom. praescriptiones, hoc in tempore, facienda est cum aqua e fonte baptismali, ante infusionem Sacrorum Oleorum desumpta. Sed notandum, quod huiuscemodi ritus, quoad aquam benedictam, consumpta quae prima vice hausta fuit, non amplius nonnullis in regionibus observatur, sed renovatur, eius loco, benedictio, iuxta Rituale.

Ob paroeciae autem extensionem, si parochus non possit in Sabbato Sancto omnes fidelium domos perlustrare, aspergendo eas aqua fontis, benedictio domorum poterit fieri durante octava paschatis (d. 3645).

Quapropter, non amplius, hac in re, teneatur reprobanda consuetudo, quae in aliquibus dioecesibus invaluit, anticipandi nempe huiusmodi benedictionem in Hebdomada Maiori cum aqua aliter benedicta, et stola violacei, vel, quod peius, albi coloris! Insuper, licet aliquis auctor (Cavalieri, tom. IV c. 24, dec. 2, n. 10) supponat existere Congregationis Concilii indultum, tamen id explicite non declarat. Attamen data quoque existentia huiusmodi indulti, nunc, post citatum decretum (3645), et aliud recentius (7 mart. 1903), amplius non valeret, cum explicite negetur « posse in casu obtineri indultum ». Et nuperrime S. R. C. ad rem censuit

« dioecesana lege, iuxta decreta, prohiberi potest domorum benedictio diebus Sabbatum Sanctum proxime praecedentibus, imo toto tempore quadragesimali, ne talis benedictio a fidelibus ut paschalis aestimetur, et magna exinde confusio oriatur in populo » (2 iul. 1915).

Parochus vero, bene poterit alios sacerdotes delegare, ut citius fiat benedictio domorum.

Ut pluribus autem ex Synodalibus legibus praescribitur, parochus, quoad fieri potest, per se, vel suos coadiutores tantum, domorum benedictionem in hebdomada paschali expleat, ne Rubrica Ritualis dicens: « visitet domus suae paroeciae », inobservata evadat, si alii sacerdotes, ad curam animarum non addicti, in casu deputentur.

Stricte denique vetitum est parocho benedicere Monasteria cellasque Monialium; necnon per ipsum aspergi « parlatoria » vel fores Monasterii, quamvis Moniales Ordinario loci subiectae et intra fines paroeciae Monasterium sit erectum, necnon hospitio Tertiariorum adnexum (S. C. Concilii 23 aug. 1727).

Quaestio.

Ex decreto S. R. C. 27 iulii 1897 *in Romana*, n. 3960, eruitur quod, firmiter manente festo SS. Cordis Iesu affixo feriae VI post octavam Corporis Christi, eiusdem festi externa solemnitas, in aliam diem a R.mis Ordinariis locorum designatam, potest transferri, etiam cum privilegio celebrationis Missae propriae, et votivae solemnis, aliarumque Missarum lectarum; nunquam autem omittendo Missam conventualem vel parochialem officio diei respondentem, ubi adsit obligatio; exceptis tamen, quoad Missam solemnem, duplicibus I classis et Dominicis privilegiatis item I classis; et, quoad Missas lectas, etiam duplicibus

II classis, necnon Dominicis, feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis.

Rebus sic stantibus; in ecclesiis civitatis B., ubi pia praxis mensis iunii, SS. Cordi Iesu consecrati, rite, iuxta decretum S. C. Indulgentiarum diei 26 ianuarii 1908, cum praedicatione persolvitur, prorsus ab aliquibus interdicta praesumitur Missa in cantu, etiam sine Ministris, *die propria,* in feria nempe VI post octavam Corporis Christi, ut frui possit supradicto privilegio, *die translata,* vel quod ad Missam solemnem, vel quoad lectas proprias.

Quaeritur ergo:

I. *Quid venit nomine externae solemnitatis alicuius festi?*

II. *Potestne appellari Missa solemnis, quae fit sine Ministris et cum unico cantore et sonitu tantum organi?*

III. *Cessatne privilegium Missae propriae SS. Cordis Iesu, sive solemnis, sive lectae, favente ritu, die translata, ut in casu, tantum quod iam Missa in cantu, cum vel sine Ministris et sine ulla alia solemnitate, die propria peracta sit?*

IV. *Die translata, ut in casu, sive in Missis lectis, sive in Missa solemni, item de SS. Corde Iesu, servandus est ritus duplex I classis, ut in die propria?*

Solutio.

Ad I. *Quid venit nomine externae solemnitatis alicuius festi?*

Resp. Ex S. R. C. decretis, translatio solemnitatis externae festi, liturgice loquendo, in eo consistit, ut in die aliqua, in qua non celebratur officium, celebretur Missa

solemnis, et etiam, si Rubricae vel decreta permittant, Missae privatae de festo, quod solemnizari debet.

Et revera, cum Missae celebratio sit summus actus cultus, quem Deo tribuimus, ita pariter Missa, quae in honorem alicuius Sancti celebratur, est maximus honoris actus, quem ei praestare possumus. Vesperae de translata solemnitate celebrari possunt; sed tam Missa quam Vesperae extra officium chorale, et solummodo devotionis gratia (Cfr. quoad Vesperas S. R. C. nn. 3341, 3450).

Tandem ex decreto Pii Pp. IX (9 aug. 1852), etiam indulgentiae festo adnexae transferuntur cum externa solemnitate. Missa igitur solemnis, seu liturgica diei actio, solemnitatem totaliter constituit in sensu liturgico, praeter exteriorem pompam et apparatum.

Ad II. *Potestne appellari Missa solemnis, quae fit sine Ministris et cum unico cantore et sonitu tantum organi?*

Resp. Missae solemnis nomine venit per se tantummodo Missa, quae cum Sacris Ministris celebratur; excipe si quae absque Ministris cantatur, locum haberet solemnis (ratione *necessitatis*), sicuti parvis in paroeciis evenit; quo in casu dicta Missa uti solemnis iure habenda est. Missa tamen cum cantu celebrata iuxta decreta S. R. C., eiusdem privilegiis, quoad rubricas, gaudet ac Missa solemnis. Ita pariter, Missa lecta, in suffragium animae pauperis, physice aut moraliter praesentis, gaudet iisdem privilegiis, quibus Missa cum cantu conceditur (dd. 1322,[8] 1333[2]).

Missa insuper cantata naturam non mutat, si ab uno aut a pluribus cantoribus, cum vel sine organo, decantetur Fatemur tamen, difficulter inveniri posse cantorem, qui *solus* rite et decore munus totam Missam canendi expleat.

Ad III. *Cessatne privilegium Missae propriae SS. Cordis Iesu sive solemnis, sive lectae, favente ritu, die translata, ut in casu, tantum quod iam Missa in cantu, cum vel sine Ministris et sine ulla alia solemnitate, die propria peracta sit?*

Resp. Nulla ratio suadet quod verbum illud «translata solemnitas» ita stricte intelligatur, ut ea, quae ad solem-

nitatem pertinent, fieri non possint die sua, ac propterea prohibeatur celebratio Missae solemnis, aut cum cantu die quo festum cum officio peragitur. Translata solemnitas dicitur quia fit de ea diversa die ac officium in Kalendario assignatum peragitur ; « translata » igitur respectu ad novum diem non respectu ad diem propriam, in qua officium liturgicum peragitur, idemque cum omnibus iuribus ad liturgiam pertinentibus celebrari debet.

Respondendum ergo censemus privilegium solemnitatis translatae non cessare, si in die propria Missa solemnis aut cum cantu fuerit celebrata, saltem ubi adest obligatio Chori. Sed neque in aliis ecclesiis prohibendam putamus utraque die solemnis Missae celebrationem, praecipue cum nulla lex illud vetet.

Ad IV. *Die translata, ut in casu, sive in Missis lectis, sive in Missa solemni, item de SS. Corde Iesu, servandus est ritus duplex I classis, ut in die propria?*

Resp. Hoc ipso quod solemnitas dicitur « translata », sequitur eam induere naturam festi et ritus quo gaudet in die sua, cuius est quaedam reduplicatio seu prolongatio. Unde, in casu, Missa de SS. Corde ritu duplici I classis celebranda est. Ita S. C. pro translata solemnitate Patroni iussit Missam in Dominica celebrari absque commemoratione de die infra Octavam vel de simplici (n. 3624 ad I). Verum consideranda est specialis huius solemnitatis natura: cum enim de ea fiat in die in quo in ecclesia aliud officium celebratur, Missa de translata solemnitate induit naturam Missae votivae tamquam *pro re gravi*, ut clare patet ex verbis decreti Cardinalis Caprara; ideoque commemoratio officii currentis et Dominicae admittitur, excepta Missa solemni, si conventualis de officio currenti fuerit celebrata.

Ad rem pretium est operis citare: decretum S. R. C. super *Motu-proprio* « Abhinc duos annos », ubi haec verba leguntur, « Omnes Missae de his solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso festo de quo agitur solemnitas, addita oratione de officio diei et aliis omnibus,

quae dicendae essent, si festum ipsa Dominica incidisset » (§ I, n. 2).

Quaestio.

Fabritius, diaconus, saepe saepius in ecclesia parochiali immorans, christifidelibus exposcentibus, Eucharistiam distribuit; imo interdum, deficiente presbytero, sacrum Viaticum infirmis defert (in quorum domibus aspersionem aquae benedictae, de more, peragit), formula utens consueta *Misereatur, Indulgentiam, Dominus vobiscum* cum oratione, benedicens denique cum SS. Sacramento infirmos et assistentes.

Plus semel autem, parocho vel presbytero deficientibus, iudicat esse suum praecipuum officium publice ac solemniter Baptismum administrare, et reapse infantes baptizat, et, interdum, salem, nondum benedictum, benedicit.

Quaeritur:

I. *Licetne diacono SS. Eucharistiam in ecclesia administrare et sacrum Viaticum infirmis deferre, ut in casu; quae poenae, si negative, irrogantur; et quid praescribitur ut ipse in has non incidat?*

II. *SS. Eucharistia potestne in ecclesia administrari post meridiem et ante auroram; licetne ipsam per modum Viatici pluries infirmis afferre; et possuntne milites, ad proelium vocati, ad S. Mensam Eucharisticam admitti per modum Viatici?*

III. *Potestne diaconus solemniter baptizare et salem benedicere, cum parochus absit et urgeat casus; vel cum parochi delegatione illud administrare, sed absque necessitate; vel in utroque casu simul: utroque in casu autem,*

si negative respondendum sit, an quibusdam poenis a iure plectitur solemniter baptizans?

IV. *Sacerdos, in necessitate, Baptismum privatum domi administrans, etiamsi fore ut baptizandus tamdiu vivat videatur quamdiu sufficit ad caeremonias explendas, quas ex istis absolvere debet, quasque omittere; et debetne, in casu, stolam et superpellincem gestare; licetne insuper extra ecclesiam caeremonias supplere? In privato autem Baptismo et in supplendis postea caeremoniis, patrini suntne admittendi; et admissi, contrahuntne spiritualem cognationem; praeterea gaudentne Episcopi, saltem privilegio, domi Baptismum cum omnibus caeremoniis perminittendi extra mortis periculum et urgentem necessitatem, et quibus decretis?*

V. *Quid faciendum si, deficiente Oleo benedicto, aliunde accipi non possit; et licetne in Baptismi administratione uti stola bicolori?*

Solutio.

Ad I. *Licetne diacono Ss. Eucharistiam in ecclesia administrare et sacrum Viaticum infirmis deferre, ut in casu; quae poenae, si negative, irrogantur; et quid praescribitur ut ipse in has non incidat?*

Resp. Extra casum necessitatis, diacono S. Communionem fidelibus distribuere non licet (d. 2504); sicut pariter in casu necessitatis, idest, deficiente presbytero, et ex mandato, potest ipse deferre sacrum Viaticum infirmis. Cum enim diaconus sit propinquus Ordini sacerdotali, in necessitate ei datur, ut aliquid participet de eius officio (D. Thomas, 3 p. q. 82, a.a. 3). Et tunc facere potest aspersionem aquae benedictae, dicere *Misereatur, Indulgentiam, Dominus vobiscum* cum oratione, et benedicere cum Ss. Sacramento infirmum et assistentes (S. R. C. 14 aug. 1858).

In necessitate extrema, absente sacerdote, diaconus potest et tenetur Viaticum ministrare, etiam sine delegatione. Haec autem delegatio (excepto casu extremae necessitatis) est adeo necessaria, ut si diaconi sine ea solemniter Eucharistiam ministrent, peccent certo graviter, et probabilius irregularitatem incurrant (S. Lig., VI. Lehmkuhl, tom. II, p. 713, edit. VII).

Ratio, quia solus sacerdos est huius Sacramenti minister ordinarius, et diaconus nonnisi ex delegatione.

Ad II. *Ss. Eucharistia potestne in ecclesia administrari post meridiem et ante auroram; licetne ipsam per modum Viatici pluries infirmis afferre; et possuntne milites ad proelium vocati, ad S. Mensam eucharisticam admitti per modum Viatici?*

Resp. Dispensatio Ss. Eucharistiae in ecclesia, iure communi et ordinario, eodem tempore quo celebrari Missa permittitur, distribui potest, *vel ad formam rubricae,* ab aurora nempe usque ad meridiem (Rubric. General. Missal. XV, 1), non autem ultra praedictum tempus; *vel ad formam indulti eidem ecclesiae concessi* (dd. 2572, d. 7 sept. 1816; 4136, d. 11 iun. 1904 ad I).

Communio autem pro Viatico ministratur cum infirmus in probabili vitae discrimine versatur. Quodnam vero temporis spatium, durante eadem infirmitate, elabi debeat inter ipsas Communiones, videtur quod, spreta omni restrictione, caute Viaticum omnibus diebus deferri potest, cum multorum theologorum sententia sit, quam non improbat S. Alfonsus, nec ullus negat alicuius nominis theologus, ait clarus d'Annibale (III, 411 « 39 »).

Ad tramitem autem decreti S. Cong. Sacramentorum (11 febr. 1915), nunc temporis, milites ad proelium vocati (*i soldati sul fronte*) admitti possunt, servatis servandis, ad S. Mensam eucharisticam per modum Viatici.

Ad III. *Potestne diaconus solemniter baptizare et salem benedicere, cum parochus absit et urgeat casus; vel cum parochi delegatione illud administrare, sed absque necessitate; vel in utroque casu simul; utroque in casu autem, si negative respon-*

dendum sit, an quibusdam poenis a iure plectitur solemniter baptizans?

Resp. Minister extraordinarius Baptismi, qui potest publice seu solemniter baptizare, est diaconus, uti constat ex Iure Canonico et Pontificali Rom.: verum tantummodo delegatione et licentia Episcopi aut parochi.

Quae licentia et delegatio adeo est de praecepto, ut (in communiori ac probabiliori sententia) sub gravi prohibeatur diaconus, sine illa, publice baptizare, licet parochus absit, a quo petatur facultas, et urgeat casus (S. Alf. VI, 118). Imo haec delegatio nequit diacono fieri, nisi ob necessitatem vel magnam utilitatem, uti si non adessent sacerdotes, et multi essent baptizandi, vel si parochus graviter infirmetur. Ratio est, inquit Angelicus (3, p., q. 67 - P. Scavini - del Vecchio, Vol. II, p. 313-314. V edit.), quia ad diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed assistere et ministrare sacerdotibus.

Utrum vero diaconus, stante gravi causa, sed absque delegatione, solemniter baptizando incurrat irregularitatem, nonnulli negant: sed probabilius dicendum quod incurrat.

At si delegatio a diacono obtineatur, sed quin adsit necessitas, tunc ipse solemniter baptizando peccat quidem, sed irregularitatem non incurrit (De Siena, p. 169).

Quum autem aliquando necessitas exigat, ut diaconis committatur, ut ex dictis, solemnis Baptismi administratio, admonemus tamen ipsos haud posse, in casu, salem benedicere et aquam (S. R. C., d. 19 febr. 1888, n. 3684).

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

†

IN MEMORIAM

R.MI PATRIS AEMILII VILLETTE

SUPERIORIS GENERALIS CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM MISSIONIS

Maximo dolore perculsi, singulis confratribus nostris, et universis harum Ephemeridum lectoribus, annuntiamus immaturam praefati R.mi Superioris mortem, quae die VII Novembris huius anni accidit, non longe a civitate Aquensi (Dax), et praecise in loco ubi feliciter in lucem venerat S. Vincentius a Paulo, Legifer noster Sanctissimus.

P. Aemilius Villette ortus est in civitate Somain, dioesis Cameracensis, anno 1855: clericali militiae adscriptus et Maius Seminarium Cameracense ingressus, mira pietate et ecclesiasticarum scientiarum studio praefulsit, tantumque amorem erga magistros et eorum Institutorem concepit ut in Congregationem nostram adscribi petierit: voti compos factus est anno 1873, novitiatuque expleto, et cursu theologico perfecto, sacris ordinibus auctus est anno 1877, et ad Maius Oranense Seminarium missus, ubi grave sibi commissum Magistri officium, magna cum laude obivit, adeo ut Seminarii Philosophiae apud Solesmes Superior anno 1886 renuntiari meruerit, et hinc Maioris Seminarii Cameracensis primo coadiutor Superioris, D.ni Sudre, deinde eius successor nominatus fuit. Persecutio in Galliis mota contra Congregationes Religiosas, eum anno 1903 ab officio exturbavit. Sed, Deo favente, ipsa persecutio in bonum cessit, nam a R.mo P. Antonio Fiat, Procurator Generalis totius Congregationis designatus, maximo adiumento fuit eidem Superiori Generali, cuius nomine, plures provincias visitavit, eique, senio et infirmi-

tatibus confecto, officio cedenti successit die 31 Iulii anni 1914, a conventu generali, primo scrutinio, fere ad unanimitatem electus. Quod commissum suis humeris onus, non renuit, Illius memor (ut ipse asseruit), *in Cuius nomine gratam esse debet electio.* Eius sollicitudo in tot negotiis expediendis, ac in arduis visitationibus Domorum, et difficultates non paucae ortae ex immani bello, fere universam Europam duos iam annos cruentante, causa fuerunt, cur gravissimum in morbum et inopinatum inciderit; quo ingravescente, Sacramenta Ecclesiae summa pietate accepit, et speciali benedictione munitus Summi Pontificis Benedicti XV, quem semel et iterum, durante suo munere, visitarat, et cui filialis sui amoris et suae Congregationis singulare et assiduum obsequium obtulerat, obdormivit in Domino, praemium, suis laboribus par, in coelo recepturus.

Die 11 Novembris huius anni in Ecclesia Ss. Trinitatis ad S. Apollinarem solemnes exequiae celebratae fuerunt, adstantibus E.mo Card. Vincentio Vannutelli, Sacri Collegii Decano, Ill.mo et R.mo D.no Episcopo Bosanensi Ioanne Bapt. Vinati, Ill.mo et R.mo D.no P. G. La Perrine d' Hautpoul Episcopo Charystien., Ill.mis et Rev.mis D.nis Iosepho Tacci, Niceae Archiepiscopo, et Carolo Sica, Episcopo Fulginatensi, R.mo D.no Petro Piacenza Prot. Apostolico, et adstantibus Superioribus Generalibus, tum Communitatum Religiosarum, tum aliorum Institutorum, praesertim e Gallica Natione. Plures E.mi Patres Cardinales sive personaliter, sive per epistolas, doloris sensus exprimere voluerunt Superiori Domus localis.

In istis solemnibus exequiis non defuerunt quam plures Filiae et Sorores a Charitate, et praesertim Rev.ma Mater Maurice Visitatrix, necnon Superiorissae Domorum in urbe Roma, una cum suis alumnis, quae in funebribus canticis partem cum choralibus habuerunt.

Valeat in Christo desideratissimus P. Aemilius Villette, et universis Filiis suis, in tanta tribulatione positis, ab Eodem pacem et consolationem impetret.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 11 iunii 1916, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. D. Origenes Rogari, *alumnus Seminarii Romani, quaestionem enodavit:*

De quibusdam defectibus in celebratione Missae.

Post Censorum animadversiones R. D. Iosephus Maielli *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus e Presb. Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

Eusebius pius Sacerdos, nevrosi et scrupulis non parum exagitatus aliquibus diebus ante auroram celebrat; pluries errat in missae celebratione; aliquando Missam unam pro alia legit; vel omittit collectam aut commemorationem aut Epistolam, quam omissionem advertit post Offertorium legens secretas. Aliquando omittit *Credo*, et saepe saepius primae orationis, *Domine Iesu Christe*, ante Communionem obliviscitur, vel etiam a secundam oratione in tertiam (propter quamdam verborum similitudinem) incautus transit. Angitur autem animo praesertim in colligendis fragmentis super corporale, ita ut ex crusta amylacea particulas multas in calicem dimittat. Confessarius suadet Iustino, quod si advertat nondum ortam esse auroram, ante Consecrationem, Missam suspendant, et eam post auroram denuo incipiat circa muta-

tam Missam praescribit, ut reversus in Sacristiam antequam exuat sacras vestes, Missam de die legat, quia est pars Officii divini. Quoad collectas et commemorationes omissas, si advertit omissionem in ipsa Missa, iubet ut cum secreta dicat orationem omissam, vel iuxta casum, tum orationem tum secretam simul cum postcommunione dicat. Quoad *Credo* non amplius esse dicendum consulit. Circa vero orationes ante Communionem suadet Iustino ut integre eas recitet etiamsi iam sumpserit Sacramentum sub specie Panis. Quoad vero fragmenta, iubet Confessarius ut Iustinus deponat anxietatem, et relinquat Angelis munus ea colligendi. Sed queritur :

1. *Quid disponit rubrica Missalis circa horam celebrandi Missam?*

2. *Quaenam sit extensio huius effati : Missa est pars Officii diei, et quaenam circa eam obligatio pro simplici Sacerdote vel Beneficiato?*

3. *An in omnibus bene se gesserit Confessarius, et quid suadendum Iustino in casibus expositis?*

Solutio.

Ad I. Rubrica Missalis (XV, 1) declarat : « Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest ». Tridentinum Concilium (Sess. 22) praescribit ne Missae celebrentur nisi debitis horis ; procul dubio, ait Tetamus (Diarium Lit. Tract. I, Lib. I, Sect. X), per horas debitas intelligit eas, quas Missale Romanum praesignat. Hinc neque ante auroram, nec post meridiem licet celebrare.

Ratio autem mystica de eo quod noctis tempore Missae minime celebrantur (excepta nocte Nativitatis Domini) red-

ditur a Paulo iij in sua bulla *Debita consideratione* (n. 25) ubi ait: « Cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, qui candor est Lucis aeternae, congruit hoc non noctis tempore fieri, sed in luce ». Haec ratio mystica quam adducunt theologi, cum divo Thoma (III, qu. 83, art. 2 ad 4). Causa vero realis illa est, quia tempore noctis, ordinarie loquendo, homines non sunt convenienter dispositi ad huiusmodi Religionis opus, quod publice fieri debet, iuxta solitum usum operum hominis, de quo habetur in Psalmo 103: *Ortus est sol... Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperum.*

Ceterum quum Ecclesia Christi coepit celebrare vigilias in Choro tantum, absque populi praesentia, hoc fecit, ne ex conventibus nocturnis ad Missam audiendam, locus fieret irreverentiarum. Sed neque post meridiem regulariter Missa celebrari debet, eo quod Missa intrinsecam relationem habet cum sacra synaxi, scilicet cum Communione, non tantum Sacerdotis, sed per se, et iuxta suam destinationem, etiam fidelium ; et quia iuxta usum universalem prandium non ultra meridiem differebatur, factum est ut Missa quoque post meridiem non liceat celebrare.

Exceptis casibus debitae dispensationis Sanctae Sedis, lex Missalis circa Horam celebrandi Missam est gravis, ideoque sub gravi obligat, ut docent omnes doctores communiter, ideoque Tridentinum (l. c.) Episcopis iniungit ut propositis poenis caveant ne sacerdotes alia quam debitis horis celebrent.

Ad rem S. R. C. suo decreto 18 sept. 1634 disposuit quod: Ubi non est aurora physice, pro licita Missarum celebratione attendatur ea moraliter, quando scilicet ibi terminare solet hominum quies, et inchoari labor, iuxta probatam regionum consuetudinem.

Hora autem accipenda est, secundum theologos moralistas, ita ut sacerdos celebrans adhuc extet in altare quando incipit aurora, vel sonat meridies. Hinc Eusebius in casu, si Missam celebravit ante auroram quidem, sed

antequam Missam terminaret aurora coepit, tunc nullum peccatum commisit; alioquin videndum est an cum plena advertentia id egerit, et deliberate, an vero in conturbatione mentis ob suam nevrosim, quod facile supponi potest.

Dantur tamen causae excusantes, tam pro celebratione ante auroram, quam post meridiem. 1° Si necessitas urgeat pro communione in forma viatici. 2° Ut operarii et servi possint audire Missam. 3° Si Missa solemnis nimis prolongatur post meridiem, et fideles soliti sunt post ipsam audire Missam lectam, tunc bene potest haec Missa celebrari iuxta solitum, licet iam transierit hora meridiana. 4° Si obtentum sit privilegium a S. Sede, quae praesertim Missionariis illud concedere solet.

Haec omnia sint dicta de Missa privata, quia casus non respicit horam Missae conventualis, de qua pluries egit nostra Accademia.

Ad II. Rubrica Missalis, in initio, praescribit: « Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officii ». Et rursus (tit. IV, in fine: « Quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniet ». Non solum in genere, denuo ait Tetamus (l. c. n. 51), verum in specie. Benedictus xiv et plures decisiones S. Congregationis sive Concilii sive Rituum, aperte statuunt quod Missa conventualis est pars divini Officii, et quidem pars nobilior.

Officium enim divinum, non aliud est nisi praeparatio ad Missam, quae est actio Liturgica reduplicative, uti dicerent scholastici. Et generatim, iuxta rubricas, etiam Missa lecta per se debet concordare cum Officio recitato; nisi permissae sint Missae votivae aut defunctorum.

Igitur, sicut peccat qui omittit partem notabilem divini Officii, si Missa revera est pars Officii diei, videretur quod sacerdos nequiret aliquid de illa omittere sine culpa, prout Pius V declaravit in sua bulla *Quo primum,* non solum, sed deberet etiam recitare ea quae vel oblivione, vel mala voluntate praetermisit.

Attamen nullus ex doctoribus ecclesiasticis hoc docet,

scilicet nemo obligat sacerdotem, qui nonnulla omisit ex orationibus in Missa, ut ea post reditum in sacristiam recitet. Ratio est quia exceptis Curatis animarum in diebus festis, et exceptis Choralibus qui ad Missam conventualem cantandam sunt adstricti, nemo ex sacerdotibus obligatur quotidie Missam celebrare; hinc siquis celebrando Missam nonnulla omittit, sicut adstrictus non est ad totam Missam, ita nec ad partes omissas recitandas sub poena non satisfaciendi. Peccat ergo qui omittit voluntarie, et quidem graviter, iuxta sententiam doctorum, si agatur de partibus substantialibus, sed non tenetur post Missam ea recitare quae omisit.

Pendente celebratione Missae, potest quidem recitare omissam aliquam partem, puta *Gloria in excelsis*, *Credo*, unam ex tribus orationibus ante Communionem, dummodo statim ac partem illam omiserit, animadvertit omissionem; ex. gr.: ego post evangelium statim dico *Dominus vobiscum* et lego *offertorium*, et reminiscor omissionem Symboli, bene possum tunc, et non postea, illud recitare.

Dictum est supra quod per se sacerdos non est adstrictus ad quotidianam celebrationem Missae, attamen non est tacendum quod docet S. Thomas (III, qu. 82 a. 10): « Unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum, secundum illud (2 Cor., vj) *Exortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Opportunitas autem Sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad fideles, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum cui offertur ». Et concludit: « et ita tenent omnes theologi quod sacerdos ratione sacerdotii, diebus festis debet celebrare Missam saltem praecipuis ». Hac de re consulantur theologi moralistae, praecipue S. Alphonsus.

Ratione autem Beneficii, seu cappellaniae, seu etiam ratione servitii ex quo aliquis sacerdos in aliqua ecclesia et determinata hora celebrare debet, obligatio nascitur ex contractu, ideoque ex iustitia quis celebrare debet iuxta assumptam obligationem.

Ad III. Nunc vero directe ad casum propositum respondere debemus. Circa horam celebrandi, et circa omissiones in Missae celebratione, iam supra dictum est. Confessarius ergo, quoad Missam inceptam ante auroram, quam interrumpere suadet, oblivisci non potest doctrinam theologorum, qui docent Sacrosanctum Missae Sacrificium integre et continuatim celebrari debere, nullamque interruptionem esse permissam, nisi gravi ex causa. Distinguendum tamen est utrum interruptio fiat ante Canonem an postea. Ante Canonem ex. gr. pro sermone post Evangelium, vel pro publicandis matrimoniis a parochis; si incoepta Missa multi peregrini supervenirent Missam audituri, vel adverteretur praesentia excommunicati in templo. Post autem incoeptum Canonem, e a fortiori peracta Consecratione, nequit Missa interrumpi, nisi ex gravissima causa, puta pro baptizando aliquo vel absolvendo in periculo mortis. Post Communionem autem, permittitur sacerdoti ut verba exhortatoria proferat ante Communionem fidelium, vel ad excipiendam renovationem votorum, et similia, ut S. R. C. declaravit decreto 16 aprilis 1853.

Quibus positis, Confessarius sciens agi de sacerdote pio et scrupulis exagitato, iuxta probatos auctores iudicet quid sit agendum. Ceterum non debet illi praescribere ut Missam legat in sacristia si illam mutavit in celebratione; neque quod recitet Orationes ommissas simul cum Secreta. Optime docuit quod *Credo*, ex oblivione relictum, recitari post Missam non debet. Circa Orationes ante Communionem, iam supra dictum est quid in casu sit agendum. Quod autem attinet ad parvula fragmenta, absolute non potest reliquere Angelis munus ea colligendi, removeri debet omnis anxietas, sed adhibenda est quoque summa diligentia ut partes visibiles specierum, caute colligantur. Suadendum est tamen, sicut iam deliberatum est in hac Academia nostra, ut nimis ne cum patena excutiatur corporale, ex quo, non fragmenta Eucharistica, sed potius particulae telae vel amyli colligantur.

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis sandaliis eorumque ornamentis

(Continuatio, v. n. 7, curr. anni, pagg. 403-407).

CONCLUSIO. — *Quaedam salutares et fructuosae reflexiones super exposita doctrina.*

Non abs re erit breviter innuere, quomodo ex tradita de osculo pedis R. Pontificis doctrina, erui possint documenta vitae, ad universos Christi fideles, et maxime ad ecclesiasticam iuventutem erudiendam in catholicis veritatibus et excitandam, ut obedientiae et reverentiae officia Pontifici Maximo promptiori animo praestet.

Numquam obliviscendum, unamquamque sacrae Liturgiae caeremoniam esse catholicae fidei apertam professionem, et excitationem ad officia implenda, quae a fide procedunt. « Liturgia, uti bene demonstrat Bouix, est essentialiter seu ex natura sua dogmatis expressio » (1); et notum est illud S. Caelestini Papae: « Legem credendi statuat lex supplicandi » (2)

In primis, fidelibus, et maxime iuvenibus in sortem Domini vocatis, pro uniuscuiuscumque aetate et captu, bene explanandum est, quodnam sit fundamentum et vera ratio peculiaris obsequii, quod Sacerdotibus, Episcopis et Summo Pontifici exhibetur. Istud fundamentum et ista vera ratio aliud non est, nisi illa divina Ordinis et Iurisdictionis potestas, qua Hierarchia in Ecclesia, divina ordinatione, consti-

(1) Bouix, *De Iure Liturgico*, Part. I, cap. VII, § 1.
(2) Cfr. Bouix, l. c., § 2.

tuitur, et per quam illud essentiale discrimen ponitur, quo clerici a laicis distinguuntur, et Ecclesia in docentem et discentem essentialiter dividitur.

Peculiare obsequium, quod sacrae Hierarchiae membris praestatur, veram religiosi cultus rationem habet, cuius *terminus ad quem* est Deus; cuius *obiectum materiale* est persona sacra, quatenus divina ordinis et iurisdictionis potestate est insignita; cuius *obiectum formale* est ipsa divina huiusmodi potestatis excellentia. Qui utraque divina potestate cumulatur, profecto est ille homo, quem Rex coelestis honorari vult, quem Christus mittit in mundum universum, sicut ipse missus fuit a Patre; cui dicitur: *Praedica Evangelium; Accipe Spiritum Sanctum; Quodcumque solveris super terram, etc.* Hunc non iam *servum*, sed *amicum* dicit ipse Christus; iste igitur talis est, ut peculiari honore, vere et summe dignus reputandus sit. Iamvero si illum, qui Christo ministraverit, honorificabit Pater caelestis (1), quanto magis Christi ministros pro eorum in Ecclesiastica Hierarchia gradu, approbatis et consuetis in Ecclesia signis, nos honorare et revereri debemus?

Hos debitos honores pro cuiusque dignitate exhibere, nihil aliud est nisi *officia pietatis* illis praestare, qui in ordine *supernaturali* paternitatem in animas nostras a Deo habent. Congruum profecto est, ut summo Patri, Patrum Patri, summos honores exhibeamus, *illos* honores, quos Ecclesia a pluribus saeculis ei praestare consuevit obsequio, quod osculo pedis continetur et *adorationis* nomine communiter designatur.

Praestat itaque Superiores et animarum Pastores ex hoc ipso obsequio occasionem et materiam nancisci ad fideles catholica doctrina de Summi Pontificis divina potestate et primatu erudiendos, eosque excitandos, ut omnem obedientiam ac reverentiam, quae catholicum decent, eidem *corde magno et animo volenti*, praestent.

(1) Io. 12, 26.

Quod argumentum egregie pertractavit Ill.mus ac R.mus D. Ioannes Vincentius Tasso, Episcopus Augustanus, qui arrepta occasione Sacrae Quadragesimae, anno 1915 pastoralem epistolam dedit, sic inscriptam:

« Le Pape dans les Cérémonies de son élection et de son courronnement ». Nobis indulgeatur, si ex hoc praeclarissimo pastorali documento, quaedam notatu digniora decerpimus:

En qua suavitate factum primae adorationis exponit et considerat inclylus Praesul: « A peine le Pape a-t-il revêtu son habit blanc, la première Cérémonie qui s'accomplit, c'est l'*adoration* du nouvel Elu. Le Pape s'assied sur le trône pontifical placé sur le marchepied, au milieu de l'autel; et tous les Cardinaux vont, un à un, par ordre de dignité et d'ancienneté se prosterner à genoux davant lui, ils lui baisent le pied et la main droite, puis ils en recoivent l'accolade. Cette *adoration* se répète trois fois le jour de l'élection; elle se renouvelle ensuite à toutes les fonctions solennelles auxquelles le Pape préside. Il est dit de la sainte Vierge qu'elle fut la première à adorer le Fils de Dieu qu' elle avait engendré: *Ipsa quem genuit adoravit*: ainsi les Cardinaux sont les premiers à *adorer* le Pape qu'ils ont créé. — Que personne ne se formalise de cet *acte d'adoration du Pape;* nous en verrons bientôt la signification et la portée » (1).

Cum de adorationis natura ex proposito disserit, praemittit quid importet adoratio erga Deum, et dicit: « L'*adoration,* rapportée à Dieu, est l'acte par lequel on reconnait sa souveraineté divine, absolue et infinie, davant laquelle toute créature se posterne et confesse son néant: *tanquam nihilum ante te.* C'est l'acte suprême du culte divin » (2).

Quid vero adoratio importet erga Summum Pontificem, ita exponit: « L'*adoration*, rapportée au Pape, est l'acte par lequel on reconnaît sa suprématie, sa primauté sur toute

(1) *Revue Diocésaine,* Aoste. T. I, année 1915, n. 2, pag. 39.
(2) Ibid. pag. 46.

l'Eglise, devant laquelle se prosternent non seulement les fidèles et les prêtres, mais aussi les Evêques et les Cardinaux, qui occupent les plus hauts degrés de la Hiérarchie ecclésiastique. Par cet acte, ils confessent leur propre infériorité et soumission: *Quis similis tibi?* L'*adoration du Pape*, dans le langage liturgique et ecclésiastique, s'appelle aussi *Obédience*, et l'on dit indifféremment l'*Adoration des Cardinaux* ou l'*Obédience des Cardinaux*. Ce nom d'*Obédience* explique très-bien le sens et la portée de l'*adoration du Pape*. C'est un acte de profond respect, une protestation de soumission que les Cardinaux font au Souverain Pontife, au Vicaire de Jésus-Christ » (1).

Hisce consideratis, iure infert: « Or, si telle est la manière d'agir des Cardinaux, qui sont les Princes de l'Eglise, les premières Dignités de la Hiérarchie ecclésiastique, telle doit être aussi, à plus forte raison, la conduite des Evêques, des prêtres et des simples fidèles. C'est pour cela que tous ceux qui se présentent au Pape, commencent par cet *acte d'adoration*, et se prosternent pour lui baiser le pied, confessant ainsi, d'une part, leur propre infériorité et soumission, et, de l'autre, la suprématie et la primauté du Souverain Pontife. C'est là le premier devoir que nous avons à remplir envers le Pape. Ainsi entendue, l'*adoration* de Dieu et celle du Pape, ne doivent pas être des actes passagers, mais une disposition continuelle et habituelle, un état permanent de soumission et d'obéissance, que la Créature doit au Créateur, et que tout membre du corps de l'Eglise doit à son Chef Suprême. Si cet acte se répète plusieur fois et dans maintes circonstances, c'est précisément pour nous en rappeller l'obligation et en entretenir et perfectionner en nous la disposition habituelle et permanente » (2).

Cum obedientiae virtus, maxime iuvenibus in sortem Domini vocatis, inculcatur, ne eiusdem uberrimi fructus prae-

(1) Ibid. pag. 46.
(2) Ibid. pag. 46.

tereantur. Inter quos unum recensere lubet, utpote quem non satis memoratum videmus. — Obedientia sacris Dei ministris, et generatim Superioribus ac Praelatis praestita, magnam habet, prout SS. Scripturae et Patres testantur, cum oratione connexionem; quae connexio a Seraphico Doctore paucis his verbis indicatur: « Per obedientiae subiectionem... habetur mira victoria contra hostes, teste libro Sapientiae, qui ait: *Vir obediens loquetur victorias;* et, quod plus est, ipse Deus per obedientiam vinci potest. Dicit enim Gregorius: *Si obedientes fuerimus praelatis nostris, Deus obediet orationibus nostris;* et Augustinus: *Citius,* inquit, *exauditur una oratio obedientis, quam decem millia contemptoris* » (1). His ipsae sacrae litterae consonare videntur, cum scriptum legatur: *Qui honorat patrem suum... in die orationis suae exaudietur* (2).

Tractatiunculae nostrae, qualiscumque sit, finem imponimus, et quod corpore pluries praestitimus, nunc spiritu et toto cordis affectu renovants, ante Romani Pontificis thronum in genua procumbimus, eius supremam potestatem profitemur, eumque S. Bernardi Abbatis verbis salutamus: « Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt..... » (3).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

(1) S. BONAVENTURA, *Reg. Novitiorum*, cap. XIV. In editione ad Claras Aquas: vol. VIII, pag. 488. — Duo exhibita S. Gregorii et Augustini loca ibi in eruditissimis notis illustrantur, iuxta quas: quod *primo* Seraphicus Doctor affert, ex *X Moral.* c. 15, 27 desumptum videtur, ubi docet dignum esse eius orationem non exaudiri, qui Dei iussionibus non obedit. Quod vero *secundo* exhibet, haustum est ex libro: *De opere monachor.* c. 17, n. 29. Sed fere eadem occurrunt in *Serm.* 61, *ad Fratres in eremo* (inter opera S. Augustini), ubi dicitur: « Et sciendum, quod quanto modo erimus obedientes patribus nostris, tanto erit Deus obediens orationibus nostris ».

(2) Eccl. 3, 6.

(3) S. BERNARDUS. *De Consideratione.* L. II, cap. VIII.

Consultationes.

Consultatio Canonico-Liturgica.

In quibusdam conventibus religiosis Provinciae B. existit consuetudo anticipandi de sero pro recitatione Chorali Matutinum cum Laudibus, celebrandi fere semper Missam Conventualem post Horam Tertiam, et quin ea applicetur pro benefactoribus Conventus.

Quaeritur: an talis consuetudo sustineri possit?

Resp. Ad debitam huius casus solutionem sequentes quaestiones examinandae sunt:

1° Quaenam personae religiosae ad Officium Chorale teneantur?

2° Quonam tempore Officium Matutini cum Laudibus in Choro sit recitandum?

3° Quaenam personae religiosae ad Missam conventualem obligentur?

4° An adstricti ad Missam Conventualem pro benefactoribus Conventus eam applicare debeant?

5° Post quamnam Horam Canonicam Missa Conventualis sit celebranda? — Sit itaque:

I. *Quaenam personae religiosae ad Officium Chorale teneantur?*

Resp. Omnes et singulae personae religiosae (exceptis novitiis et laicis seu conversis), quae profitentur Religionem Choro adstrictam, et hoc ratione generalis consuetudinis, quae in omnibus Religionibus Choro addictis cum tali obligatione acceptata est, quamvis ad id non sint obligatae, nec ex vi Ordinis sacri nondum recepti, nec ex vi beneficii non habiti, nec ex vi Regulae aut Voti. Ita Doctores communiter, ait cl. L. Ferraris, v. *Officium divinum,* art. 1, n. 37. — Egregius Canonista F. X. Wernz (*Ius Decretal.,*

tom. III, n. 563) similiter dicit: « Regulares sive viri, sive moniales, ratione *professionis religiosae* solummodo ad Officium divinum recitandum obligantur, si pro suo instituto ad Chorum deputati sunt (1). Quae obligatio non afficit *novitios* vel fratres *laicos* etiam in ordinibus ad Chorum deputatis, nec ordines *militares* vel alios, v. g. Societatem Iesu, ad Chorum specialiter non deputatos ».

Iuxta sententiam communiorem obligatio Chori pro Regularibus seu personis religiosis est tantum *localis* seu realis, non autem personalis (2). Praefata tamen obligatio, quae attingit totam communitatem et imprimis eius Praelatum tamquam caput, est gravis iuxta sententiam communissimam (3), uti patet ex gravitate poenae in Clementina comminatae, nempe: « *Si Dei et Apostolicae Sedis indignationem evitare voluerint, sollicitam curent diligentiam adhibere* ».

Exinde sequitur: *a*) quod graviter peccaret Superior, tamquam caput communitatis, si negligentia sua permitteret ut pars notabilis divini Officii non recitaretur in Choro (4); *b*) quod, quamvis praefata obligatio singulos Religiosos *directe* seu *per se* non afficiat, ipsi tamen *per accidens* seu

(1) In not. idem auctor affert: lit. cap. 1 de celebr. in Clem.; Thomassin. l. c. Cap. 71., seq. 78; Schmalgr. l. c. n. 55., 77., seq.; Suarez l. c. cap. 10, n. 7, seq. 15. seq, cap. 17; Thalhofer l. c. p. 346, seq. 383, seq.; Piat. l. c. t. I, p. 309, seq.; Wernz l. c. tom. III, n. 350.

(2) Vide AA. allatos in meo opere « *Compend. Iur. Regul.* », 9, 208, R. ad I.

(3) Vide ibid., R. ad II.

(4) Vide ibid., l. c. S. Alph. (V, 143, Not. 2) vocat hanc sententiam communem, et contrariam improbabilem. « An quae est pars notabilis respectu officii per se sumpti, sit pariter notabilis respectu solemnis recitationis in Choro, ut e. gr. omissio unius parvae Horae? Res non videtur certa, ait Ballerini Palmieri (*Op. Theol. Mor.*, IV, n. 335), si praesertim non ex consuetudine fiat; non enim magna in hac omissione in Choro apparet turpitudo quoad cultum externum, qui ab Ecclesia intenditur per Chorum ».

indirecte mortaliter peccare possunt, non assistendo Choro, nempe: 1° Si communitatis Superior quoad hanc obligationem suum officium negligat (1). 2° Si aliquis Religiosus ex praecepto gravi Superioris ad Choro interessendum obligetur (2). 3° Si eorum praesentia necessaria sit ad Chorum habendum (3).

Ad constituendam autem obligationem realem seu localem Chori, iuxta sententiam communiorem requirunt in communitate saltem *quatuor expediti* Religiosi (4). Imo plures auctores probabiliter excusant communitatem Religiosam ab obligatione Chori, si non adsint *quinque* religiosi *expediti* seu *apti* ad Chorum (5). Dico *expediti* seu *apti* ad Chorum; cum hi ad Chorum non teneantur, inter *expeditos* seu *aptos* numerari nequeunt (6). Insuper inter Religiosos *expeditos* seu *obligatos* ad Chorum non veniunt *novitii*, cum ipsi legibus Religionis non teneantur (7), nec conversi seu fratres laici, quia lex, quam consuetudo genuit, attingit eos tantum qui ad Chorum obligantur. *Professi* vero *votorum simplicium* in iis Ordinibus qui habent vota solemnia et Choro adstricti sunt, cum ipsi iuxta declarationem S. Congregationis super Statu Regul., ex mandato Pii Pp. IX die

---

(1) Vide ibid., l. c.

(2) Vide ibid., l. c.

(3) Vide ibid., l. c.

(4) Vide ibid., 9. 209.

(5) Vide AA. allatos in meo cit. op., l. c.

(6) Cf. articul. meum in *Etudes Franciscaines*, an. 1901, p. 259. Adverte aliud esse per *duos* vel *tres* Fratres obligationi Chori satisfieri *posse*, aliud eos *teneri* (*Ibid.*).

(7) Probabiliter autem, ait S. Alph. V, 143, not. 1, sufficiunt novitii soli ad satisfaciendum obligationi Chori, nam, licet novitii non sint adhuc Religioni incorporati, aliquo tamen modo sunt pars illius communitatis eiusque gratiis et privilegiis gaudent – Possunt ergo communitatis obligationem adimplere – Cf. *Etudes Francisc.*, ibid., p. 261.

6 augusti 1868 editam, ad Chorum obligentur ut solemniter professi, inter *expeditos* computandi sunt (1).

II. *Quonam tempore Officium Matutini cum Laudibus in Choro sit recitandum* ?

Resp. Cum adest numerus sufficiens fratrum ad constituendam Chori obligationem, tempus recitandi in Choro Matutinum cum Laudibus est hodie *regulariter* de nocte vel mane. Quod in Choro non liceat sine speciali indulto S. Sedis recitare Matutinum cum Laudibus pro die sequenti post Completorium, non obstante causa non levi et consuetudine in contrarium, id manifeste constat ex pluribus S. R. C. decretis (2); nec licet in Choro Matutinum seiungere a Laudibus, nempe Matutinum recitare pridie et Laudes summo mane (S. R. C. 11 martii 1871, dub. IV, n. 3241).

Dictum est *regulariter*, nam de iure vel vi indulti S. Sedis excipiuntur tres ultimi dies maioris Hebdomadae, in quibus Officium pridie recitari potest (cf. Caerem. Episc., l. 2, c. 22, §§ 3, 16 et 17). Idem admittit Caerem. Episc. (l. 2, c. 10, § 1) pro Officio Defunctorum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, « *ut populi com-*

(1) Cf. Ball. - Palm., IV, 336; Génicot, II, 48; Vermeersch, I, 314; *Etudes Francisc.*, an. 1901, p. 261.

Nota. Quae supra dicta sunt valent tantum de nuda *praecepti* observatione, spectato iure communi, non vero de eo quod attinet ad *consilium* et *observantiam regularem*. Hinc laudabilissime servatur Chorus, saltem quoad recitationem communem Officii, etiam in minimis hospitiis et residentiis, salva charitate et iustitia. Pariter merito laudandi sunt illi, qui non obstantibus exemptionibus, ipsis legitime concessis, Chorum frequentant, dummodo imposita sibi officia rite adimpleant. Adverte demum, in conflictu munus docendi, praedicandi, Confessiones excipiendi, etc. frequentationi Chori praeferendum esse. Cf. *Etudes Francisc.*, ibid., p. 266.

(2) 10 Ian. 1597, n. 64; 10 Ian. 1597, n. 67; 19 Ian. 1597, n. 71; 13 Aug. 1667 ad 1, n. 1358; 3 Aug. 1737 ad 10, n. 2331; 12 Maii 1905 ad 2, n. 4158. — Cf. Bened. XIX, *Instit. Eccles*. CVII, n. 22.

modius et frequentius illi interesse possint » (Cf. etiam Decret. gener. S. R. C. 9 iulii 1895 ad I, n. 3864). Insuper, ut Christifideles indulgentias assistentiae et recitationi divini Officii quibusdam anni Festis annexas lucrari valeant, ad hunc finem quoque vi indulti S. Sedis anticipari potest in sero Matutinum cum Laudibus. Huiusmodi autem Festa et indulgentiae sunt sequentia:

a) « Qui recitant et assistunt Officio divino et Missae in **Solemnitate Corporis Christi et per totam Octavam,** lucrantur sequentes indulgentias, nimirum, pro Missa 400 dies et 400 pro Matutino et alios 400 pro Vesperis, et pro singulis Horis 160 dies. Diebus infra Octavam tam pro Matutino quam pro Missa et Vesperis 200 dies, pro aliis Horis 80 dies indulgentiae » (1).

b) « A Sixto IV conceduntur eaedem indulgentiae recitanti aut assistenti ut supra in Festo et per Octavam Immaculatae Conceptionis ».

c) « Idem concedit Clemens VIII in Festo Ss. Nominis Iesu ».

d) « Et Bonifacius in Festo Visitationis B. M. V. ».

e) « Et Calixtus III in Festo Transfigurationis D. N. I. C. » (2).

---

(1) Rescr. auth. S. Congr. Indulg. (*Summar. Indulg., quibus gaudet Ordo Seraph.,* n. 30, pag. 394); Bull. Capuc., t. I, p. 177. Praefatae Indulgentiae a SS. Pontificibus Urbano IV, Martino V et Eugenio IV concessae, valent quoque, ex decreto Ioannis XXII, etiamsi Officium de Sanctis, per dictam Octavam occurrentibus, persolvatur. Bull. Cap., l. c. et A Carpo, *Kalend. perp.,* annot. infra Oct. SS. Trinit., n. 3.

(2) Rescr. auth. S. C. Ind., l. c. (*)

(*) Cum indulgentiae sub literis *b, c, d, e* tantummodo inter Rescripta auth. recenseantur in *Summario Ordinis Seraphici,* nullo autem modo in *Raccolta* per omnibus Christifidelibus, dicendum est, nonnisi in praefati ordinis ecclesiis valere. Quod in Summario Ordinis Capuccinorum veniant sub titolo in quibuslibet ecclesiis, non respondat veritati (saltem potenti), et damnatae ex se, quando idem Summarium citat documentum de quo supra, *Summarium Ordinis seraphici.*

Porro, pro omnibus Christifidelibus habentur indulgentiae, die Nativitatis Domini, si recitaverunt divina Officia ant personaliter eis adstiterint *in qualibet ecclesia :* centum anuorum, 1° ad Matutinum, 2° ad Missam, 3° ad primos Vesperas, 4° ad secundas Vesperas. — Cuadraginta annorum, ad quamlibet ex horis minoribus (*Raccolta,* pag. 81, n. 57).

Nola Redactionis.

f) Idem indulget Leo XIII in Festo (sive die propria sive translata) Sacratissimi Cordis Iesu, si divina Officia coram ss. Eucharistiam persolvantur (1).

Insuper notandum est quod iuxta sententiam Communiorem Episcopus, et idem est de Praelato respectu sui monasterii, ex rationabili causa dispensare possit *semel aut iterum* (seu *ad tempus* perdurante causa), ut Horae in Choro aliis temporibus quam constitutis dicantur, v. gr. ut Matutinum cum Laudibus recitetur pridie sero post Completorium; hoc vero fieri nequit *in perpetuum* vel *per longum tempus*, quia in Clementis I *de celebrat. Missae*, ex Concilio Viennensi praecipitur Praelatis, ut faciant dici publice debitis temporibus Officium tam diurnum quam nocturnum (2), et in lege Concilii generalis non potest inferior dispensare in perpetuum. Ita Salmant. (tr. 16 de *Hor. Canon.*, c. I, p. 2, n. 11); Sanch. (tom. 2, *Cons. Mor.*, l. 7, c. 2, dub. 42, nn. 6 et 7); Pelliz. (l. 5, c. 8, n. 11); Trull. (tom. I, Decal. l. 1, c. 7, dub. 18, n. 1); Neuss (Tr. *de Hor. Canon.*, disp. IX, q. 3, n. 11); Navarr. (Cap. *Quando*, c. 3, *Hisp.* n. 69, *Latine* n. 72); Bened. XIV (*Instit. Eccles.* c. VII, § 4, n. 22); aliique. Haec omnia confirmantur pluribus decretis et votis quae legi possunt apud Mühlbauer (Decr. auth. S. R. C., Supplem. t. 2, pag. 517 et sqq.

Hinc iure merito dicit cl. A. Essl (in suo *Commentariolo in Rubr. gen. Brev.*, pag. 30): « Ex S. R. C. Matutinum cum Laudibus *in Choro* non est *habitualiter* vespere anticipandum sine privilegio Apostolico, quod concedi solet ad tempus, v. gr. ad decennium, si causae sunt temporaneae, ut parvus numerus Canonicorum (seu Choristarum), aut eo-

(1) Decr. S. R. C. in forma Brevis d. 28 Iunii 1889, n. 3712.

(2) Consuetudo, quae apud Clerum saecularem initio saeculi vix erat residua, media nocte surgendi ad Matutinum, pluribus de causis visa est incommoda, hinc S. R. C. decreto d. 21 Iulii 1607 in *Oscens.* statuit: « ubi adest consuetudo recitandi Matutinum media nocte a Clero *saeculari*, potest dimitti, et mutari ut recitetur *albescente die* ex iusta causa, I. e. ultima Vigilia, quae ab hora nona noctis artificialis usque ad ortum solis protenditur. Cf. Cavalieri (*Op. omn. liturg.*, tom. 2, P. 2, c. 34, decr. 1, n. 5).

rum aetas ingravescens vel adversa valetudo, necnon necessitas administrandi Sacramenta Poenitentiae per Capitulares. Conceditur vero in perpetuum, si causae sint perpetuae, ut aeris inclementia, regionis intemperies, loci situs alpestris ». Vide *Etudes Franciscaines,* Aout, 1901.

Casu autem, quo non adest obligatio Chori ob Religiosos dispensatos vel legitime occupatos, prudenter agunt Superiores qui vespere recitari faciunt in Choro Matutinum cum Laudibus sequentis diei, et hoc praesertim cum praevideant unum vel plures Sacerdotes mane sequentis diei occupatos vel impeditos esse ob confessiones audiendas vel conciones habendas. Inconsiderate vero et erronee agerent Superiores, qui cum detrimento sacri ministerii vel salutis subditorum suorum Chori frequentationem exigerent, casu quo numerus sufficiens, uti supra diximus, non adest ad constituendum Chori obligationem.

III. *Quaenam personae religiosae ad Missam conventualem obligentur.*

Resp. 1. Iuxta hodiernas reformatas Rubricas (tit. XII Psalterii 1ae edit.) omnibus ecclesiis, in quibus adest obligatio Chori, una Missa Conventualis imponitur: « In ecclesiis *(ibi dicitur),* in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant. Aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam canonicam. Excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litaniis Maioribus et Minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini... (1).

(1) Item excipitur apud nos Capuccinos dies Commemorationis omnium Fratrum Ordinis defunctorum, in qua binae Missae Conventuales adhuc hodie celebrandae sunt, una de Festo occurrente, altera de Requie post Nonam. Ubi Processio non fiat, omittitur etiam Missa Rogationum, sed in Missa Conventuali Officii diei commemoratio Rogationum fieri debet, et quidem in festo I classis sub unica conclusione (S. R. C. 27 Febr. 1847 ad 1 et 3, n. 2942).

Quoad *Regulares Choro adstrictos,* S. R. C. d. 2 dec. 1891, I, n. 3757, iam declaraverat: « Regulares, iure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso, teneri tantum legere unam Missam Conventualem, Officio videlicet diei respondentem tempore a Rubricis praescripto, quamvis aliae ab illis essent canendae, sive votivae sive defunctorum, ut onera particularia adimpleantur, vel ex peculiari S. Sedis indulto ». Ad dubium etiam ab *Ord. Carmelit. Excalceat.* propositum: « An Religiosi, quorum Constitutiones nihil disponunt circa Missam Conventualem teneantur dicere quotidie unam Missam Conventualem Officio diei correspondentem, iuxta decretum generale S. R. C. sub n. 3757, diei 2 dec. 1891? » S. eadem Congregatio resp.: « *Affirmative* » (Die 14 maii 1909 ad 1, apud Anal. Ord. Capuc., 1909, p. 203).

2. In ecclesiis Regularium Choro addictorum Missa Conventualis *sine cantu* celebrari potest (Cf. decr. gener. diei 2 dec. 1891 supra citatum), nisi aliunde oriatur obligatio eam canendi. Missa autem Conventualis, quae *sine cantu* celebratur in ecclesiis Regularium, debet aequiparari Missae solemni, sive quoad omittendam commemorationem simplicis, sive reticendas collectas ab Ordinario loci praescriptas in festis duplicibus 2 classis; potest quoad praetermittendas orationes post Missam iniunctas; idque etiam si postea alia Missa de die concinatur (1).

3. In praesenti, in omnibus ecclesiis in quibus adest Chori obligatio, de iure communi, una tantum Missa quotidie celebranda est *cum assistentia choralium;* secunda temen quoque praescribitur cum praedicta assistentia in iisdem

Si una tantum Missa celebretur in ecclesiis Monialium, Officium divinum habentibus, dicatur Missa Conventualis de Rogationibus cum Processione coniuncta, non vero de duplici vel semiduplici in Rogationibus occurrente; item, quando ex praecepto Rubricarum peculiarium Breviarii Rom. Seraphici, Officium defunctorum in Choro persolvitur, et una Missa celebratur in iisdem ecclesiis, dicatur Missa Conventualis de Requie, non vero de duplici aut semiduplici (S. R. C. 29 Iulii 1904, ad 5, n. 4141).

(1) S. R. C. 12 Mart. 1836 ad 7, n. 2740; 7 Dec. 1888 ad 7, n. 3697, et 19 Ian. 1906 ad 2, n. 4177.

ecclesiis in Litaniis maioribus et minoribus, ubi fit publica Processio, et in festo Nativitatis Domini quoad tres Missas Conventuales etc. (1).

IV. *An adstricti ad Missam Conventualem pro benefactoribus Conventus eam applicare debeant?*

Resp. Ante recentia decreta S. R. C.nis (supra allata), quibus manifeste statuitur Regulares Choro addictos teneri ad Missam Conventualem quotidianam, auctores omnes (etiam illi qui tenebant sententiam praefatos Regulares iure communi teneri ad Missam Conventualem) docebant applicationem quotidianam Missae Conventualis pro benefactoribus non spectare ad alias ecclesias sive saecularium sive regularium, nisi ad ecclesias Cathedrales et proprie Collegiatas, istamque applicationem non requiri ut Missa sit proprie Conventualis. Et ratio quam illi auctores allegant est, quia illa obligatio in iure canonico nullibi aliis ecclesiis, nisi Cathedralibus et Collegiatis, imposita est (2). Plures tamen Ordines religiosi Missam Conventualem benefactoribus applicare solent, sed hoc fit, uti recte dicit Nouvelle Revue Théologique vi particularis obligationis, vi nempe eorum Constitutionum seu consuetudinis.

V. *Post quamnam Horam canonicam Missa Conventualis sit celebranda?*

Resp. 1. Missa Conventualis *(cum nempe adest obligatio Chori)* celebrari debet *immediate* post canonicam Horam a Rubricis et Decretis designatam, non obstante consuetudine

(1) Cf. novam Rubr. Psalt. (I edit.), tit. XII, et Decr. gener. S. R. C. 2 Dec. 1891, I et IV, n. 3757. Idem dicendum videtur quod nos Capuccinos de 2ª Missa in die Commemorationis omnium Fratrum Ordinis defunctorum.

(2) Vide S. C. Conc. in *Imolen.* d. 26 Ian. 1771, § *Inquiunt* (Cap. Pallottini, tom. IV, V. *Canonici,* § 2; Merati in Gavant., P. 3, tit. 11, n. 5; Caval., *Opera omnia Liturg.*, t. III, C. VIII, decr. 7, n. II; Tetam., *Diar. Liturg.* etc. tr. I, l. I, c. II, n. 19; Nouv. Revue Théol., tom. I, p. 696, n. 2; Schober, *Caerem. S. Alph.*, app. 1, c. 1, n. 7.

contraria (1); Missa autem solemnis vel cantata, quae Officio diei non est conformis, non est *immediate* celebranda post Horam statutam, exceptis tamen Missis quae per Rubricas vel decreta reguntur, vel ad commemorationes in Officio diei factas referantur, quae immediate post respectivam Horam celebrantur (S. R. C. 9 april. 1900 ad 3 et 4, n. 4053). « Non est omittendus in fine cuiusvis Horae ℣. *Fidelium animae* etc., etiam quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim textus Rubricae XXX, n. 3 Breviarii Romani » (S. R. C. 24 april. 1742, n. 2366) (2).

2. Missa Conventualis et solemnis sequenti ordine dici debet: in Festis duplicibus et semiduplicibus, in Dominicis et infra Octavas, dicta in Choro Hora *Tertia*. In Festis simplicibus et in Feriis per annum, dicta *Sexta*. In Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, et Vigiliis quae ieiunantur, quamvis sint dies solemnes *(et ob Apostolicum indultum ieiunium minime servetur)*, Missa de Tempore debet cantari *(vel legi)* post Nonam » (3).

3. In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum communium, si occurrat duplex aut semiduplex, vel dies octava communis, Regulares, celebrata Missa Conventuali de Sancto post Tertiam, non tenentur per se (ut vidimus supra) ad alteram Missam Conventualem de Feria aut Vigilia post Nonam; nihilominus ea apud illos legi *potest* privatim et absque choristarum assistentia (4).

(1) Quod haec Missa celebranda sit post Horam a Rubricis et Decretis statutam, non obstante quavis consuetudine contraria, id manifeste constat ex pluribus S. R. C. Decretis, nimirum nn. 2345; 2459; 2578 ad 1; 2682 ad 26; 3039 ad 1; 3096 ad 3; 3250 ad 2; 3919 ad 20, et ex recenti Decreto in *Ord. Carmelit. Excalceat.* d. 14 Maii 1909 ad 2.

(2) De exceptione in Nativitate Domini; vide infra 6.

(3) Rubr. gen Missal. XV, 2; S. R. C. 22 Ian. 1701 ad 1-4, n. 2067; 20 April. 1822 ad 1, n. 2618; 9 Aug. 1760, n. 2459; 31 Maii 1817 ad 1, n. 2578; 12 Nov. 1831 ad 26, n. 2682; 22 Iulii 1848 ad 4, n. 2960; 29 Nov. 1856 ad 1, n. 3039.

(4) S. R. C. decr. gen. 2 Dec. 1891, III, n. 3757.

4. In Vigilia Nativitatis Domini Missa Conventualis celebranda est post Nonam; si autem venerit in Dominica, post Tertiam (1); in Vigilia Epiphaniae post Tertiam, sive in Feria sive in Dominica occurrerit, quia ritu semiduplici celebratur et non ieiunatur; in Vigilia vero Ascensionis, si Officium fuerit de Festo duplici aut semiduplici, vel de die Octava communi, et fiat Processio, in ecclesiis Regularibus, prima Missa Conventualis celebranda est de Officio currente cum commemoratione et ultimo Evangelio Vigiliae post Tertiam, et secunda Rogationum post Nonam (2).

5. Missa Defunctorum dici debet post Primam diei; ubi vero dicantur eorum Vigiliae mane post Matutinum diei, dictis huiusmodi Vigiliis cum Laudibus immediate dici potest Missa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa Conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis (3). In die autem Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, potest similiter dici ultimo loco post Nonam (4).

6. Missae votivae, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi vel publica Ecclesiae causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam (5).

« Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conventualem, Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino

---

(1) Auctores passim.

(2) Vide supra q. III, R. 1°, not. 1, quid faciendum sit in casu, si una tantum Missa Conventualis dicatur.

(3) Si hac die cantentur tres Missae, mihi videtur eas dicendas esse, 1^m^ post Laudes, 2^m^ post Primam et 3^m^ post Nonam, cum haec sint tempora iam pro Missis Defunctorum a Rubricis et Decretis determinata (Cf. *Ephemer. Liturg.*, an. 1916, p. 260).

(4) Rubr. gen. Missal., XV, 3.

(5) Rubr. gen. Missal., XV, 5. Casu quo Missa Conventualis etiam post Nonam celebranda est, haec prius cantanda est, dein illa votiva (S. R. C. 13 Febr. 1666 ad 2, n. 1332).

(et dicta Oratione Officii cum integra conclusione etc. sine versu Fidelium); secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die post Tertiam, vel uti aliter ex dispensatione Apostolica disponatur » (1).

Ex praedictis responsis ad quaestiones propositas sequentes conclusiones pro casu nostro iure merito deducere possumus:

a) Quod si apud personas religiosas, quae Religionem Choro adstrictam profitentur, sufficiens Religiosorum numerus adsit ad constituendam Chori obligationem, tempus recitandi in Choro Matutinum cum Laudibus sit hodie regulariter de nocte vel mane, ibique non liceat sine speciali S. Sedis indulto *habitualiter* recitare Matutinum cum Laudibus pro die sequenti post Completorium, non obstante causa non levi et consuetudine contraria.

b) Quod eaedem personae, si adsit Chori obligatio, teneantur quotidie ad unam Missam Conventualem de Officio currente, iure consuetudinis aut eorum Constitutionum etiam secluso; ad duas vero in Litaniis maioribus et minoribus, si fiat processio et in ea ecclesia seu oratorio saltem duo Sacerdotes adsint, et ad tres Missas Conventuales in Festo Nativitatis Domini; eaeque Missae celebrandae sint post Horam Canonicam, a Rubricis et Decretis determinatam, non obstante consuetudine in contrarium.

c) Quod apud easdem personas religiosas dictae Missae Conventuales non sint necessario applicandae benefactoribus Conventus seu Ordinis, nisi illi Religiosi ad hoc teneantur vi Constitutionum vel particularis consuetudinis.

---

(1) Rubr. Missal. XV, 4 et Rubr. spec. in hac die.

BREVIORA RESPONSA

Pro Luca. — *Quaeritur* I. An genuflectere debet Sacerdos quando, omnibus particulis in pyxide contentis distributis, ad altare reversus aliam pyxidem e tabernaculo extrahit eamque aperit, ut postea ad Communionem ministrandam redeat?

Resp. Sequuntur in casu caeremoniae quae praescribuntur cum sacerdos primo accedit ad altare ad Eucharistiam ministrandam: nempe, aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit pyxidem eamque detegit, et denuo genuflectit, iuxta decretum S. R. C. diei 23 decembris 1862, n. 3116, quod fas est ex integro hic citare: « Quum nec missalis nec ritualis rubricae determinent numerum genuflexionem, quae a sacerdote fieri debent, dum ad altare revertitur cum Sanctissimo Sacramento post distributam fidelibus sacram Communionem; alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris de sententia desuper requisitus, post accuratum omnium examen, censuit regulam in casu desumendam a rubricis determinantibus duplicem genuflexionem, antequam sacerdos Communionem ipsam administret; nimirum: primam, antequam extrahat a tabernaculo pyxidem; alteram vero, post discoopertam, super altare eandem pyxidem. Quum enim agatur de cultu debito Sanctissimae Eucharistiae, congruum profecto est, ut eodem prorsus modo iste cultus praestetur a sacerdote ad altare redeunte; nimirum: genuflectendo primo, antequam pyxidem cooperiat; et iterum, postquam illam in tabernaculo recondidit, et antequam tabernaculi ostiolum claudat.

« Hanc porro sententiam, quam Sacrorum Rituum

Congregationis Secretarius retulerit in ordinario Coetu Sacrorum Rituum subsignata die ad Vaticanum coadunato; R.mi et R. mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Placere, seu iuxta votum Magistri Caeremoniarum;* ac proinde decreverunt: **A Sacerdote redeunte ad altare post fidelium Communionem, genuflectendum antequam cooperiat sacram pyxidem; et iterum genuflectendum antequam, pyxide in tabernaculo reposita, ipsius tabernaculi ostium claudat.** Atque ita ubique servandum mandarunt ».

Praxis omittendi genuflexionem, dum sacerdos ad altare reversus aliam pyxidem accipit, non est sequenda, quia genuflexio debetur propter tria, nimirum: propter tabernaculi reaperitionem, propter pyxidis attrectationem (Cfr. Martinucci, lib. I, c. 24, n. 5; Schober c. II n. 1, ad 1, aliosque), et propter eiusdem pyxidis detectionem.

II. An genuflectendum sit post Eucharistiam infirmo distributam, antequam pyxis claudatur et digiti laventur?

Resp. In Rituali romano tres tantum genuflexiones ante ss. Sacramentum in administratione viatici praescribuntur: 1.° post depositum ss. Sacramentum super mensam, 2.° antequam Sacerdos Sacramentum accipiat ante *Agnus Dei*, et 3.° in fine administrationis, antequam pyxidem accipiat ad discedendum. Inde autem, ait cl. De Herdt, concludendum non est, non oportere ut saepius genuflectatur; sed potius dicendum est genuflectendum esse quandocumque iuxta alias rubricas in casibus similibus id fieri debet. Hinc sacerdos recte genuflectit, antequam, recitata oratione *Exaudi nos*, a mensa recedat, et accedat ad infirmum, ut cognoscat num sit bene dispositus; item dum deinde reveritur ad mensam, prout etiam data Communione et deposita pyxide antequam eam cooperiat,i uxta decretum S. R. C. n. 3116, supra per extensum transcriptum.

III. An Sacerdos, postquam iis qui communicarunt benedixerit, antequam ab altari descendat, cruci caput inclinare debeat?

Resp. Inclinatio ad crucem neque a rubricis neque ab auctoribus praescribitur: cfr. *Caerem. Parochorum*, pars II, sect. II, cap. III, art. III, n. 7, ubi legitur: « Omnibus persolutis, sacerdos corporale plicat, immittit in bursam, quam ipse ante pectus retinebit, et **absque capitis inclinatione ad crucem**, descendit in planum, genuflectit, caput operit bireto, et in sacrarium redit ». Ratio ergo omittendi capitis inclinationem videtur quia paullo post sacerdos ante altare genuflectere debet. In missa solemni, lecto ultimo evangelio, ministri in medio suppedanei accedunt, et *iuxta consuetudinem passim introductam*, simul cruci caput inclinant; et suo tempore, debita reverentia altari facta in plano, ut initio missae, recedunt. Ista consuetudo non verificatur in casu nostro; ergo omittenda est inclinatio cruci.

IV. Si quando missam votivam de aliquo Sancto, de quo in calendario dioecesis Lucanae numquam fit officium, dicere velim vel debeam, possum ne sumere missam propriam *pro aliquibus locis* assignatam, vel necessario sumere eam debeo de Communi?

Resp. Sumenda est missa propria, de corpore missalis, si habetur, etiamsi officium alicuius sancti non celebretur in dioecesi. Si vero proprias quasdam tantum haberet partes, eae saltem legi debent, secus ad commune recurrendum erit, mutatis mutandis, prout temporis qualitas exigit. Et hoc confirmatur decretis S. R. C. 29 novembris 1738, n. 2340 ad 1 et 2; et 30 iunii 1896 § III ad 1, n. 3922. Hisce praemissis, notandum est quod pro *missa propria* intelligitur ea quae in missali pro ecclesia universali celebratur, non autem quae tantum concessa est pro aliquibus locis; utpote quod haec missa pro aliquibus locis censenda est reservata specialibus ecclesiis, vel regionibus, vel dioecesibus, vel religiosis congregationibus aut sodalitiis, pro quibus a Sancta Sede assignata fuit; unde necesse est, ad missam illam celebrandam, indultum apostolicum petere. Ad rem cl. Aloisius a Carpo scribit: « Missa votiva de San

ctis sumitur de communi, nisi propria suppetat celebranti concessa; mutatis tamen in utroque casu mutandis » (Caerem. Pars II, art. X, n. 89). Sed instas: De sanctis non praescriptis in calendario non potest celebrari officium divinum ad satisfaciendum propriae obligationi, qua tenentur canonici, beneficiati et similes, ex decreto S. R. C. rubricis addito; consequenter nec possunt dici missae propriae eorumdem sanctorum secundum ordinem officii. Non potest enim celebrari missa propria cum officio nisi de illis, qui descripti sunt in calendario: ne ad libitum mutari possit ordo breviarii et missalis; nihilominus quoad missam votivam nulla extat prohibitio, nec illa mutatur ordo calendarii, quia sancti per canonizationem acquirunt ius ad cultum qui defertur per missam, ut patet ex Bullis Canonizationum, et ex communi DD. sententia apud Bellarminum (tom I controv., lib. 1, c. 7). Confirmatur quia secundum rubricam missalis huius tituli IV, n. 2, possunt dici missae votivae de sanctis absque ulla exceptione, ergo etiam de sanctis non descriptis in calendario. In honorem enim cuiuslibet sancti canonizati omnes conveniunt, posse utique et quolibet die, non interdicto a rubricis, a quocumque sacerdote celebrari missam, et istam propriam, etiam ex iis quae in aliquibus locis prostant. — Ad allatum argumentum, quod satis concludit, distinctionem facere oportet. Si missa alicuius sancti adest propria in corpore missalis, ab eo sumitur, mutatis mutandis, iuxta decretum n. 3922, si necesse sit. Si autem non adsit, sumitur de communi, prouti qualitas sancti et tempus exigit.

Fatendum est, in allata quaestione duplex habetur opinio. Nonnulli, implicite saltem, affirmant, nullam distinctionem facientes inter propriam missam contentam in corpore missalis, et quae in missali pro aliquibus locis invenitur. His videtur cohaerere decretum generale de missis votivis (30 iunii 1896) super allatum, in quo § 3, n. 1 legitur: « Missae votivae dici tantum possunt de *quibuscumque sanctis* canonizatis in Martyrologio romano descriptis ». Alii

vero cum Manuale ecclesiastico a cl. P. Pozzi Episc. Montis regalis edito (n. 1091), et P. G. Schober (Caerem. Miss. App. 3, c. 3) negant. Nos certum tamen tenemus, ut alias in Ephemeridibus inunimus, ex alio decreto generali, 11 augusti 1691, n. 1853, in principio missalis edito, in locis, in quibus non extensa sint officium et missa de sancto canonizato, non propriam missam, si adest, legi posse, sed de communi. Ex. gr. in mea ecclesia non est concessum festum S. Francisci de Hieronimo S. I., licet in appendice pro aliquibus locis inveniatur eius missa propria; ergo si de eo missam votivam legere voluero, ex communi, non propriam legam.

V. Non desunt ecclesiae parochiales rurales in quibus in sabbato sancto tantum missa legitur vel canitur, eam ad summum incipiendo a prophetiis. Quid de hac consuetudine?

Resp. Missae privatae sine speciali indulto Sedis Apostolicae prohibentur in sabbato sancto, iuxta decreta S. R. C. 31 iulii 1821, n. 2616, et 22 iulii 1848, n. 2970; etiamsi festum de praecepto occurrat, 31 iulii 1821, n. 2616 ad 3 et decr. praecedentis 12 februarii 1690, n. 1822, quod explicite habet: « Celebrationem missarum die sabbati sancti omnino prohibendam in quibuscumque ecclesiis et oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, et unicam tantum missam conventualem seu solemnem cum officio eiusdem sabbati sancti permissa et praecepta est.

VI. Die 6 octobris est dedicatio ecclesiae metropolitanae Lucanae; die vero 8 eiusdem mensis in eadem ecclesia metropolitana habetur festum duplex 2.ae classis et primarium. Hinc fit ut in hac archidioecesi numquam possit dici hymnus in primis vesperis sacratissimi Rosarii positus; in metropolitana vero neque hymnus in secundis vesperis eiusdem sacratissimi Rosarii assignatus. Rectene pro omnibus hymnus de primis vesperis coniungendus est hymno matutini, et pro ecclesia metropolitana hymnus in secundis vesperis coniungendus hymno laudum; an potius

qui dici nequeunt omittendi sunt, quum breviarii rubricae hac de re omnino sileant?

Resp. Praescriptum rubricae, quoad Tit. XX, n. 3, *De hymnis,* hoc est: « Quando in aliquo festo adsint tres hymni proprii historici eiusdem metri, et hymnus proprius in primis vesperis dici nequeat, tunc hic hymnus dicitur ad matutinum, hymnus matutini ad laudes, ac hymnus laudum ad secundas vesperas ». Haec rubrica est applicatio S. R. C. decreti n. 2319. Notandum est, cum cl. Piacenza, hanc rubricam praescribere praedictam hymnorum commutationem quando hymni ipsi sunt *historici* et *eiusdem metri*; quae tamen conditiones procul dubio exigendae sunt quando hymni omissi coniungendi sint cum aliis; quando vero non *coniungendi* sint, sed tantum commutandi, tunc necesse non est ut sint historici et eiusdem metri. « Si vero, ait rubrica, secundae vesperae non sint de hoc festo, tunc hymnus vesperarum coniungitur cum hymno matutini sub unica conclusione ». Quod cohaeret cum plurimis S. R. C. decretis et maxime cum decreto n. 3844[3], in quo declaratur: Hymnus vesperarum coniungendus est cum altero ad matutinum quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi. Ut autem coniunctio fiéri valeat, oportet ut binae habeantur conditiones, nempe ut sint *historici* et *eiusdem metri;* etenim sub diverso metro coniungi nequeunt hymni, diversam habentes in cantu melodiam. Quod si aliquando neque transpositio neque coniunctio hymnorum fieri possit, tunc, iuxta mentem S. R. C. decr. 11 decembr. 1903, *Congr. Erem. Camald. Montis Coronae* ad 2), ex hymnis propriis ille omittitur, qui est minoris momenti, quod etiam docuerat cl. Cavalerius (tit. 2, c. 39, d. 4, n. 5). Cfr. cl. Piacenza *Expositio Rubricarum Breviarii* (Vol. II, pagg. 327 et seqq.) Hisce praemissis, liquido responsum fluit. Cum in primis vesperis officii in honorem B. M. V. a sacratiss. Rosario hymnus proprius dici nequeat ob impedimentum festi duplicis 2[ae] classis primarii, hic hymnus coniungi debet hymno ad matutinum quia historicus et eiusdem metri sub unica doxologia.

Sed aliter dicendum est pro ecclesia metropolitana, in qua hymnus in secundis vesperis coniungi minime debet hymno laudum cum sit tantum repetitio ceterorum; iuxta decretum S. R. C. 23 mart. 1911, n. 4262, quod ita se habet: « Hymni omnes proprii, qui ad integritatem historiae necessario non pertinent (prouti est hymnus *Te gestientem gaudiis* ad II Vesperas in festo SS. Rosarii B. M. V. appositus, tamquam summarium et repetito ceterorum), si recitari nequeant ad eas horas, quo quibus designantur, ex praecepto recitentur ad alias eiusdem diei horas, in quibus alius hymnus, vel de communi utcumque desumptus vel iam in eodem recitatus Officio, secus debeat adhiberi; imo, etiamsi hymnus aliquis proprius, in aliqua diei hora minime recitatus, possit, sine ulla hymnorum coniunctione, ad aliquam horam antecedentem vel subsequentem amandari. Si autem eiusmodi hymni proprii, qui ad integritatem historiae necessario non referuntur, nequeunt servari, nisi aliqui coniungantur, tunc de congruo, in privata tantum Officii recitatione, hymni eiusdem metri cum proximioribus uniri valent, prouti Rubricae Gen. Breviarii Romani, Tit. XXVI, nn. 3, 4 et 6, de lectionibus in privata item Officii recitationi fieri concedunt; quoniam in publica Officii celebratione, non arbitrarium onus, sed necessarium tantummodo est urgendum, atque in annuis calendariis adnotandum ».

VII. *a*) Non desunt qui docent, parochum posse alii sacerdoti missam celebrandam pro populo ideoque officio conformem committere, ut ipse canat missam de festo externe celebrato, de quo secus cani non posset (Cfr. *Monitore Ecclesiastico* ann. 1916, pag. 39).

b) Item non desunt qui docent post missam parochialem, in qua concio habetur, omitti posse preces post missam, quasi per decretum S. R. C. 20 iunii 1913 abrogatum fuerit decretum n. 3957 ad 3 (Cfr. *Monitore Ecclesiastico* ann. 1914, pag. 129).

Quid de huiusmodi sententiis? Nonne, maxime secunda, nimia laxitate laborant?

Resp. ad 1. Obligatio parochi missam pro populo applicandi pro populo diebus dominicis et festivis est *personalis* simul et *realis*, nec parochus alium sacerdotem, qui id praestet, sibi substituere potest, nisi ex legitima causa.

Ista parochi obligatio est *personalis*, quia hoc officium alteri absque legitima causa committere non potest; *realis*, quia si legitime impediatur, pro huius missae applicatione in ecclesia parochiali alterum sibi substituere tenetur. Ita declaratio Concilii Trident. sess. 23, c. I *De Reformatione*, cui consonat Benedictus XIV; quod repetit Pius IX (Encycl. *Amantissimi*) hisce verbis: « Parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere ». Cum itaque hoc officium dicatur proprium eorum, qui curam animarum habent actuque gerunt, officium *personale* considerandum est. Quod confirmatur auctoritate theologorum et canonistarum, qui dicunt, hanc obligationem esse *personalem*, ita ut excepto casu legitimi impedimenti parochus per se ipsum missam pro populo applicare teneatur.

Diximus *excepto casu legitimi impedimenti*, seu verae necessitatis et concurrat causa canonica, in quibus casibus missa pro populo est celebranda per aliam sumptibus pastorum (S. R. C. 25 sept. 1847 in *Mechlinien.*; et plura alia decreta in causa *Melevitana* die 9 april. 1892 apud nostras *Ephemer. Liturgicas*, Vol. VI, pag. 378). Causa vero canonica, ait cl. Vict. ab Appeltern, censetur: 1. gravis infirmitas; 2. legitima absentia; 3. obligatio celebrandi missam conventualem, et 4. legitima superioris dispensatio. Celebratio autem missae funeralis, etiam praesente corpore, vel legati implementum, non est per se causa sufficiens, quae ab onere personali eximere potest (S. R. C. 26 ian. 1771 in *Fesulan.*; 9 april. 1892 in *Melevitana*, apud *Ephem. Liturg.* Vol. VI, pag. 378).

Haec obligatio est etiam *realis*, quia occurrente legitimo impedimento parochus suo loco alium sacerdotem substituat oportet. Nam, ait cl. Schober, obligatio applicandi

missam parochialem est una ex obligationibus muneri pastoris, et « sicut pastor, impeditus praedicare vel sacramenta administrare, tenetur praedicare et administrare per alium, ita impeditus applicare per seipsum populo missam, tenetur per alium applicare sacrificii fructum, quod est pasculum utilius, quo populum iuvare potest » (S. Alphons. l. 6, n. 326): quod confirmatur decretis S. C. C. 11 maii 1720; 14 decemb. 1859; 14 decemb. 1872[3]. Hisce dictis, doctrina in casu proposito, et ab Ephemeride *Monitore Ecclesiastico* recepta, non videtur condemnanda. Parochus enim committit sacerdoti missam celebrare pro populo, officio conformem, ut ipse canat missam de festo externe celebrato, de quo **secus cani non posset**. Adsunt hic et legitimum impedimentum, seu vera necessitas ut parochus alteri celebrationem missae parochialis committat, scilicet impotentia vel inscitia cantus ex parte sacerdotis substituti; et provisum est aliunde ut missam parochialem iuxta officium divinum celebretur.

Resp. ad 2. Preces istae recitandae sunt post quamlibet missam *privatam*, seu sine cantu a sacerdote celebratam, etiamsi dicatur missa de Requie, vel sit missa parochialis, vel missa lecta sub qua cantatur a choro seu populo; similiter dicuntur post missam communionis, cui alumni collegii vel seminarii assistunt. Non autem de praecepto post missam conventualem etsi lectam, quia potest aequiparari solemni; nec post missam ordinationis, neque post missam exequialem, vel missas in Memoriale Rituum Benedicti XIII contentas, quamvis sine cantu, neque post missam votivam lectam S. Cordis Iesu, prima feria VI cuiusvis mensis, vel similem missam lectam, ex. gr. occasione 1ae communionis, aut communionis generalis, sacrae confirmationis, aut pro sponsis, vel aliqua communitate (ad instar conventualis), neque post missam parochialem cum aliqua solemnitate celebratam. Similiter omittuntur si post missam celebrans ab altari non recedat, et immediate subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium.

Doctrina in casu proposita, et ab Ephemeride *Monitore Ecclesiastico* recepta, minime laborare laxitate videtur, cum missa parochialis, in qua concio habetur, solemnitatem aliquam vestire nemo dubitet.

D.

Pro Petrocorio in Gallia. — I. Utrum Tertiarii cuiusque sexus et instituti S. Francisci lucrari possint etiam omnes Indulgentias, Absolutionibus generalibus annexas et Franciscalibus I et II Ordinis directe concessas?

Resp. Affirmative. Per Breve « *Sodalium a Tertio Ordine* » Pius Pp. X (felic. record.) die 5 maii 1909 in perpetuum concessit: « Statuimus in perpetuum, ut quibus pontificalis indulgentiae donis fruuntur, quosque de bonis operibus spirituales fructus percipiunt familiae seraphicae primi et alterius ordinis, ea omnia Tertiarii Franciscales quotquot sunt utriusque sexus et cuiusvis Instituti, vitae mortisque tempore participent » (Vide Anal. Ord. Capuc., an. 1909, p. 322).

Super praedictum indultum Minister Generalis Fratrum Minorum sequentes litteras supplices ad Ss. D. N. Pium Pp. X direxit: « ... Iamvero, Tertiariis nostris in amplissimam Indulgentiarum et spiritualium fructum communicationem auspicato vocatis, congruum esse videtur, ut primi et secundi Ordinis alumni participes reciproce fiant Indulgentiarum et spiritualium fructum Tertiariorum. Itaque S. Vestram suppliciter exorare Orator audet, ut ex apostolica benignitate concedere dignetur, quaetenus laudata Indulgentiarum et spiritualium fructuum mutua communicatione perfrui in perpetuum possint quotquot sub Patriarchae Seraphici S. Francisci vexillo militant ad quemcumque Ordinem vel Ordinum Familiam pertineant ».

Et SS.mus Pius Pp. X, die 17 maii 1909 rescripsit: « *Iuxta preces perlibenter in Domino* » Vide Anal. Ord. Capuc., an. 1909, p. 226).

Existit ergo inter I, II et III Ordinem S. P. Francisci plena et reciproca communicatio *Indulgentiarum et fructum spiritualium*, non autem *privilegiorum*.

Notandum tamen est quod ad impertiendam Absolutionem generalem, quam Tertiarii S. P. N. Francisci vi communicationis cum I et II Ordine lucrari valent, adhibenda sit formula consueta, pro Tertiariis saecularibus concessa (Vide Ephemer. Liturg., an. 1913, pp. 176-185).

II. Quandonam pro anno sequenti dicendae sint Litaniae Sanctorum in Festo S. Marci, Vide *Errata-corrige* in Ephemer. Liturg. huius anni, pag. 214.

Pro Bario. — I. In opere meo « *S. Liturgiae Promptuarium* », tom. I, n. 283, legitur: Sine indulto apostolico incensum dari nequit in Missa Conventuali vel cantata, quae sine Ministris paratis celebratur, non obstante consuetudine immemorabili in contrarium. In Ordine autem nostro Capuccinorum ex speciali indulto S. Sedis (vide S. R. C. 17 Decembr. 1888 ad 3) permittuntur incensationes in Missis aliqua maiori solemnitate celebrari solitis. Quod autem apud nos Capuccinos Missa *cantata* (etsi sine Ministris sacris) uti Missa aliqua maiori solemnitate celebrata considerari possit, pro me nullum est dubium. Ergo...

II. Quod Benedictio Papalis *sex* in anno impertiri possit in nostris Ecclesiis, dummodo non sit in eodem die, qua impertitur ab Episcopo in propria Ecclesia, est magnum dubium, vide *Anal. Ord. Capuc., vol. XXII, pagg. 54 sq.* Hinc, cum sit dubiosum illud privilegium quoad quatuor Benedictiones Papales, in praxi non est deducendum, et consequenter solummodo bis in anno est impertienda illa Benedictio Papalis, quae directe concessa fuit Tertiariis saecularibus S. Francisci, et vi communicationis omnibus Franciscanis.

III. Solemnitas Festorum in Dominica proxima sequente celebrari nequit, nisi pro ipsis Festis pro quibus ea concessa fuit ab indulto apostolico vel generali vel speciali. Hinc, cum pro Festis S. P. N. Francisci, S. Ludovici Regis Galliae et Sanctae Elisabeth Reginae Vid. eiusmodi indultum nondum existat, illud petendum est a S. Rit. Congregatione, sive pro Missa solemni sive pro Mis-

sis privatis, uti plures Provinciae Ordinis nostri pro Missa solemni iam fecerunt.

IV. Preces a Summo Pontifice Leone Pp. XIII post Missam privatam praescriptae omitti nequeunt, quando post Missam privatam alicuius Sacerdotis persolvitur aliqua sacra functio ab alio Sacerdote in eodem altari, quia in decreto S. R. C. d. 20 iunii 1913 explicite dicitur: dictae preces omitti possunt, si Missa ipsa cum aliqua solemnitate dicatur, vel si aliqua sacra functio vel pium exercitium eam sequatur, *quin Sacerdos ab altari recedat*, quae conditio non verificatur in casu.

V. Reliquiae Sanctorum incensari possunt, antequam deosculandae praebeantur, nisi SS. Sacramentum sit expositum, quo casu benedictio et osculum illarum Reliquiarum omittenda sunt, etiam in alio altari (V. S. R. C. d. 17 iunii 1900 ad 2, n. 4059.)

VI. In Oratione XL Horarum, quae peragitur ex mandato Ordinarii iuxta Instructionem Clementinam, Missa pluribus gaudet privilegiis, nimirum: tam in expositione quam in repositione (i. e. in 1ª et 3ª die) cantari potest una Missa votiva solemnis de Ss. Sacramento; die vero *secunda* una Missa votiva solemnis *pro Pace*, vel alia a S. Pontifice aut arbitrio Episcopi praescripta. — Controvertitur inter auctores, utrum hoc privilegio etiam Ecclesiae frui possint ubi haec Oratio adamussim non fiat iuxta Instruct. Clement., *ubi nempe expositio et adoratio supendatur horis nocturnis* Ephemerides Liturg., vol. XXI, p. 665 dicunt: « Expositiones et repositiones, sive in forma, sive ad instar XL Horarum, si habentur *pro aliqua re gravi*, ut tali ab Ordinario recognita, iisdem privilegiis quoad Missam gaudent, quae in Clementina Instructione habentur » (1).

P. V. ab A.

(1) Imo ampliori privilegio, quia Missae reipsa *pro re gravi* ab Ordinario praescriptae, vel de eius consensu solemniter celebrandae, non impediuntur nisi a Dominicis I cl. et festis duplicibus I cl., Feria IV cinerum, Feriis Hebdomadae maioris, vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini (S. R. C., n. 3922, II, 1, 2).

NOTA REDACT.

Pro dioecesi Carnuten. — In die sancto Paschae, in ecclesiis quae Fontes habent, Vesperae in choro, secundum rubricam particularem ordinantur cum processione ad Fontes et ad altare Crucifixi, ubi stationes fiunt, in quibus cantantur antiphonae et orationes propriae. Quod fit per totam Octavam. Deinde, a sabbato ante dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis exclusive, in choro tantum, post Vesperas, quae cantantur ut in Breviario fit statio ad Crucifixum (exceptis festis duplicibus I vel II classis), et cantatur in Dominicis et in festis duplicibus ℟. *Christus resurgens* et Oratio propria, in semiduplicibus autem, ant. *Dignus est* et Oratio *Deus, qui pro nobis,* tunc non fit alia commemoratio de Cruce.

Venerabiles ecclesiae cathedralis Carnuten. quotidie Missam cantant, sed pluribus abhinc annis, Horas minores, Vesperas et Completorium in choro recitant tantum, sine clericis, sine cantoribus, ex indulto; unde stationes pro hebdomada Paschae (excepta feria II, in qua totum Officium cantatur) impossibiles evadunt; item statio, ad Crucifixum postea usque ad Ascensionem facienda, die dominica tantum possibilis est, unde:

1° Debentne pro hebdomada Paschae, etiam in choro, Canonici, hanc sequi rubricam in Proprio indicatam: « Ab iis qui privatim recitant, et in ecclesiis ubi non sunt Fontes, Vesperae, etiam in choro, dicuntur ut in Breviario » ?

2° Debentne a sabbato ante dominicam in Albis usque ad Ascensionem, infra hebdomadam, Vesperas recitare ut in Breviario, nulla facta commemoratione de Cruce, vel addere commemorationibus antiphonam et Orationem, quae dicendae erant in statione ad Crucifixum?

3° Debentne in semiduplicibus recitare suffragium ordinarium de Cruce, vel antiphonam et Orationem, quae dicendae erant in Statione ad Crucifixum?

Resp. Constat reipsa de obligatione harum rubricarum, quippe quae in Proprio Carnuten. reperiuntur, a S. Sede approbato. Hae igitur rubricae tenent, usquedum non sub-

vertantur mutatis radicitus conditionibus, uti esset si v. gr. revera Vesperae, non amplius publice, sed privatim persolverentur aut impossibilis evaserit adimplementum illius praescriptionis. At recitatio choralis minime sublata est, et etiamsi fiat ex indulto, sine cantu, semper publica est; nihil porro impedit quominus rubricae in casu sustineri queant, hinc:

1. In hebdomada Paschali, Canonici Cathedralis Carnutensis nequeunt, vi rubricae, quae respicit recitationem privatam, omittere processionem ad Fontes, et ritum specialem Vesperarum; sed debent adimplere, demptis incensationibus. Solemnitas ergo actus omittetur, quod est accessorium, sed non substantia, quod est principale.

2. Nedum debent Canonici, a Sabbato ante Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, infra hebdomadam, commemorationem facere SS.mi Crucifixi, ut in rubrica ad calcem Proprii Carnuten, sed etiam stationem peragere, quae compossibilis est cum officiatura non solemni, seu sine cantu, ut supra dictum est.

3. Debent in semiduplicibus recitare, cum statione ad SS. Crucifixum, eo temporis intervallo, ut ad n. 2, responsorium *Christus resurgens*, cum ℣. *Salvavit* et oratione *Deus, cuius Filius*, non vero suffragium ordinarium, neque antiphonam *Dignus est*, quae pertinet ad Simplicia et Ferias, iuxta rubricam peculiarem, citato loco.

Pro dioecesi X. — Petrus, praepositus ecclesiae S. Laurentio dicatae celebrare vult festum externum in Dominica, sed in *Ephemerid. Liturg.*, pag. 523, anno 1916, legit: « Non est omnino contrarium spiritui rubricarum quod cantari possit saltem una Missa de Sancto, cuius decurrit Octava ». Ista dispositio supponit plures Sacerdotes in eadem ecclesia Sacrum facientes, sed Petrus est solus Sacerdos qui celebrat in sua ecclesia, et quidem semel in die, hac de causa quaerit: Utrum possit cantare Missam de Sancto cum commemoratione de Dominica, vel debeat canere Missam de Dominica cum commemoratione de Sancto?

Resp. Sententia nostri R.mi Adlaboratoris accipi debet cum mica salis, ita ut videlicet, non in sensu absoluto in praxim deduci queat, sed relativo; dicimus relativo ad consuetudinem *iam a longo tempore* existentem, uti Solutor se paulo ante exprimebat. Secus, quod non est *omnino* contrarium *spiritui* rubricarum, si theorice sustineri potest, tamen in praxi nonnisi valde prudenter et caute exsequutioni mandatur, uti v. gr. in casu, de quo in loco Ephemeridum citato.

Consideret insuper Petrus, quod, si unica Missa quam celebrat est conventualis vel parochialis, etiam admissa longaeva consuetudine, non possit eam celebrare, nisi de Officio currenti, salvo peculiari indulto.

Consectaria facillime deducuntur.

Pro dioec. Adrien. — I. Cum anno 1917 externa solemnitas Dedicationis ecclesiae *propriae* occurrat die 28 octobris, quaeritur an, recte, adnotatio in Kalendario ponenda haec esse possit: « In omnibus ecclesiis consecratis omnes Missae (exc. paroch. vel conv.) legi possunt de Dedic. ecclesiae cum com. Ss. App. et Dom., prf. App. et Evang. Dom. in fine ».

Resp. Supponitur, in casu, quod Dedicatio ecclesiae, ante decretum S. R. C. 28 octobris 1913, antea, celebrata fuerit in Dominica quarta vel ultima octobris, aut etiam alia determinata post Pentecosten; secus nequiret hodie de ea celebrari externa solemnitas eadem Dominica, etiamsi incideret in festum SS. Simonis et Iudae App. Supponitur insuper, quod *rite* celebretur haec solemnitas externa; secus enim, sola voluntas celebrandi Missas de Dedicatione, non sufficeret ad rem; est nempe facultas celebrandi Missas de solemnitate, dato quod solemnitas reipsa habeatur: « *Ubi* solemnitas externa celebratur, *permittuntur* Missae », ait decretum.

Non ergo *in omnibus ecclesiis consecratis* legi possunt Missae etc., sed in quibus rite solemnitas externa de Dedica-

tione celebratur. Etiam illud *legi possunt* moderandum est, quia potest etiam Missa solemniter vel cum cantu haberi.

II. Quando in Dominica celebratur aliquod festum *externum* cum omnibus Missis de eodem (ut e. g. evenit die 1 octobris a. c.), si infra hebdomadam occurrat officium feriale, Missa celebrandane erit, vi rubricae, de praecedenti dominica?

Resp. Vi rubricae, negative, quia Missa Dominicae resumenda, uti declarat S. R. C. decreto d. d. 6 decembris 1912, I, est illa quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit. In casu autem non est verum hanc Missam non fuisse celebratam ob occursum nobilioris Officii; Officium enim de SS. Rosario nequaquam habebatur. Eo vel magis, quod, cum esset facultativa celebratio Missarum de Rosario, potuit aliqua haberi, imo debuit, si agebatur de conventuali vel parochiali, de Dominica. Si tamen de facto nulla Missa de Dominica fuit celebrata, posset sensu latiori accipi ille *occursus nobilioris Officii,* et, non vi rubricarum, *materialiter,* sed iuxta earum *spiritum,* resumi illa Missa, cum consequentibus effectibus.

Pro Rochester, N. Y. — In Ephemeridibus Liturgicis huius anni: 1. Pag. 486, ad VII: Undenam habetur facultas mutandi orationes? Certo, non possumus ad libitum supprimere vel addere. Estne decretum aliquod in re?

2. Pag. 487, ad X: Remanet difficultas: in praxi, licetne mihi celebrare de Requie in duplici minore feria 2ª? Duo conceduntur: usus nigri coloris et indulgentia, seu altare privilegiatum. Utique celebratio Missae de Requie necessaria non est ad favendum privilegio altaris. Attamen interdum absque altaris privilegio S. Sedes concedit Missas de Requie in duplicibus. Forsan, extra Quadragesimam, ferias privilegiatas, vigilias, etc. remanet apud nos facultas celebrandi singulis feriis secundis Missam de Requie. Abhinc paucos menses « prorogatae sunt facultates nostrae iuxta petita ». Ergo remanet indultum; sed quomodo remanet? In tota sua vi, exceptis *quibusdam* feriis secundis,

vel quoad altare privilegiatum tantum? Curnam non possumus habere interpretationem *authenticam?*

3. Ibid., ad IX: « Non conveniret chorum iam sedentem Episcopum invenire », non est clarum. Potestne chorus sedere, cantato *Dominus vobiscum* et *Oremus* ad Offertorium, surgente dein, accedente Episcopo ad altare, transeunte scilicet Episcopo de throno ad altare? Nullibi, credo, in Statibus Foederatis genuflectit chorus dum Episcopus lavat manus. Cantato igitur *Oremus* ad Offertorium, praxis est ut sedeat chorus, sedente Episcopo, et surgat chorus surgente Episcopo.

Resp. 1. Novimus plane extare Decretum S. R. C. n. 1816, edicens, orationes recitandas esse in Missa, prout iacent in Missali Romano; sed oportet ut veritas servetur. Cum igitur, in casu tunc proposito, ageretur de personis talis conditionis, pro quibus nulla oratio habetur in Missali Romano, oportet, ad pronunciandam veritatem ut quaedam verba deleantur in aliis quae secus ad rem non facerent. Quomodo potest exigi, ut decretum expectetur ad dicendam veritatem in S. Liturgia?!

2. Renovatio Indulti in terminis prioris concessionis, non obstante decreto S. Officii, 13 februarii 1913, significat: *a*) standum, in loco, conditioni de celebranda *Missa de Requie,* feriis secundis non impeditis, etc.; *b*) censeri impeditas ferias maiores, ut in rubricis post Bullam *Divino afflatu* primo editis, tit. X, n. 2, eo quod Indultum non tradit facultatem celebrandi Missam de Requie diebus universaliter prohibitis. Etiam prius quam conderentur hae novae rubricae, extabant feriae secundae exceptae, v. gr. in Vigilia Nativitatis Domini in octavis privilegiatis, nemo tamen ausus esset pronunciare, tunc licuisse Missas de Requie, de quibus agimus, hisce diebus legere. Paucioribus igitur tunc exceptis, generali lege, adiiciantur necesse est, hodie, et ceteri, item generali lege prohibiti.

3. Sententia nostra cum doctrina convenit Martinucci,

et respondemus: Negative. Attamen, si consuetudo est ut chorus sedeat sedente Episcopo, non tamen dum manus lavat, quod non caret mysterio, sedeat cum bona pace. Dicimus: non tamen, etc., quia irreverentia secus irrogaretur Episcopo; ergo irrationalis esset ista consuetudo.

M.

Pro Alexandria Stati Morum. - 1. Est re necessaria mysteriorum meditatio in recitatione rosarii?

Resp. Meditatio mysteriorum in recitatione rosarii s. Dominici, iuxta decretum S. C. Indulg, 13 aug. 1726, omnino est necessaria ad lucrandas indulgentias. Similiter meditatio mysteriorum est necessaria quando coronis applicantur indulgentiae pro recitatione rosarii (S. C. Ind. 1 iulii 1839). Non est autem necessaria quando coronis applicantur indulgentiae communes vel Apostolicae (l. c.); nec non cum coronis B. M. V. de licentia S. Sedis applicata fuit benedictio cum indulgentiis s. Birgittae numcupatis (l. c.).

Brevis collectio quaestionum ritualium, quae proponi possunt pro solutione a singulis calendaristis.

(Continuatio, V. num. 10 curr. anni, pagg. 630-640).

Ad IV. *Sacerdos, in necessitate, Baptismum privatum domi administrans, etiamsi fore ut baptizandus tamdiu vivat videatur, quamdiu sufficit ad caeremonias explendas, quas ex istis absolvere debet, quasque omittere; et debetne, in casu, stolam et superpelliceum gestare; licetne insuper extra ecclesiam caeremonias suplere? In privato autem Baptismo et in supplendis postea caeremoniis, patrini suntne admittendi; et admissi, contrahuntne spiritualem cognationem; praeterea, gaudentne episcopi saltem, privilegio domi baptismum cum omnibus caeremoniis permittendi extra mortis periculum et urgentem necessitatem, et quibus decretis?*

Resp. Ante solutionem pauca sunt explananda. Si necessitas urgeat, ob periculum scilicet mortis infantis, non solum potest, sed debet domi Baptismus privatus conferri a quocumque, qui tamen habeat intentionem peragendi id quod intendit Ecclesia, debitam materiam et formam applicando; ita tamen, ut si parochus adsit, non baptizet simplex sacerdos, et iste praeferatur diacono, diaconus subdiacono, clericus laico, vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciat formam et modum baptizandi; et hoc in casu, sive parochus, sive simplex sacerdos, nulla facultate indiget Episcopi sui.

Attamen, si sacerdos in necessitate extra ecclesiam baptizet, omittere debet omnes caeremonias, quae Baptismum praecedunt, etiamsi infans fore ut tamdiu vivat videatur,

quamdiu sufficit ad caeremonias explendas: collato autem Baptismo, infantem in vertice ungat Chrismate, si habeat, imponat vestem albam, et candelam accensam praebeat. Sed, ad mentem Ritualis Romani, non sunt de praecepto unctio Chrismatis et traditio linteoli et cerei (*si habeat,* inquit Rituale), quae non solent haberi ad manus; sed potest dari, ut notat Baruffaldus, quod providus sacerdos vocatus ad baptizandum in casu necessitatis, res illas secum ferat. Hoc in casu, ex decreto S. R. C., nec stola, nec superpelliceo indui tenetur parochus vel quivis alius sacerdos, qui domum vocatur ut infantem, qui ob periculum ad ecclesiam ferri nequit, baptizet, et tantum aquam baptismalem, quam secum, si tempus suppetit, deferre curabit in vasculo, adhibebit, caeremonias dein in ecclesia suppleturus. « Si autem non habeatur aqua baptismalis et periculum immineat, sacerdos utatur aqua simplici » (Rituale Rom.).

Cum autem convaluerit infans, praesentandus quamprimum est in ecclesiam, ibique, et numquam extra ecclesiam supplendae sunt caeremoniae: idcirco nihil iterandum, sed supplendum tantum quod praetermissum fuerit, ut in Rituali Romano praescribitur: « Ordo supplendi omissa super baptizatum », et quidem sub mortali, cum agatur de re gravi « ut servetur uniformitas in Baptismo » (D. Thomas, 3 p., q. 71, a. 3).

In privato autem Baptismo et in supplendis postea caeremoniis, patrini non sunt necessarii, et si admittantur, spiritualem cognationem minime contrahunt (S. C. C. 2 oct. 1867); et patrini ad catechismum dici solent: in publica autem administratione sub gravi adhibendi sunt saltem unus, vel ad summum unus et una pro quolibet baptizando, ex Ecclesiae praecepto (Rit. Rom.).

Nunc temporis vero per duo decreta S. R. C. (23 dec. 1912, et 17 ian. 1914), ex iusta et rationabili causa, Episcopi, inspectis inspiciendis, permittere possunt, ut parvulis praeterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi Baptismatis Sacramentum administretur cum omnibus caeremoniis a Rituali Romano praescriptis.

Ad V. *Quid faciendum si, deficiente Oleo benedicto, aliunde accipi non possit; et licetne in Baptismi administratione uti stola bicolori?*

Resp. Si intra annum deficere videatur Oleum benedictum, et aliunde accipi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate (d. 2883[3]).

In Sacramenti autem Baptismi administratione, licite sacerdos uti potest stola bicolori, ex una parte violacea, et ex altera alba, iuxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a Rituali praescriptum (d. 3086 ad VII).

Quaestio.

In cathedrali ecclesia B., ritu semiduplici occurrente, solemne celebratum fuit funus in suffragium Pii Pp. X fel. rec.

Quaeritur:

I. *Una tantum dicenda erat oratio, an vero tres?*

II. *Et si plures dicendae sunt orationes, in Missis sive lectis, sive cum cantu, quales esse debent; et quid dicendum quoad* Sequentiam?

Solutio.

Ad I. *Una tantum dicenda erat oratio, an vero tres?*

Resp. S. R. C. ad rem statuit (die 30 iunii 1896 n. 3920, ad I.): « Unam tantum esse dicendam orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commem. Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis atque etiam in Missis cantatis, vel lectis, permittente ritu diebus III, VII, XXX et die anniversaria, necnon quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat; uti in officio, quod recitatur post

acceptum nuntium de alicuius obitu et in anniversariis late sumptis ».

Ex his ideo consequitur, quod in Missis in defuncti suffragium solemniter celebrandis, unica tantum oratio recitanda est his sequentibus casibus:

a) Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

b) Die et pro die obitus seu depositionis; praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere sub clausis et conditionibus, quibus, iuxta rubricas et decreta, missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primae classis, dominicis aliisque festis de praecepto (S. R. C. 19 maii 1896, n. 3903).

c) Diebus III, VII, XXX et die anniversaria.

d) Post acceptum nuntium de alicuius obitu; idest die, quae prima occurrat, non impedita a festo duplici I et II classis, vel a festo de praecepto (S. R. C. 9 dec. 1891, n. 3755).

e) In anniversariis late sumptis, nempe, quae celebrari solent a confraternitatibus, a religiosis communitatibus, a canonicorum collegiis aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro confratribus defunctis *semel in anno*; nec non illa quae pro fidelium pietate *infra octavam omnium fidelium defunctorum* (non aliis temporibus) locum habent.

Quandocumque Missa de requie solemniter celebratur. His supradictis casibus, in Missa defuncti solemniter celebrata, unica dicenda est oratio.

Ceteris vero casibus, pro Missis quotidianis permissis, dicendae sunt saltem tres orationes tam in Missis privatis quam in solemnibus.

Ad II. *Et si plures dicendae sunt orationes, in Missis sive lectis sive cum cantu, quales esse debent; et quid dicendum quoad Sequentiam?*

Resp. Sacra item Rituum Congregatio, decreto, quod supra innuimus, hoc in casu, rescribendum censuit: « II.

In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis, sive cum cantu, plures esse dicendas orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis ».

« III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine quo sunt inscriptae ».

« IV. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato ».

« V. Quod denique ad *Sequentiam* attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis iuxta Rubricas ».

In quaestione igitur hic proposita, tres dicendae sunt orationes, excepto tamen casu, quo funus celebretur statim post *primum mortis nuntium,* quia tunc non tres, sed unica dicenda est oratio (V. de Herdt: *S. Liturg. Prax.* Pars I, n. 58; Van der Stappen: *S. Liturg.* tom. 2, n. 324).

Quaestio.

Elpidius, cuiusdam ecclesiae rector, aliquando, quandoque per etiam dies fere continuos, inscio Episcopo, SS. Sacramentum in sua ecclesia, indulto carente, asservare solet.

Solet insuper benedictionem cum SS. Sacramento pluries eodem die impertire, etiam diebus Expositioni XL horarum assignatis, necnon Sacrum litare feria V in Coena Domini, SS. Sacramentum *in Se-*

pulcro asservare, et functiones sequentibus feriis peragere.

Quaeritur:

I. *Licetne Eucharistiam aliquando vel ad paucos quidem dies asservare, sine indulto et absque licentia Episcopi; et, deficiente pyxide, sacrae Particulae possuntne inter corporalia asservari?*

II. *Benedictionem cum SS. Sacramento licetne populo impertire pluries eodem die, eodemque templo, ut in casu; et etiam in ecclesiae ianua post processionem?*

III. *Quibusnam in ecclesiis Hebdomadae Maioris functiones ex iure fieri debent, aut saltem possunt; et in his, quandonam omnes sacri tridui functiones (in ecclesiis, scilicet, non cathedralibus) peragi, et quales ex his omitti debent; et si feria V in Coena Domini Sacrum litari haud possit, potestne sacerdos uti Hostia alia die praeconsecrata, illamque exponere publico cultui* in Sepulcro, *postero autem die, nempe feria VI in Parasceve, Missam praesanctificatorum peragere eamdemque Hostiam de ritu sumere?*

Solutio.

Ad I. *Licetne Eucharistiam aliquando, vel ad paucos quidem dies asservare, sine indulto et absque licentia Episcopi; et, deficiente pyxide, sacrae Particulae possuntne inter corporalia asservari?*

Resp. Uti diximus in I quaesito quaestionis XX, Sanctissima Eucharistia ex iure *permanenter* asservanda est

in ecclesiis cathedralibus, collegiatis (dummodo parochialibus), parochialibus et quasi parochialibus, in ecclesiis Regularium utriusque sexus (dummodo monasterium sit canonice erectum, secus prohibetur).

Quod tamen privilegium non intelligitur nisi de Ordinibus religiosis proprie dictis; nam si sermo sit de Congregationibus cum votis simplicibus, seu de domibus erectis tantum auctoritate episcopali, tunc ad Eucharistiae iugem asservationem necessaria est venia apostolica, prout docet Benedictus XIV, Constitutione «Quamvis iusto» (30 aprilis 1749, § 24).

Neque Episcopi valent dare eiusmodi licentiam asservandi Eucharistiam, cum excedat fines propriae auctoritatis.

Ceterum, id Episcopis intelligitur vetitum de asservatione perpetua; nam quod pertinet ad custodiam temporaneam, occasione nempe alicuius festi, tridui, novendialis, etc., facultatem ipsi valent elargiri, ut probavit S. C. Concilii (*in Cassanen.*, 12 aug. 1717).

Ex dictis consequitur, quod minime licet ecclesiarum vel oratoriorum superioribus, quae privilegio minime gaudent apostolico Eucharistiam *habitualiter* asservandi, eam, absque Ordinarii licentia scriptis concessa, aliquando, vel ad paucos quidem dies, asservare; quae facultas tantum Episcopis Ordinariis competit: imo poenis a iure sunt plectendi, qui huiusmodi facultatem usurpare ausi fuerint.

Quoad autem reprobandam et invalescentem consuetudinem, ut, nempe, deficiente pyxide, sacra Hostia, verum etiam sacrae Particulae, inter corporalia asserventur, huiusmodi abusum esse omnino eliminandum, statuit S. R. C. (11 iun. 1904).

Ad II. *Benedictio cum SS. Sacramento licetne populo impertire pluries eodem die, eodemque templo, ut in casu, et etiam in ecclesiae ianua post processionem?*

Resp. Benedictio cum SS. Sacramento «licet populo impertire pluries eodem die, eodemque templo, de Episcopi

licentia (dd. 3435[5], 3448[3]), «evitata tamen nimia frequentia, ne populus taedio afficiatur, *et dummodo non agatur de expositione XL horarum* (d. 3448).

Ex decreto autem S. R. C. (19 iul. 1687) eiusdem benedictio, ordinaria praxi, impertiri debet super altare in ecclesia et non in ianua post processionem. Attentis autem peculiaribus circumstantiis, consuetudo impertiendi benedictionem in ecclesiae ianuae est toleranda (20 aug. 1870, n. 3225, uti si essent permulti christifideles, etiam milites, SS. Eucharistiae Sacramentum comitantes, et ecclesiam, peracta processione, ingredi nequeant propter angustiam ipsius ecclesiae (30 iul. 1910).

Ad III. *Quibusnam in ecclesiis Hebdomadae maioris functiones ex iure fieri debent, aut saltem possunt; et in his, quandonam omnes sacri tridui functiones (in ecclesiis scilicet non cathedralibus) peragi, et quales ex his omitti debent; et si feria V in Coena Domini Sacrum litari haud possit, potestne sacerdos uti Hostia alia die praeconsacrata, illamque exponere publico cultui,* in Sepulcro, *postero autem die, nempe feria VI in Parasceve, Missam praesanctificatorum peragere eamdemque Hostiam de ritu sumere?*

Resp. Hebdomadae maioris rituales functiones in ecclesiis cathedralibus, collegialibus, conventualibus et parochialibus ex iure fieri debent: ita desumitur ex Caerem. Episc. et Rubricis Missalis.

In ecclesiis vero, quae privilegio gaudent SS. Sacramentum asservandi, huiusmodi functiones, Episcopo approbante, persolvi possunt (S. R. C. 14 iun. 1659, n. 1120).

E contra, sine speciali licentia S. Sedis, huiusmodi functiones fieri nequeunt in minoribus ecclesiis non parochialibus et oratoriis regularium, religiosorum et monialium, seu Congregationum religiosarum, si non habeant indultum SS. Sacramentum asservandi (S. R. C. 16 martii 1876, n. 3390).

In omnibus autem ecclesiis, in quibus dictae functiones iure persolvi debent, vel saltem possunt, si sufficiens Mi-

nistrorum numerus haberi nequit, ne ad formam quidem parvi Ritualis Benedicti XIII, ipsae, absque indulto apostolico, nec fieri debent, nec possunt, quia desunt ea quae ad necessariam solemnitatem aut saltem decentiam et decorem sacrorum rituum requiruntur.

Huiusmodi autem functiones nequeunt recenseri inter iura mere parochialia (S. R. C. 12 ian. 1704, n. 2123, 7), quamvis Missae solemnis celebratio, feria V in Coena Domini, parochis competat (ibid., n. 8).

Episcopus, absque parochi consensu, eas ecclesiis subsidiaris, quae tamen indulto gaudeant SS. Sacramentum asservandi, permittere valet, dummodo ipsae, non eodem tempore quo in ecclesia parochiali, in cuius districtu locantur, persolvantur (9 maii 1884, n. 3608, 1).

Quoad autem paroecias, praesertim rurales, quae clericis, vel saltem pueris satis instructis, ministrantibus destituuntur, Ordinarii indulgere valent, ob populi commoditatem, ut parochi (petita quotannis venia) feria V in Coena Domini, Missam lectam celebrare possint, priusquam autem in cathedrali vel matrice conventualis incipiat (d. 2616[1]); quin autem peragi valeant, eadem feria et sequenti, ceterae rituales functiones. Huiusmodi autem Missa permittitur quoque ad ministrandum religiosis S. Communionem, sed celebranda est in oratorio privato; et si hoc desit, in ecclesia fiat ianuis clausis.

Haec autem facultas non extenditur Seminariis piisque Communitatibus, nisi habeatur apostolicum indultum.

In ecclesiis non parochialibus autem, in quibus dictae solemnes functiones persolvi valent, omitti potest functio Sabbati Sancti, non autem quae persolvi debent feria VI in Parasceve si fiat *Sepulcrum*.

Ex his omnibus colligitur:

a) in ecclesiis parochialibus, ubi adest fons baptismalis, persolvi debent omnes sacri tridui rituales functiones, ad formam, saltem, parvi Ritualis Benedicti XIII;

b) in ecclesiis parochialibus, absque fonte baptismali,

functio Sabbati Sancti omitti potest, cum aqua baptismalis benedicta ex ecclesiae matricis fonte sit suscipienda;

c) ubi Missa, feria V in Coena Domini, cum cantu celebrata fuit, necnon cum *Sepulcro*, eo ipso reliquae functiones, feria VI in Parasceve praescriptae, persolvi debent, quippe quae complent et perficiunt, quae feria praecedenti peractae fuerunt;

d) ubi Missa tantum lecta, feria V in Coena Domini celebrata fuit, ibi extrui nequit *Sepulcrum*, nec ideo, sequenti feria rituales functiones persolvi valent.

At, si « parochus solus, vel ecclesiae cuiusdam rector, feria V aegrotans, Sacrum litare haud possit », absolute nequit sacerdos, ieiunio non servato, uti Hostia alia die praeconsacrata, illamque publico cultui in *Sepulcro* exponere; nec ideo, sequenti die, feria VI nempe in Parasceve, Missa praesantificatorum peragere valet, etsi « parochus melius se habuerit » (d. 3219).

Quaestio.

In civitate B., pluribus abhinc saeculis, publicae venerationi sacra D. N. I. C. Spineae Coronae Reliquia exponitur.

Iam vero Episcopus, a vigintiquinque fere annis, authenticitatis documento deficiente, prohibuit quominus fideles eam in posterum publico cultu prosequerentur. Defuncto vero Episcopo, eius successor, fidelium pietati consulere cupiens, eam ad novum cultum revocare vult; id tamen se facere posse dubitat, eo vel magis quod quaedam extat narratio, aliquo post tempore in lucem edita, eiusdemque Reliquiae originem referens, quae tamen criticae historicae minime resistit, et in non paucis versatur anachronismis.

Quaeritur igitur:

I. *An publicae venerationi exponi possint antiquae Reliquiae authenticitatis documento carentes?*

II. *Potestne, in casu, Episcopus ad pristinum cultum revocare Reliquiam S. Spineae Coronae?*

III. *Quo in loco sacrae Reliquiae rite et recte asservari debent; et, cum ipsae publicae venerationi super, vel prope, altare exponuntur (ubi actu SS. Eucharistia asservatur, vel solemniter SS. Sacramentum expositum est), quomodo et quo loco ipsae exponi, an vero prorsus removeri debeant ac valeant: si ipsae denique processionaliter deducantur, toleraturne consuetudo ut ipsae, interdum, sub baldachino SS. Sacramento inservienti deferantur?*

Solutio.

Ad I. *An publicae venerationi exponi possint antiquae Reliquiae authenticitatis documento carentes?*

Resp. Sancta Mater Ecclesia semper maxima severitate prohibuit quominus publicae venerationi exponerentur sacrae Reliquiae authenticitate carentes; eiusdem studium semper fuit ne falsae Reliquiae, aut eae, de quibus rationabiliter dubitetur publico fidelium cultui proponerentur. Hinc Concilium Lateranense IV decrevit (Can. 72, ap. Labbè, T. 11, p. 214) « Inventas (Reliquias) de novo nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae ». Idem statuit Concilium Turonense anno 1448 (Can. 16 ap. Labbé, T. 13, p. 1351).

Attamen antiquae Reliquiae, quae ab immemorabili coluntur, permiscendae non sunt cum recentioribus et obscuris. Nam antiquitatis possessio, iuris praesumptionem efficit; quinimo possessio ipsa, uti DD. aiunt, maius est ius. Publica hinc veneratio, alicui Reliquiae ab immemorabili praestita, praesumptionem efformat de iuris authenticitate: quinimo veneratio ipsa maximum et validissimum est iuris argumentum (1).

Hoc principium Sacrarum Indulgentiarum ac Rituum Congregationum decretis, necnon ex iuris dispositionibus clare comprobatur.

Sacrae enim Indulgentiarum Congregationi ab Episcopo Iaciensi pro opportuna solutione sequens propositum fuit quaesitum: « Sunt plures Reliquiae in pretiosis argenteis thecis inclusae, fere in omnibus ecclesiis dioecesis, etsi pauperrimis, quarum authenticae non habentur, nec notitia habetur eas olim extitisse, nec tempus cognoscitur a quo illae Reliquiae possidentur... Magna tamen pietate a populis coluntur, ita ut nequeat sine scandalo hic cultus prohiberi. Cum igitur antiquissimae sint, ita ut ipsa antiquitas possit constituere argumentum sufficiens ad certitudinem moralem gignendam, et apud omnes in maxima semper fuerint et sint veneratione, opinatur Episcopus orator huiusmodi cultum permitti posse: ad omnem tamen anxietatem tollendam implorat quoad hoc iudicium S. V. ».

---

(1) Audiatur ad rem Mabillon, uti habetur in *Revue de l'art chrétienne* (1893, p. 456): « Quando la tradizione è immemorabile e l'identitatà constatata, il possesso del culto è un titolo solido che non potrebbe essere distrutto se non che *da prove certe ed evidenti...* La presunzione è in favore delle Reliquie che godono di questo vantaggio, giacchè non sarebbero state primitivamente esposte senza essere state bene esaminate: gli antichi canoni lo prescrivono. Egli è perciò assai equo che si giudichi in favore del possesso, a meno che non vi siano delle *buone ragioni di dubitare,* ma ragioni precise, e non vaghe e generali ».

Et Sacra eadem Congregatio, die 20 ianuarii 1896, ita rescripsit: « Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse ».

Sapiens rectumque principium, quo inviolate servanda erit veneratio antiquis Reliquiis hucusque praestita, quamvis authenticitate careant, nisi valida certaque adsint argumenta eas falsas et supposititias demostrantia. Et hoc denotat, antiquarum Reliquiarum authenticitatem praesumi posse, etsi documentum defuerit, atque vi huius praesumptionis, non esse antiquas Reliquias a cultu removendas, nisi validae ac contrariae rationes suppositam praesumptionem evertant.

Ad dubium autem S. R. C. expositum: « An permittenda sit Sanctorum Reliquiarum publica expositio venerationi fidelium, de quibus nullum authenticum documentum in Cathedrali ostenditur, nec immemorabilis vel saltem ante Concilium Tridentinum illarum expositio et veneratio probatur in publico? », praefata S. C., die 21 iulii 1696 in una *Augustae Praetoriae*, n. 1946 ad 4, rescripsit: « Episcopus utatur iure suo, iuxta cap. 2, § *Ne in posterum, tit. 45, De Reliquiis et veneratione Sanctorum* ».

Praecitatum Iuris caput ita se habet: « In posterum... antiquae Reliquiae extra capsam nullatenus ostendantur nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Rom. Pontificis fuerint approbatae ».

Exinde infertur, antiquas Reliquias iam publice veneratas, etiamsi authenticitatis documentum desit, fidelium venerationi exponi posse, dummodo propriis thecis bene inclusae asserventur. Reliquiae autem noviter inventae, eaeque, quae publicum cultum nondum habuerunt, Romani Pontificis approbatione indigent. Hanc secundam partem emendavit S. C. Tridentinum, quod Episcopis ius fecit Reliquias noviter inventas recognoscendi et approbandi; et

ideo in Sess. 25, in Decr. *De inv., vener. et Reliquiis Sanctorum* decrevit: « Statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia etiam quomodolibet exempta... nec novas Reliquias recipiendas nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo; qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat quae veritati et pietati consentanea iudicaverit ».

Hinc in praecitato decreto S. R. Congregatio rescripsit: « Episcopus utatur iure suo »; cum enim sermo sit de Reliquiis authenticitatis documento carentibus; vel antiquitate et veneratione gaudent, vel sunt noviter inventae ac privatae. In priori casu, bene potest Episcopus permittere ut fideles eas publico cultu prosequantur; in secundo vero casu Episcopus ipse, ex theologorum consulto, potest eas recognoscere et iudicare, sint necne approbatione dignae.

Et haec ubique locorum est praxis. Nam quot antiquae Reliquiae, etiam authenticitate carentes, publice venerantur? Nonne habetur authenticitatis documentum de Sanguine D. N. I. C. qui in alma Urbe in ecclesia S. Nicolai in Carcere Tulliano venerationi exponitur? Nonne habetur authenticitatis documentum de pluribus spinis D. N. I. C. Coronae, quae tot tantisque locis magna veneratione coluntur? Et quot scripta in lucem edita non fuerunt adversus venerabiles et augustissimas Reliquias, quae in ipsis Basilicis in Urbe asservantur? Quot adversus Cunas Bethlehem, quae in Basilica Liberiana habentur; adversus Tabulam Coenae, quae est in Basilica Lateranensi; adversus Vultum sanctum, qui in Basilica vaticana veneratur; et demum adversus easdem Catenas, quae in ecclesia S. Petri *ad Vincula* asservantur (praecipue vero adversus partem ab Oriente translatam)?

Et si nostri saeculi hypercriticae omnes antiquae Reliquiae subiicerentur, ne una quidem firma consisteret. Ast Sancta Mater Ecclesia a suo principio minime recedit, quo statuit, non esse antiquas Reliquias ab assueto culto remo-

vendas, nisi argumenta non tantum probabilia, sed etiam *certa et evidentia* earum falsitatem demonstrent.

Et hoc duabus considerationibus firmatur : I. Nimis animarum et fidelibus scandalosum foret, si scirent se suosque patres antea veneratos fuisse, quod veneratione dignum non erat. II. Reliquiarum cultus, sicut et cultus sacrarum imaginum, non est absolutus, sed relativus, et Sanctis, qui sunt in Coelo, praestatur : ideoque, etiamsi mens circa Reliquiarum qualitatem in errorem versetur, nihil tamen ipsorum Sanctorum cultui adimit.

Deus ipse evidenter ostendit quam gratus sibique acceptus foret hic cultus, cum innumera patrasset miracula ad eorum utilitatem, qui ipsum antiquis Reliquiis praestant, quarum authenticitas severae criticae minime resistit (1).

---

(1) Ad rem ita scribit Moroni (*Diz. di erudiz. eccl.*, vol. 57, p. 108) ; « Sarà bene qui protestare che la Chiesa di Gesù Cristo, mentre ci fa sapere essere un atto di religione onorare i Santi, i Beati e le loro Reliquie, massime in quei luoghi dove è reso ad essi un culto particolare, non intende di impacciarsi nelle pretese rispettive delle Chiese particolari, quando ciò non nuoce alla fede nè da una parte, nè dall'altra ; ma con l' ordinaria sua saviezza, ella lascia ai suoi figli la libertà di credere quanto la ragione e l'autorità rendano ad essi più probabile, come giudiziosamente osservò Tillemont, parlando delle questionate Reliquie di S. Maria Maddalena ».

Etiam Ephemeris *Civiltà Cattolica* (Ser. 17, vol. 5, p. 18 sg.) ad rem scripsit sapientissimum articulum : « *Se una Reliquia fosse falsa?* Et cum demonstrasset, Ecclesiam semper maxima cum diligentia Reliquiarum authenticitatem exigisse ; item, ad praedictam authenticitatem sufficere moralem certitudinem ; item denique, posito errore invincibili, cultum, utpote relativum, falsitate notari non posse, ita rem absolvit : « Se una Reliquia fosse falsa, 1° l'errore è cosa di pochissima importanza dal lato filosofico, 2° dal lato teologico, niun principio di fede è scosso ; 3° dal lato del merito soprannaturale, l' atto non perde punto di valore ; 4° dal lato del gradimento di Dio, esso non è affatto menomato ». Et cum sermo sit de miraculis, quibus aliquando Deus remunerabat

Et haec est ratio, qua Ecclesia tolerare videtur cultum Reliquiarum duplicium, quarum una vera, reliquae omnes falsae esse debent; ex. gr. lancea D. N. I. C. habetur Romae apud S. Petrum, et etiam Pragae, uti ait Benedictus XIV (*De beat. et canoniz. Sanct.*, l. IV, p. II, c. 25, n. 55); et sic de tot tantisque antiquis Sanctis, quorum Reliquiae si colligerentur, non unum tantum uniuscuiusque Sancti corpus, sed perplurima efformarent, prouti scripsit Muratori (*Antiq. Ital.*, tom. 5, diss. 58, p. 10, apud Benedictum XIV, l. c., n. 56) hisce verbis: « Innumera sunt per universi christiani imperii fines id genus exempla, cum in tot diversis urbibus, non dicam modicae Reliquiae, sed capita et corpora ipsa unius eiusdemque Coelitis habeantur atque colantur ».

At quidquid de hoc, maxima prudentia adhibenda est in removendis a cultu antiquis Reliquiis, quae; nisi certa ac evidentissima argumenta earum falsitatem demonstrent, prout antea venerandae erunt.

Ad II. *Potestne, in casu, Episcopus ad pristinum cultum revocare Reliquiam S. Spineae Coronae?*

Resp. Nunc autem, ad casum nostrum quod attinet, invenimus S. Spinae Reliquiam in civitate *B.* ab immemorabili veneratam fuisse, quod praesumptionem antiqui-

---

fidem eorum, qui falsas Reliquias colunt, hanc refert curiosam narrationem (l. c., p. 32 in nota): « A tal proposito si narra di un tale che aveva incaricato un amico che andava in Terra Santa a recargli d'Oriente una Reliquia della Santa Croce. Il brav'uomo dimenticò affatto la commissione; e se ne risovvenne solo nel ritorno, quand'era sulla sua barca in mare. Per non contristare l'amico, che era in aspettativa, toglie un pezzo del legno della barca, l' involge gelosamente in un astuccio e lo reca all' amico, come fosse il legno vero della S. Croce. Questi lo ricevè in buona fede, e talmente lo venerava, che una volta per suo mezzo scacciò (dicono) anche uno spirito da un ossesso; e lo spirito maligno nel partire, pieno di stizza gridava: *Non è il legno della barcaccia, ma la Fede che mi scaccia*. Se il fatto non è storico, è al certo altamente simbolico ».

tatis efficit. Si enim narratio, non recta quidem, ab initio illius cultus scripta esset, firma ratio dubitandi de Reliquiae authenticitate haberetur. Ast scripta posterius, longo post tempore ab origine eiusdem cultus, dicendum erit erravisse narrationis auctorem, non quidem fidelium coetum, qui eam Reliquiam magna pietate coluit. Hinc perperam egit Episcopus praedecessor, qui sanctam Spinam a publico cultu removendam decrevit, eo quod authenticitatis documento carebat.

Novus autem Episcopus bene potest eam ad publicum cultum denuo revocare, quamvis enim hic interruptus fuerit ab anno 1877, interruptio tamen non ex iusta causa, neque ex deficienti populi pietate ortum duxit, atque unice errori Praelati adscribenda est : error vero minime tollit ius praesumptum, consuetudine compluries saeculari acquisitum.

Ad III. *Quo in loco sacrae Reliquiae rite et recte asservari debent; et, cum ipsae publicae venerationi super, vel prope, altare (ubi actu SS. Eucharistia asservatur, vel solemniter SS. Sacramentum expositum est) quomodo et quo in loco ipsae exponi, an vero prorsus removeri debeant ac valeant; si ipsae denique processionaliter deducantur, toleraturne consuetudo ut ipsae, interdum, sub baldachino SS. Sacramento inservienti, deferantur?*

Resp. Iuxta Ecclesiae praescriptiones et praxim, locus SS. Reliquiarum nullibi melius statui potest, quam in ecclesia, quod optabilius foret, et praecipue in presbyterio, in cornu Epistolae, e regione illius, in quo sacra Olea servantur; minime vero in domibus, in quibus improprie et fere semper haud cum debito cultu asservantur et custodiuntur; imo saepe saepius Reliquiae, etiam insignes, vel notabiles, decursu temporis, vel ob rei familiaris angustiam, vel sobolis nequitiam, misere disperduntur et profanantur; aut saltem in ecclesiae sacrario collocentur et custodiantur, una cum documentis authenticitatis earumdem ; et quidem non in armariolis, in quibus cetera ecclesiae utensilia, etiam minoris momenti, asservata manent, sed in proprio quodam

loculo ab humiditate remoto, conspicuo, congruenter parato, et interius serico, si id praestari queat, sin minus tela linea tenui rubri coloris obducto, cum inscriptione in fronte postis - *Reliquiae Sanctorum;* » in eo vero nihil aliud (praesertim quod sit profanum) reponatur; isque unica aut gemina clavi obseratus maneat, quae vel ab ecclesiae rectore, vel a sacerdote sacrista, si adsit, diligentissime custodiatur.

Dum autem gratulamur illis civitatibus et dioecesibus de pluribus Sanctorum insignibusque Reliquiis, quibus, mira providentia et singulari dispositione, eas Deus praedivites fecit, et per quae pluribus quotidie cumulat beneficiis, quasque Episcopi, maxima cura et non sine labore, in suis sacris pastoralibus visitationibus, magna animi iucunditate rite inspiciunt et recognoscunt, iuxta Ecclesiae praescriptiones, attamen praetermittere non possumus, quin totis viribus lamentemur et deploremus miseras conditiones, in quibus, in pluribus dioeceseon ecclesiis, relictae et neglectae sunt tot insignes Sanctorum Reliquiae, et, interdum, absque necessariis cautelis pro ipsarum canonica authenticitate: quod Episcopos inducit ad remedia afferenda tantae profanationi et malo.

Necessarium igitur arbitramur, ut in pluribus dioecesibus mos est valde laudabilis, *consessum pro recognitione proque digna et religiosa SS. Reliquiarum conservatione* opportune nominare, qui continuo vigilet, et debito honore restituat Reliquias tot tantorumque fidei assertorum.

Cum igitur sacrae Reliquiae publicae venerationi exponi debeant, circa eas duae saltem cerae faces, expositione perdurante, colluceant (S. R. C. dd. 2067[3], 3029[3], 3204): exponantur sine umbraculo, aut corona desuper; sub ipsis palla non adhibeatur (ib. 7, apr. 1822, n. 2689[3]).

Quoniam non semel conspeximus parum obtemperari Ecclesiae praescriptionibus, quibus damnatur ut abusus consuetudo superimponendi Reliquias tabernaculo, vel altari, ubi actu asservatur SS. Sacramentum, ad tramitem S. R. C. decretorum, iuvat hic referre normas quasdam in casu stricte sequendas :

a) in altari, ubi asservatur SS. Sacramentum, ordinaria praxi, vetitum est Sanctorum Reliquias asservare aut exponere, nisi forte inter candelabra essent ad ornatum; vel unicum altare in ecclesia inveniatur;

b) vetitum pariter est exponere Sanctorum Reliquias super altare, ubi solemniter SS. Sacramentum expositum est: quo in casu, vel eae amoveri debent ab altari, praesertim XL horarum tempore (*Instruct. Clement. XII*, 1° sept. 1730), si id commode fieri potest, vel saltem velari. Quoad autem alias Reliquias, quae forte in aliis ecclesiae altaribus sunt expositae, omitti debet benedictio et Reliquiarum osculum quamdiu SS. Sacramentum manet expositum (S. R. C. 17 iul. 1900);

c) si autem exponitur SS. Eucharistia, ut statim, persolutis precibus quibusdam, cum ipsa adstantibus benedicatur, tunc nulla lex praescribit ut Reliquiae, quae praesertim in festivitatibus inter candelabra exponuntur, in casu removeantur; sed si fieri potest, saltem velentur;

d) Reliquiae super altare exponendae, in primo gradu altaris eiusdem, a parte Evangelii, collocentur, prout mos fert qui in aliquibus ecclesiis Urbis viget;

e) minime tamen prohibetur quominus Reliquiarum expositio fiat, extra expositionis SS. Sacramenti tempus, in apposita mensula extra altare, duabus saltem candelis hinc inde accensis;

f) damnatur ut abusus, uti diximus, consuetudo superimponendi Reliquias tabernaculo (vel supra pallam aut corporale, vel ante eiusdem ostiolum) ubi actu asservatur SS. Sacramentum, vel supponendi baldachino, ubi solemniter fit Sacramenti expositio (dd. 2613[6], 2906, 2689[3]);

g) cavendum ne imago Crucifixi locetur in altari ad pedes cuiusvis Reliquiae, exceptis illis S. Crucis, ceterisque pertinentibus ad D. N. I. C.

Sanctae Crucis enim Reliquiis, sicuti S. Spinae, aliisque Passionis Domini instrumentis, ex variis decretis, peculiaris debetur cultus; qua de re, ipsa exponere licet super altare

in loco principe. Similiter eas exponere licet sub baldachino; fas tamen est, ut ab illo, quod SS. Sacramento inservit, sit diversum, et regulariter eius color ruber sit.

In processionibus autem Reliquiae numquam deferantur sub baldachino; et sacerdos, eas deferens, incedat capite detecto.

Propter denique universalem fere consuetudinem, tolerari potest sub baldachino processionaliter deferri Signum SS. Crucis aliaque instrumenta Passionis D. N. I. C., quae speciali cultu sunt colenda; dummodo tamen id fiat seorsim et disiunctim a Sanctorum Reliquiis (d. 2647); hoc in casu, color baldachini, si fieri possit, sit rubeus, uti patet, et supra innuimus, de baldachino expositorio, et feria VI in parasceve violaceus (S. R. C. 16 iunii 1907).

Ad rem denique notandum: parochi et ecclesiarum rectores neutiquam permittant laicis attrectare Sanctorum reliquias; id enim foret contrarium venerationi ipsis debitae; sed ipsi, vel per se, vel per alium sacerdotem, eas deferant ad altare, superpelliceo et stola induti, ac duobus saltem accensis cereis comitati, quoties sint publice exponendae, ne quid accidat indecorum.

Cura quam maxima habeatur etiam de minimis Sanctorum Reliquiis: haec est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo (*Decret. S. C. Indulg. et RR. 12 iun. 1822*).

Ad tramitem autem novarum rubricarum, die cuiuslibet anni assignata pro singulis dioecesibus, ut *festum* celebretur *SS. Reliquiarum, quae in earumdem ecclesiis asservantur,* rectores ecclesiarum, quae huiusmodi Reliquias possident, publicae venerationi et debito honori eas, dicta die, exponant, necnon in sermone ad populum loquantur apposite de cultu SS. Reliquiarum et veneratione iisdem debita, ut fideles ad Sanctorum vestigia sectanda potissimum excitentur.

Omnibus compertum sit, cultum, qui SS. Reliquiis praebetur, signum omnino manifestum et certum esse fidei, necnon populi cultus et humanitatis!

Monitum permagni faciendum

Cum eadem, imo duriori quam prius, gravemur fortuna, ob chartae impendium et operariorum, hoc quoque anno cogimur Rev.dos Consociatos auxilio vocare; sed ne nimis graventur amici, libellam unam italicam tantum pretio subscriptionis adiiciant; idest:

Pro Italia Lib. 11.

Pro exteris Nationibus L. 12.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREG. CAEREMONIALIS

De functionibus sacris a S. R. E. Cardinalibus in Urbe celebrandis - De Caeremoniali Capellae Papalis - De usu gestandi crucem pectoralem super cappam magnam - De exequiis ac funeribus S. R. E. Cardinalium in Romana Curia.

Die 17 mensis augusti anni 1916, feria V, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Caeremonialis Congregatio, relatore E.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli, Episcopo Ostien. et Praenestin., S. Collegii Decano, Praefecto.

Eminentissimi Patres quaestiones quasdam ac dubia expenderunt circa interpretationem atque applicationem Decretorum *Dignitatis eminentia* et *Sollemne semper fuit*, quae ab hac Sacra Congregatione edita sunt die 30 maii 1902, quoad functiones Cardinalitias, sive solemnes sive privatas in Urbe celebrandas. E.mi Patres, eadem Decreta in omnibus confirmantes, declararunt insuper, non licere mulieribus, neque si de aliqua religiosa Congregatione vel pia Sodalitate sint, Sollemnia Cardinalitia cantu comitari.

Nonnulla praeterea statuta sunt circa Caeremoniale Capellae Papalis et ordinem in eadem servandum.

Quum vero alicubi Episcopi Crucem pectoralem super cappam magnam gestare soleant, E.mi Patres, ne illis Romam advenientibus certa desit norma qua se gerere debeant, re diligenter perpensa, secundum contrariam traditionem Cardinalium et Episcoporum in Urbe, statuerunt: *In Romana Curia et in Pontificia Capella nihil innovetur.*

Quaedam etiam decreta sunt circa exequias et funera S. R. E. Cardinalium, atque etiam, Summo Pontifice optante pietatem suam Cardinalibus defunctis testari, propositum susceptum est instituendi funus anniversarium in Palatio Apostolico, ipso Summo Pontifice praesente, mense novembri habendum, in suffragium Cardinalium qui intra annum in Curia vel extra Curiam sint defuncti.

Quae omnia SS.mo D. N. Benedicto Pp. XV relata ab E.mo Cardinali S. H. C. Praefecto, in audientia diei 22 augusti, Sanctitas Sua confirmare et approbare dignata est, statuens, ac iubens, ut quotannis, mense novembri, Capella Papalis in Apostolico Palatio habeatur, in suffragium S. R. E. Cardinalium intra annum defunctorum; mandans insuper ut hac de re a Sacra eadem Congregatione speciale edatur Decretum.

DECRETUM

Cum in obitu S. R. E. Cardinalium, qui in Curia decessissent, varii, pro varietate temporum, funebres ritus adhiberentur, Benedictus XIV P. M., morem a Benedicto XIII servatum probando, Constitutione

Praecipuum, die XXIII novembris MDCCXLI edita, haec decrevit:

« Quod in posterum Cardinalium in Romana Curia decedentium exequiae semper de mane, numquam vero de vespere celebrentur et celebrari debeant, infrascripta forma servata, videlicet, quod Fratres ex Ordinibus Mendicantium de mane diluculo ad Ecclesiam in qua defuncti Cardinalis corpus expositum reperitur, pro inibi tribus Officiis defunctorum Nocturnis de more decantandis, sollicite accedant; quibus quidem Nocturnis decantatis, eodem mane... Capella Pontificia, intervenientibus Romano Pontifice ac Sacro Cardinalium coetu, nec non omnibus et singulis Capellam Pontificiam constituentibus, habeatur, et in ea Sacrum Missae defunctorum Sacrificium a Cardinalium coetus pro tempore Camerario existente, eoque impedito, ab altero Cardinale ab eodem Cardinale Camerario delegato, solemniter celebretur, quodque supra defuncti Cardinalis corpus absolutio ab eodem Pontifice praesente, eoque absente, a dicto Cardinale Camerario, seu, eo pariter absente, a Cardinale, ut praefertur, delegato, impertiatur ».

Sed hae praescriptiones cum mutata Urbis condicio quominus serverentur vetaret, Sacra haec Caeremonialis Congregatio funebria pro Cardinalibus officia ad eam exegit rationem, quae vestigium veteris magnificentiae quam maxime retineret. Itaque constituit ut, Praefecto pontificalium caeremoniarum moderante, Sacrum solemne ab Episcopo fieret, cui ministri atque adiutores, qui soliti essent, inservirent; liceret autem Cardinalibus civitatumque exterarum Le-

gatis, quamvis non palam, interesse: et cum ipse Pontifex Maximus adesse non posset, eius loco Cardinalis Sacri Collegii Decanus ritualem absolutionem, Sacro peracto, impertiret.

Hoc tamen SS.mo D. N. Benedicto Pp. XV haud satis esse, pro eius erga Cardinales animo atque studio, visum est; ob eamque rem huic Sacrae Congregationi mandavit ut, re diligenter perpensa, modum aliquem excogitaret quo posset Summus Pontifex *eis sibi in onereso Pontificii regimine adiutores extitissent* ut est in illa Constitutione, *ultimum debitumque sui amoris suaeque pietatis persolvere officium.*

Quare Sacra haec Congregatio, in conventu proxime habito, die XVII mensis sextilis, censuit Cardinalium funera in Curia eodem quo usque adhuc ritu, sed ampliore quodam apparatu in templis idoneis, esse facienda, ac praeterea solemne quotannis in Vaticanis aedibus Sacrum pro omnibus Cardinalibus, qui intra annum proximum decessissent, Summo adstante Pontifice, habendum esse.

Haec SS.mus D. N. Benedictus Pp. XV, cum sibi ab infrascripto Cardinali Sacrae Caeremonialis Congregationis Praefecto in audientia diei XXII eiusdem mensis et anni relata fuissent, probavit, et constituit ut quotannis, mense novembri, certa die, pro omnibus Cardinalibus, qui intra annum proxime elapsum, sive in Curia sive extra Curiam, supremum diem obiissent, Sacrum solemne in aedibus Vaticanis, adstantibus Romano Pontifice ac Sacro Cardinalium Collegio atque etiam omnibus Pontificiam Capellam constituentibus, a Cardinali S. Collegii Camerario, vel a

Cardinali ab eo delegato, fieret: quo peracto, ipse Summus Pontifex ritualem absolutionem tumulo impertiret.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum e Secretaria S. Caeremonialis Congregationis, die XXV augusti anni MCMXVI.

VINCENTIUS CARD. VANNUTELLI, Episc. Ostien. et Praen.,
S. Congr. Caeremonialis Praefectus.

L. ✠ S.

NICOLAUS CANALI, *Secretarius.*

S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Leges Academiae Romanae Sancti Thomae Aquinatis.

I. Academiae nomen erit: Academia Romana S. Thomae Aquinatis.

II. Huic propositum est explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim philosophicam, Angelici Doctoris, omniaque accurate servare quae tradita sunt in Litteris Encyclicis quarum initium: *Aeterni Patris.*

III. Officia Academiae praecipua haec erunt: Studia viresque conferre cum aliis Academiis eiusdem instituti ad philosophiam christianam secundum principia S. Thomae ubique instaurandam.

Operum et ephemeridum illustrium, et earum maxime quae de rebus philosophicis pertractant, notitiam sibi comparare, ut quaenam sit ubique scientiarum conditio dignoscatur.

Lucubrationes, ubi opus sit, et libros edere qui-

bus vel gliscentes errores refutentur, vel philosophica doctrina illustretur et amplificetur.

Sedulam dare operam doctoribus informandis scholasticae philosophiae tradendae apprime idoneis.

IV. Academia constabit Consilio Academiae regundae praeposito, Academicis et Alumnis.

V. Consilium Academiae Moderatorum coalescet ex tribus EE. Cardinalibus, quorum Cardinalis Praefectus *pro tempore* Sacri Consilii Seminariis et Studiorum Universitatibus regundis prior loco erit. EE. Cardinales Moderatores de rebus Academiae acturi conventum habebunt cum e re visum fuerit. Aderit a secretis Academicus unus qui poterit adiutorem sibi adsciscere Academicum alterum, ubi opus fuerit.

VI. Academici a Consilio Cardinalium Moderatorum eligentur. Plures quam XXXX numero non erunt. Horum viginti ex doctis viris in Urbe commorantibus, decem ex italica regione, totidem ex nationibus exteris cooptabuntur. Consilio Academiae moderandae omnes parebunt.

VII. Conventus Academiae singulis mensibus anni academici, uno saltem ex EE. Cardinalibus Moderatoribus adstante, habebuntur. Nemini ex Academicis Romae commorantibus a conventu abesse fas erit.

VII. In his conventibus alter ex Academicis lucubrationem recitabit, quam, proposito a Consilio EE. Cardinalium Moderatorum argumento, confecerit. Consultatio deinde habebitur de libris ac scriptionibus super re philosophica in lucem recens editis; et quid facto opus sit, vel ad refutandos errores, vel ad philosophicam doctrinam declarandam, de sententia EE. Car-

dinalium Moderatorum in conventu adstantium decernetur.

IX. Lucubrationes in Academicis conventibus recitatae, quas Eminentissimi Cardinales Moderatores dignas iudicaverint; in exitu anni typis edentur.

X. Ex iuvenibus optimae spei qui philosophiae curriculum emensi fuerint coetus Alumnorum constabit.

E E. Cardinales Moderatores aliquibus ex Academicis Alumnos, semel saltem in unaquaque anni Academici hebdomada, instituendos tradent in praecipuis thomisticae doctrinae capitibus, illisque Academici designati Angelici Doctoris disputationes explanabunt, cum aliorum philosophorum placitis, ubi opus fuerit, comparatas.

Dabitur interdum Alumnis ut in Academicis conventibus, exercitationis causa, aliquod philosophicae doctrinae caput, ad mentem D. Thomae, in praelectionis modum exponant.

XI. Alumnis qui lectiones Academicas integrum annum assidue frequentaverint, ad eiusdem anni exitum ius erit ad praemia concurrere. Ipsis dictabitur aliquod argumentum scripto ab omnibus intra statutum tempus explicandum. Qui facto periculo praestantiores iudicati fuerint, praemia laudemve consequentur.

Alumni qui doctoris lauream in philosophia S. Thomae expetant, ad periculum doctrinae et scripto et voce faciendum de quolibet capite philosophiae, quae vel in speculatione veri vel in moribus versetur, ne admittantur nisi biennio saltem in scholis Academiae instituti fuerint disputationesque in Academicis conventibus frequentaverint.

Candidalis res successerit satis, si duas tertias punctorum partes tulerint. Academici examinatores deligantur *per turnum*, iique ne pauciores quam tres ne plures quam quinque unquam sint: ac tum ad probandum tum ad improbandum terna singuli habeant puncta, secreto attribuenda. Academicus qui est a secretis, vel eius adiutor semper aderit, officio examinatoris fungetur ad rei exitum adnotabit.

XII. Certum quoque praemium tum Academicis vel pro praelectionibus quas habuerint, vel pro scriptionibus quas confecerint, vel prout coetibus adfuerint, tum etiam alumnis pro disputationibus quas sive defendendo sive arguendo participaverint, tribuetur. Huiusmodi autem praemia itemque ceteras omnes impensas quotannis faciendas EE. Cardinales Moderatores definient. Is vero qui est a secretis Academiae EE. Cardinalibus Moderatoribus postea rationem reddet.

Ex audientia habita die 11 februarii 1916, Ss.mus D. N. Benedictus PP. XV has Leges Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis ab EE. Cardinalibus eiusdem Academiae Moderatoribus adprobatas, confirmavit, ratasque habuit, non obstante Decreto S. C. Studiorum, die 23 iulii anno 1910, ceterisque contrariis quibuslibet.

CAIETANUS Card. BISLETI.
LUDOVICUS Card. BILLOT.
MICHAEL Card. LEGA.

SALVATOR TALAMO, *Academicus a Secretis.*

SUPREMA SACRA CONG. S. OFFICII

DECRETUM.

Sodalitates ad provehendas adiuvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur.

SS.mus D. N. D. Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia Rev.mo P. Commissario Generali S. Officii, feria V, die 7 septembris 1916, impertita, benigne concedere dignatus est, ut omnes et singulae Indulgentiae ac privilegium Missarum, quae per decretum huius Supremae S. Congregationis sub die 29 maii 1913, s. m. Pius Pp. X elargitus est Sodalitatibus promovendis iuvandisque ecclesiasticis vocationibus erectis vel erigendis, extendantur ad consimiles Sodalitates, provehendis iuvandisque, pro quolibet Ordine, Congregatione, Instituto, ex utroque sexu, religiosis vocationibus atque admissionibus ad novitiatus, canonice iam constitutas vel in posterum constituendas. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 11 octobris 1916.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*

L. ✠ S.

Fr. Dom. Pasqualigo, O. P., *Com. Gen. S. O.*

Quaestiones Liturgicae.

Quaer. — **Ubi et iuxta quamnam formam Officia Hebdomadae Sanctae, aliaque similia peragi possint vel debeant?**

Resp. 1. Ecclesiae Cathedrales, Collegiatae (1), Conventuales (2) et Parochiales, quae cum cantu, assistentibus Diacono et Subdiacono et cum tribus quatuorve Acolythis, aliisque ministris in Missali Romano requisitis, Officia Hebdomadae Sanctae, aliaque similia peragere possunt, omnia *solemniter* iuxta Rubricas Missalis celebrare debent.

Quoad *Cathedrales* et *Collegiatas* Ecclesias nullum dubium esse potest.

Quod attinet ad Ecclesias *Conventuales* seu *Regulares*, quibus annexa est chori obligatio, eas pariter teneri ad praefatas functiones *solemniter*, i. e. iuxta Missale Romanum, peragendas, hoc aperte constat ex S. R. C. decreto in una *Ord. Cappuccin.*, d. 7 decembris 1888 ad dub. XVIII, n. 3697, quo statuitur: « Capuccinos *(seu alios Regulares choro adstrictos)* non posse ad libitum in una eademque Ecclesia sacras functiones peragere, nunc iuxta praescriptiones ordinarias Missalis Romani, nunc utendo Memoriali Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito; sed, *si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Romanum; si tres aut quatuor Clericos* (3) tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII ».

---

(1) Ecclesiae *Collegiatae* dicuntur, quae habent Collegium Canonicorum.

(2) Ecclesiae *Conventuales* seu *Regulares* sunt « quae pro habitatione divinisque Officiis Religiosorum principaliter erectae sunt ». Reiffenstuel, l. 3, tit. 48, n. 3.

(3) Ubi Clerici aut Acolythi proprie dicti deficiant, in eorum

Quod vero spectat ad Ecclesias *Parochiales*, id eruitur ex eo quod Benedictus XIII in Ecclesiis Parochialibus, in quibus defectu sacrorum Ministrorum praefatae functiones *solemniter* fieri nequeunt, servandum praescribat Memoriale Rituum pro minoribus Ecclesiis editum (1).

2. In Ecclesiis *Conventualibus* (seu Regularibus choro adstrictis) et *Parochialibus*, in quibus Officia Hebdomadae Sanctae, aliaque similia, defectu Ministrorum *modo solemni*, i. e. iuxta Missale Romanum, fieri nequeunt, sed haberi possunt tres quatuorve Clerici, dictae sacrae functiones peragendae sunt, servata forma Memorialis Rituum iussu Benedicti XIII editi (2).

Ubi vero in mox memoratis Ecclesiis, ob defectum Clericorum, illa Officia Hebdomadae Sanctae, ne iuxta formam quidem Memorialis Benedicti XIII, locum habere non valeant, tunc Feria V in Coena Domini Missa legi vel decantari potest in Ecclesiis vel Oratoriis spectantibus ad *Regulares proprie dictos:* Superior nempe celebret in privato Oratorio ad ministrandum Religiosis Communionem, et si desit Oratorium, fiat in Ecclesia ianuis clausis, quoad Ecclesias vero *Parochiales, quae Clericis destistuuntur*, locorum Ordinarii indulgere valent ob populi commoditatem, ut Parochi, *petita quotannis venia*, Feria V in Coena Domini Missam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice Conventualis incipiat (3). Praeterea Ecclesiae *Parochiales*,

---

loco subrogari possunt laici, etiam saeculares praesertim iuvenes honesti et religiosi, veste tamen talari et cotta induti, ac rite instructi (V. Caeremon. R.no Seraph. Capuc., n. 121; Ephemerides Liturg., vol. VI, pag. 162; A. a Carpo, *Comp. Biblioth. Liturg.*, P. III, n. 146, not. 1; De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. III, n. 35, edit. IX, etc.

(1) Cf. intra n. 2; Gardell. in not. 1 ad decr. S. R. C. 28 iulii 1821, n. 4583; De Herdt, l. c., n. 342, 2; I. Schneider, *Manuale Sacerdot.*, pag. 530, not. 1, edit. XI.

(2) S. R. C. 7 dec. 1888 ad XVII supracit. et 28 iulii 1821, approb. a Pio VII, d. 31 dicti mensis ad 1, n. 2616.

(3) S. R. C. 28 Iulii 1821 ad 1, n. supracit.; 23 maii 1846

habentes fontem baptismalem fixum, omnino adiguntur ad functiones Sabbati Sancti, saltem adhibito parvo Rituali Benedicti XIII (1).

3° In Ecclesiis, quae non sunt Cathedrales, nec Collegiatae, nec Conventuales, nec Parochiales, et in Oratoriis tum publicis tum semipublicis, ad Seminaria, Collegia, seu

---

ad 1, n. 2915. — Gardellini, primum allatum decretum in nota explicans, dicit: « Et quoniam aequum est, ut in Ecclesiis omnibus, quae subditam habent plebem, Sacrum solemne fiat, nec omnes aeque Clerici, supellectilibus atque opibus abundant, ut pro dignitate tam in hac (Feria V nempe in Coena Domini), quam in Feria VI et Sabbato Sancto Sacrae actiones celebrari valeant, huic incommodo consulere volens S. M. Benedictus XIII..... parvum Rituale praelo tradi publicique iuris fieri iussit, pauperibus et ruralibus paroeciis accommodatum: parvo huiusmodi Rituali satis provisum est illis paroeciis, in quibus triduo Passionis nequeunt expleri praescriptae functiones cum *solemnitate, cantu et Ministris Sacris*... Necesse tamen est ut (*in illis paroeciis*) aliquot saltem adsint Clerici, qui tres ad minus numero esse debent. Verumtamen adhuc pauperiores ac praesertim rurales paroeciae supersunt, in quibus vel unus dumtaxat, vel nullus est Clericus, qui cotta indutus Celebranti ministret. Bene est, ut (*in his Ecclesiis*) omittantur functiones, cum modus desit, quo, si non solemniter, debita saltem cum decentia peragantur: congruere tamen plurimum videtur, ut ad satisfaciendum subiectae plebis pietati, praesertim, si qui velint (ad quod ius habent) S. sumere Communionem et Paschali praecepto satis facere... Rem tamen (*S. Congregatio*) noluit in Parochorum ruralium arbitrio relinquere, sed demandavit, ut iidem *quotannis* et peterent et ab Episcopo celebrandi veniam obtinerent. Siquidem (*S. Congregatio*) animadvertit, occurrere quandoque casus rationaliter eam denegandi. Talis profecto erit, si rurales Parochi in Cathedralem convenire deberent ad complendum numerum Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum, quot necessarii sunt in Oleorum SS. confectione, quin utrumque munus ob loci distantiam vel ob aliam causam componi possit ».

(1) S. R. C. 1 mart. 1636, n. 630; 22 iulii 1848 ad 5, n. 2907; 9 dec. 1899 ad 1, n. 4049.

ad pias Communitates pertinentibus, ubi Ss. Sacramentum asservatur, Officia Hebdomadae Sanctae, *solemniter*, i.e. iuxta Missale Romanum persolvi valent (1); si vero ob defectum sive Ministrorum sive paramentorum praefatae functiones modo isto solemni celebrari nequeunt, dicta Officia in Triduo sacro ante Pascha, *sine indulto pontificio*, iuxta parvum Rituale Benedicti XIII, in praefatis Ecclssiis et et Oratoriis persolvi nequeunt. Benedictus XIV (*Instit. Eccl.* CV), decretum S. R. C. d. 10 dec. 1703, approbatum a Clemente XI d. 21 ianuarii 1704, explicans, diserte docet functiones sacras, quae non sunt de iuribus parochialibus, nec privative functiones parochiales censentur, exerceri posse a Capellanis seu Rectoribus in Ecclesiis et Oratoriis saecularibus a Parochia disiunctis, licet ipsius Parochiae limitibus contineantur, nisi forsan vetusta consuetudo, aut conventio in eorum fundatione, aut leges Dioecesanae Sy-

(1) Pro Ecclesiis et Oratoriis, *quae aliquo modo db Ecclesia parochiali dependent*, necessaria esse videtur licentia Episcopi peragendi functiones Hebdomadae Sanctae, etiam si illae fiant iuxta Missale Romanum; nam decreto diei 4 sept. 1875 (n. 3366) S. R. C. declaravit: « Episcopum iuxta seum arbitrium et prudentiam concedere posse praedictis Ecclesiis Vicarialibus facultatem peragendi functiones Hebdomadae sanctae dummodo eadem fieri possint iuxta praeceptum Missalis Romani. » Insuper ad dubium: « An poesit Episcopos permittere ut functiones omnes Hebdomadae Maioris fiant in Ecclesii somnibus, in quibus SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, licet renuente Parocho, cui eaedem Ecclesiae subiectae sunt? » S. R. C. d. 9 maii 1884 ad 1, n. 3608 rescripsit: « Affirmative; dommodo tamen horis diversis fiant sacrae functiones, ne fidelium concursus ad Ecclesiam parochialem impediatur ». Cf. pariter S. R. C. 14 iunii 1845, n. 2901. — Non vero licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebrare Missam Feria V in Coena Domini, nec ibidem licet in sepulchro idem augustissimum Sacra mentum asservare (S. R. C. 15 Iunii 1659, n. 1120), nisi forte ex quadam accidentali ratione SS. Sacramentum non asservetur in Ecclesia, quae tamen habet ius ad illam asservationem (Cf. Ephemer. Liturg., vol. XIV, p. 224).

nodi eas functiones prohibeant. Porro iuxta memoratum Decretum et Benedictum XIV (loc. cit.) non censentur de iuribus parochialibus functiones sequentes:

a) benedictiones ac distributiones candelarum, cinerum, palmarum, ignis, seminis, ovorum et similium; *b*) omnes functiones Hebdomadae sanctae (1), excepta benedictione Fontis baptismalis; *c*) expositio XL Horarum et Benedictio quae fit super populo, etc. Hinc nihil obstat, quominus istae functiones in praefatis Ecclesiis et Oratoriis persolvantur, dummodo illae fiant modo solemni i. e. iuxta Missale Romanum et cum sufficienti Ministrorum numero. Imo recens S. R. C. 9 dec. 1899 ad 1, n. 4049 declaravit: « *In Ecclesiis non parochialibus,* omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa Feriae VI in Parasceve; et fiat Sepulchrum: expetita facultate (*a S. Sede nempe*) pro usu dicti Memorialis (*nempe Benedicti XIII*), si ibidem sacrorum Ministrorum et Clericorum defectus existat » (*). Insuper ex decreto S. R. C. d. 16 mart. 1876 (n. 3390) manifeste constat, quod in Ecclesiis minoribus non Parochialibus et Oratoriis, sive publicis sive semipublicis, ad Seminaria, Collegia seu pias Communitates pertinentibus, in quibus Officia Hebdomadae Sanctae *solemniter* (iuxta Missale nempe Romanum) celebrari nequeunt, *sine indulto S. Sedis*, ea Officia iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII persolvi non valeant (2).

(1) Ad dubium: « An Feria V in Coena Domini possint Parochi praeter ius relativum ad adimplementum praecepti paschalis, sibi alia iura vindicare quoad Ecclesias exteras intra parochialem iurisdictionem existentes? » S. R. C. resp.: *Negative*. Die 9 maii 1884 ad 2, n. 3608.

(2) Cf. quoque Nouv. Revue Théol., tom. VIII, pp. 616 et sqq., tom. IX, pp. 269 et sqq. et tom. XIII, pag. 682; De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. 3, nn. 34, 40 et 43; A. a Carpo, *Comp. Biblioth. Lit.*, P. 3, n. 144, not. 1; Ephemer. Lilurg., vol. XI, pag. 361; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, vol. 2, n. 210, 1, 3.

(*) Intellige, si velit Feria V in Coena Domini celebrari Missa, et ubi adsunt circumstantiae superius recensitae.

REDACTIO.

Pro aliis autem functionibus, uti Benedictionis candelarum, cinerum et palmarum, non est opus speciali facultate, ut iuxta idem parvum Rituale Benedicti XIII peragantur, sed nisi copia adsit sacrorum Ministrorum iuxta illud semper et ubique expleri possunt (1).

Nota. Officia, de quibus agitur in Memoriali Rituum Benedicti XIII *cum cantu* persolvi nequeunt, non obstante contraria praxi communi in quibuscumque Ecclesiis (2), exceptis Processionibus et Missis (3).

---

(1) Ephemer. Liturg., loc. cit. — « S. R. C. statuit et declarat: Benedictiones candelarum, cinerum atque palmarum esse ex obligatione faciendas in omnibus ecclesiis Collegialibus, in aliis autem posse fieri ». Die 21 nov. 1893, n. 3814.

(2) S. R. C. 13 sept. 1879 ad 6, n. 3505 (*).

(3) Cf. Memor. Rit. Bened. XIII, Monit. et Tit. I, c. 2, § 3, n. 6, Tit. V, c. 2, § 1, n. 9; etc. (**).

(*) Decretum istud ita debet accipi, ut prohitio non respiciat *cantum*, sed *locum;* quarebatur nimirum utrum liceat eas functiones peragere cum cantu *in quibuslibet ecclesiis*, et responsum fuit negative; et sane hoc in articulo explicatum est ubi rite persolvi queant. REDACTIO.

(**) Vide notam nostram superiorem, et animadverte, incongruum,. incohaerens et ridiculum fore, si partim hae functiones cum cantu, partim sive cantu peragerentur. Admittit quidem S. R. C. ut Dominica Palmarum, etiamsi Missa cantetur, *Passio* legatur si desint apti Ministri ; sed hoc est ex indulgentia, ratione necessitatis, nequiret enim, saltem ordinario, solus Celebrans talem cantum sustinere. Admittimus etiam posse Missam cantari vel non cantari, atiamsi reliqua functio cum cantu habeatur aut vice versa; sed excludimus omnino cum cantu nequire persolvi Officia de quibus in casu, tam in sensu absoluto, quam cum exceptione Processionum; et fortius in hoc secundo sensu, ex superius dictis.

Loca citata, vel argumentum praestant negativum, vel, ubi dicitur (forsan unico loco) *cantentur* (Antiphonae), haec vox accipi debet de cantu, qui recitativus dicitur, est tamen *aequa vocum concordia modulatus*, ut ait ipsum « Monitum » Benedicti XIII et tamen explicat dicens; « quae in Processionibus *recitanda* preci piuntur.., et quae *recitanda* suppeditet ». Quomodo enim, secus, cohaerenter posset, in eadem periodo, dici: « recitans cum eis », et « ut commodius cantentur? » In Processione analoga, nempe Palmarum, habetur tantum : « recitans alternatim cum eis alta voce Antiphonas, ad versus aptatas. » In Processione SS. Corporis Christi : « recitantes hymnum *Pange lingua*... recitabunt versum *Tantum ergo* ». REDACTIO

De precibus pro omnibus fidelibus defunctis recitandis post sepulturam alicuius defuncti vel post absolutionem super tumulum.

Quaer. An post sepulturam alicuius defuncti in reditu ad ecclesiam, vel post absolutionem super tumulum absente cadavere, in reditu ad Sacristiam, dicto versiculo *Anima eius* (vel *Animae eorum*) *et animae omnium fidelium defunctorum* etc., addendae sint sequentes preces pro omnibus fidelibus defunctis: Antiph. *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium*, uti habetur in parvo Missali Rom. post Missas Defunctorum?

Resp. 1. Quum Rubricae in diversis libris liturgicis circa hoc punctum plus minusve differant, seu potius in uno libro Rubricae magis extensae et completae tradantur quam in altero, quamvis sibi invicem nullimode contradicant, idcirco, ut responsum nostrum ad quaestionem propositam sit magis completum, dictas Rubricas primo inspicere et examinare nobis necessarium videtur. Hinc:

a) In Missali Romano, in *Ritu serv. in celebrat. Mis.*, tit. XIII, n. 4, post ultimum ℣. *Requiem aeternam* etc. legitur tantummodo: « Et dicto per Cantores *Requiescat in pace* et ℟. *Amen,* praecedente Cruce redit cum aliis ad Sacristiam. Si Officium fit pro pluribus defunctis, omnia dicantur in numero plurali ».

b) In parvo Missali, ex Missali Romano recognito desumpto, post Missas Defunctorum, in *Ritu pro absolutione super cadaver post Missam facienda*, in fine Absolutionis, post ℣. *Anima eius et animae omnium fidelium defunctorum* etc., sequentia verba habentur: « Quibus expeditis, omnes in Sacristiam, Cruce praecedente, revertentes, voce submissa, sed intelligibili, Celebrans dicit: *Si iniquitates,* inde alternatim cum Choro Psalm. *De profundis* etc. et in fine *Requiem aeternam dona eis, Domine*, etc. et repetita Antiph. *Si iniquitates* etc. subiungit: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, etc. secr. », cum ℣℣. et ℟℟. ut

ibi habentur et Oratione *Fidelium, Deus ;* dein ℣℣. et ℟℟. ut ibi.

In *Ritu* vero *Absolutionis peragendae absente cadavere supra tumulum seu lecticam mortualem,* idem parvum Missale, post ℣. *Anima eius* (vel *Animae eorum*) *et animae omnium fidelium defunctorum* etc., sequentia verba addit : « Inde revertentes in Sacristiam dicant sine cantu Antiph. *Si iniquitates* et Psalm. *De profundis,* ut supra ».

c) Rituale Romanum veteris editionis DD. Desclé etc. anni 1898, in fine *Exequiarum Ordinis* (tit. VI, cap. III, n. 15), post ℣. *Anima eius et animae omnium fidelium defunctorum* etc., sequentia verba habet : « Deinde a sepultura in Ecclesiam vel in Sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis* etc. *Requiem aeternam* etc. »

In Rituali Romano novae editionis D. Frid. Pustet anni 1913, in eodem loco, leguntur eadem verba ac in veteri Rituale supracitato. Solummodo in illa nova editione ille ultimus versus sic se habet: *Requiem aeternam dona* EI etc. quod sine dubio debet esse *dona* EIS, etc. (*).

In utraque autem editione Ritualis Romani (tit. VI cap. V), in *Exequiis absente corpore defuncti et in die 3°, 7°, 30° et Anniversario,* in fine Absolutionis super tumulum, post ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen,* additur immediate haec Rubrica : « Si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio et ℣℣. dicantur in plurali numero : si fuerit mulier, in genere feminino ; si fuerit Sacerdos, vel Episcopus, in Oratione exprimatur nomen dignitatis, etc. ». Nihil autem ibi dicitur de ℣. *Anima eius* (vel *Animae eorum*) *et animae omnium fidelium defunctorum* etc., nec aliis precibus adiungendis in reditu ad Sacristiam pro omnibus fidelibus defunctis.

Ex praedictis aperte constat, quod nova editio Ritualis Romani anni 1913 circa hoc punctum Rubricas antiquas

(*) Vide notam inferius positam.

eiusdem Ritualis nullimode mutaverit, sed eas in eodem statu, quo antea erant, reliquerit. Solummodo nova editio Ritualis Rom., ut supra innuimus, unum mendum plus adiunxit, dicendo *Requiem aeternam dona* EI, pro *dona* EIS (*).

2. Ut itaque varia dubia circa hoc punctum magis dilucidentur atque claritas ea de re manifestius fiat, necessario inspicere et examinare debemus, antequam conclusiones nostras lectoribus praebeamus, quid hac de re a S. Rit. Congregatione decretum ac statutum fuerit. Porro circa hoc punctum sequentia S. R. C. decreta in Collect. auth. S. R. C. decretorum invenimus:

a) Die 2 decembris 1684 ad 7 (n. 1743) ad dubium: « An post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel super tumulum in die anniversario, aut super lecticam seu castrum doloris in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, dicto versiculo *Requiescant in pace*, subiungi debeat: *Anima eius et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, cum de hoc nullam mentionem fecerit Gavantus et alii Caeremoniales, quod tantum legitur in Rituali Romano de exequiis in fine?» S. R. C. resp.: « Servetur Rituale: at in Commemoratione omnium fidelium defunctorum nihil superaddendum ».

b) Die 28 iulii 1832 (n. 2694) S. R. C. rescripsit ac servari mandavit: « Antiphona et Psalmus *De profundis*, necnon versiculus *Animae eorum*, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, post absolutionem ad tumulum, sunt omittenda, iuxta decretum in una Ord. Canonicor. Regular. Lateranens. d. 2 decembris 1684 ad dub. 7 ».

(*) Collatione facta cum pluribus editionibus praecedentibus typicam, et cum Missali Rom. vidimus, hoc *suppositum* mendum inficere (?) etiam has plures editiones: quaenam aliae cohonestent assertum cl. Salutaris, dicet comiter ipse; quem rogamus velit conferre studium R.mi Fundatoris Rarum Epemeridum, plures ante annos in eisdem edito. Confirmatio Ritualis typici nos suadet non esse ab eo recedendum, nisi post declarationem S. R. C.nis. REDACTIO.

c) Die 31 aug. 1872 (n. 3267) ad dub.: « An in exequiis quae fiunt pro pluribus, excepta die commemorationis omnium fidelium defunctorum, dicto versiculo *Requiescant* etc., dici debeat: *Animae eorum et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace;* quum pluribus in locis alia servetur praxis? ». S. R. C. resp.: « Affirmative, iuxta praxim Urbis ».

d) Die 11 martii 1899 (n. 4014) ad dub.: « Utrum in reditu in Sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in Officiis et Missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die 3°, 7°, 30° et anniversariis, aut etiam extra hos dies celebratis, dici debeat: *Anima eius* (vel *Animae eorum*) *et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace,* et Antiphona *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium, Deus?* » S. R. C. resp.: « Affirmative, iuxta Missale Romanum et decreta in una Brixien. ad secundum, d. 28 iulii 1832, et altera Florentina, d. 31 augusti 1872 ».

e) Die 20 augusti 1901 ad 3 (n. 4081) ad dub.: « Psalmus *De profundis* cum versiculis et Oratione post absolutionem ad tumulum recitandus, non canendus, iuxta decretum n. 4095 ad 1 debetne persolvi in Sacristia, an in Choro ante Altare maius? « S. R. C. resp.: « Psalmus cum Antiphona *Si iniquitates* dicatur in reditu ad Sacristiam, in qua deinde persolventur preces *Kyrie eleison* etc., cum Oratione *Fidelium* etc. ».

3. Ex supradictis Rubricis, quas libri liturgici circa propositam quaestionem continent, et ex suprammemoratis decretis a S. R. C. circa hoc punctum emanatis, sequentes conclusiones iure merito deducere possumus:

a) Quod post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel super tumulum aut super lecticam seu castrum doloris, dicto versiculo *Requiescant in pace*, addendus sit ℣. *Anima eius et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* In exequiis vero vel in absolutione ad tumulum, quae fiunt pro pluribus, dicen-

dum est: *Animae eorum et animae omnium fidelium defunctorum* etc.

b) Quod si, absolutione ad tumulum expleta, vel precibus pro sepultura alicuius defuncti in ecclesia absolutis, revertatur ad Sacristiam, post versiculum *Anima eius* (vel *Animae eorum*) et *animae omnium fidelium defunctorum* etc., in reditu ad Sacristiam, voce submissa, sed intelligibili, Celebrans dicit Antiph. *Si iniquitates*, inde alternatim cum Choro Psalm. *De profundis* etc., et repetita Antiphona *Si iniquitates*, Celebrans cum Choro absolvit in Sacristia preces: *Kyrie eleison* et reliquas preces, uti habentur in parvo Missali post Missas Defunctorum. Casu vero quo a sepultura ad Ecclesiam revertatur, omnes dictae preces absolventur in reditu a sepultura (1).

c) Quod in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum post ultimum *Requiescant in pace*, nihil superaddatur, sed omnes supradictae preces, quae alias pro omnibus fidelibus defunctis recitantur, omittantur.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. C.

---

(1) Crucifer, cum in Sacristiam pervenerit, cum cruce se confert in superiorem ipsius Sacristiae partem, apud Altare vel praecipuam imaginem, ibique sistit donec celebrans ante eam crucem praescriptas preces expleverit. Dein a celebrante reverentia dictae cruci facta, subdiaconus in Missa solemni (vel clericus in Missa sine ministris sacris), illam deponit et ad celebrantem exuendum pergit (si iuxta decretum S. R. C., n. 3866, consuetudo habetur pro ss. Ministris; cfr. Caer. Paroch., t. II, pag. 69).

BREVIORA RESPONSA

Pro Venetiis. — In hac civitate recolitur sub ritu I classis cum octava festum S. Laurentii Iustiniani primi Venetiarum Patriarchae, in die sua natalitia 8 ianuarii. Quando vero dies 8 accidit in Dominica, aliqui dicunt quod Officium eiusdem Dominicae anticipari debeat in sabbato, nempe die 7, nam Rubrica specialis Breviarii iubet, ut si octava Epiphaniae occurrit in Dominicam, Officium Dominicae anticipetur in sabbato; imo adiungitur: « *Ubi tamen hoc Sabbato occurrat festum aliquod duplex I classis Officium de Dominica anticipatur in proximiorem feriam* in qua secus faciendum esset de octava ». Ergo et in casu quo festum S. Laurentii praedicti occurrit in Dominicam.

Resp. Per se, quando aliquod Officium impediatur quominus sua die celebrari possit, ex regula generali posticipatur. Hoc fit de festis Sanctorum et etiam fit de Dominicis. Quando vero Dominica impedita occurrat infra aliquam octavam cum qua relationem strictam habeat, uti sunt Dominicae infra octavam Nativitatis et Epiphaniae, tunc posticipari nequit eorum Officium, sed debet anticipari propter duo: 1° quia in casu quo dies octava Epiphaniae sit Dominica, si Officium transferendum esset in feriam II, tunc non amplius esset infra octavam; 2° quia evangelium de Inventione pueri Iesu in templo huic Dominicae, ordine historico inspecto, necessario legi debet ante Evangelium diei octavae, quod agit de Baptismo Domini nostri. Igitur optime Rubrica docet quod sit anticipandum Officium Dominicae infra octavam, quando incidit sive in die VIII, sive etiam quando alicubi in sabbato, in quo ab Ecclesia universali anticipatur Officium Dominicae, occurrat aliquod festum I classis. In casu autem occurrentiae festi S. Laurentii

Iustiniani in Dominicam, optime Officium Dominicae posticipari potest in sequentem feriam II nempe die 7 ianuarii, eo quod ut patet, adhuc sumus infra octavam, et servatur ordo historicus Evangelii. Proinde non sunt audiendi in casu qui docent anticipandum esse Officium Dominicae in diem 7, et citata Rubrica specialis applicanda est solummodo, quando Dominicae Officium aliam diem non haberet vacuam, nisi ante festum impediens.

D. P. P.

Pro Veneta regione. — I. In ecclesiis huius regionis, ubi clerus vel cantores desiderantur, ne cantus Sequentiae omittatur, Celebrans alternatim cum uno vel duobus cantoribus canit strophas Sequentiae. Commendandane est haec praxis?

Resp. Non commendanda, sed condemnanda est huiusmodi praxis. Vel cantus potest moderari prout decet, et tunc Missa decantetur; vel non, et tunc satius est si Missa legatur. Nedum Celebrans, sed neque Ministri altaris se debent immiscere in cantu: unicuique suum. Cantus pertinet ad solemnitatem; nunc vero, si solemnitas convertitur in perturbationem ordinis et in dedecus, quomodo talis dici potest? Dicitur in dubio, ita fieri etiam ubi sunt duo cantores; nonne sufficiunt hi duo, ad sustinendum cantum? Cur ergo Celebrans eis se immiscet? Forsan non sunt periti? Sed tunc ita sunt tamquam si non essent. Ergo...

II. Praxis in Vesperis sermocinandi a celebrante post psalmorum cantum, videtur ab *Ephem. Liturg.* (mense iunio 1916) *gratis* damnata, nam: 1° verum non est, nullum exemplum huiusmodi inveniri in liturgicis actionibus, cum id liceat in Missa et in solemnibus benedictionibus Cinerum, Candelarum, Palmarum; 2° saltem apud nos, videtur hic locus aptior in vespertinis functionibus pro brevi sermone, quia si sermo haberetur post Vesperas, hae neglectae, quamvis solemniter celebrentur, a populo essent, qui contentus sermone et subsequenti expositione SS.mi tardius ad ecclesiam veniret?

Resp. Sustinemus datam sententiam, quam certi sumus esse veram. Et sane: 1° Confutamus assertum, non esse verum nullum exemplum inveniri in Liturgia de abrumpenda actione incoepta. Et re quidem vera, exemplum sermonis in Missa extraneum est nostro casui; siquidem sermo tunc non solum licet, sive ad explanandum s. Evangelii textum, sive ad homiliam faciendam, sed id statis temporibus omnino obligat. Ergo, non proceditur in casu contra legem, sed fit iuxta eam; scilicet non abrumpitur actio, sed verissime continuatur uti licet et debet. In casu autem Vesperarum nulla huiusmodi lex, neque praecipiens, neque permittens habetur. Exemplum benedictionis palmarum, etc. non facit ad rem, quia tunc neque integritas abrumpitur ritus, neque res arbitrio ponitur, insinuatur equidem in Memoriali Rituum Benedicti Pp. XIII, quod inter liturgicos libros a S. R. C. adnumeratum est.

2° Ratio neglectus functionis Vesperarum apud populum nequit legitima haberi ad turbandum ordinem ss. functionum; hac admissa ratiocinandi methodo, nulla res esset quantumvis devia quae admitti non posset. Sermo post Vesperas arceret fideles ab iisdem Vesperis? Hoc non est vitium Vesperarum, sed ignorantiae populi; instruatur populus, et tunc gustabit sacras liturgicas functiones. At, quaeso, si sermo ante Capitulum Vesperarum tenet fideles in ecclesia, cur non fit etiam naturius, videlicet ante initium Vesperarum? Quinque psalmi cito persolvuntur, si non canantur antiquo vetito more.

Omnia ergo rite et secundum ordinem fiant.

III. Quamvis pluries pro hac regione disputatum fuerit, an liceat aspersionem aquae in Dominicis peragere, celebrante induto planeta (absque manipulo), et negativum responsum semper habitum sit; tamen cum ab Ordinariis videntibus et tacentibus consuetudo prohibita non sit, consuetudinem defendere ne licet, eo quod plura exempla habemus de huiusmodi actibus liturgicis ante et post Missam peractis ex concessione S. R. C. cum sola planeta, eo ma-

xime quia, si praestetur sine cantu, aspersio brevior est functionum liturgicarum?

Resp. Negative; consuetudo huiusmodi est omnino irationabilis, quia, vel habetur pluviale, et tunc adhibendum est, minimo cum incommodo, vel non habetur, et tunc succurrit decretum S. R. C., n. 3697, VIII, in quo edicitur, si desit pluviale, Sacerdotem Missam conventualem celebraturum ad altare accedere *debere* absque casula. Notandum, quod in casu stola debet aptari uti pro Missa, nempe ante pectus ad modum crucis (S. R. C., n. 1637, III). Quando vero agitur de aspersione habenda ante Missam sine cantu, ratione defectus solemnitatis, putamus omitti posse pluvialis gestationem, etiamsi pluviale reipsa habeatur. Non repugnat tamen pluviale etiam in functionibus tantummodo lectis, uti ex. gr. in collatione Baptismi, in delatione Viatici (Cfr. Rituale Rom. respectivis locis).

IV. Occurrente proximo anno festo externo *Dedicationis Ecclesiae propriae* die 28 octobris, rectene erit: 2 or. Ss. Apostolorum, 3 Dom., praef. App.?

Resp. Affirmative, ex novissimis rubricis et decretis.

Pro archidioecesi Parisiensi. — Quaeritur: 1° Quomodo componantur secum decretum n. 2360 S. R. C., 22 aprilis 1741, prohibens quominus octava anteinchoata continuetur per octavam *privilegiatam,* et concessio facta Societati Iesu, continuandi octavam Circumcisionis Domini per octavam privilegiatam Epiphaniae Domini (Cf. Kalendarium S. I. concessum die 25 novembris 1916)?

2° Numquid, non obstante supradicto decreto, sed instar dictae concessionis, continuandae sint: *A)* Octava SS. Nominis Iesu, ubi est Titulare festum ecclesiae propriae, per octavam Epiphaniae? *B)* Ibidem, octava B. M. V. *Auxilium Christianorum,* festi titularis, per octavam SS. Corporis Christi, quando occurrant, ut fiet anno 1918?

Resp. ad 1^um^ et 2^um^. Non est quaerendum quomodo componantur decretum et concessio, sed dici debet, citatum decretum, esse abolitum per novissimas dispositiones rubri-

carum Breviarii. Titulus equidem III novissimarum rubricarum et *Notanda* post tabellas occurrentiae et concurrentiae, non alia tempora indicant, tamquam excludentia vel memoriam seu commemorationem octavarum, nisi a die 17 decembris ad Vigiliam Nativitatis Domini, a feria IV cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad festum SS. Trinitatis, semper inclusive. Nil porro habetur propriis locis, nempe ad octavas Epipaniae et SS. Corporis Christi. Ergo tam in casu sub n. 1 citato, quam in aliis sub n. 2, continuanda est octava respectiva, per congruentem commemorationem, cum enunciatio in Kalendario Societatis Iesu, superius citato, non sit concessio, sed iuris dispositio.

Pro Foro Iulii. — I. In nostra dioecesi Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis incidit in diem 22 septembris, et iuxta novissimas rubricas commemoratur S. Thomas in Laudibus et Missis privatis. Quaeritur, num S. Thomas, ut mere simplex considerandus sit, ita ut eius commemoratio postponenda sit commemorationi feriae in occursu Quatuor Temporum, vel pro qualitate duplicis in calendario Ecclesiae universalis eius commemoratio anteponenda?

Resp. Ordo in casu servandus datur per rubricam novissimam, tit. VII, de Commemorationibus, n. 5: « Quando plures fieri debeant commemorationes..... tam in Vesperis quam in Laudibus, hic ordo servatur: ...de Duplici minori... de feria maiori ».

II. Numquid in die Natali Domini sacerdos qui celebrat Missam solemnem de festo (hora consueta pro Dominicis et festis de praecepto, scilicet hora decima), et qui celebraturus est postea ultimam Missam in ecclesia circa meridiem, intervertere potest ordinem Missarum, cantando Missam 3^{am} seu *in die*, et legendo postea 2^{am} Missam seu *in aurora*?

Resp. Affirmative, quia Missa solemnis, etiamsi non conventualis, est Missa publica, et uti nos dicimus, *officiale*. Ceterum nullum inconveniens, si Missa lecta de aurora di-

catur in meridie, quia, uti permittuntur illa hora omnes et singulae tres Missae planae, ita permittitur omissio unius vel alterius ex iis, interveniente iusta causa, a fortiori id faciendum, si agatur de Missa conventuali, antevertenda ceteris privatis.

Pro archidioecesi Florentina. — I. Quando processio de Rogationibus fieri nequit, sive ob vetitum Auctoritatis, sive ob tempus pluvium, extra ecclesiam, neque intra eam, ob loci angustiam vel scamnorum dispositionem, cantatis Litaniis Sanctorum, dici ne potest Missa de Rogationibus?

Resp. Decretum S. R. C., n. 2740, IX, ait, in feriis Rogationum Missam respectivam esse de praecepto dicendam, si fiat processio. Ergo, cum in proposito casu processio non habeatur, Missa non obligat. Hinc videtur, omissa processione, posse celebrari Missa, ad arbitrium. Attamen considerandum proponimus, rationes parvitatis ecclesiae et eius impeditionis vix esse attendendas, quia forsan scamna possent aptius disponi, et angustia loci suppleri duplici gyro et incessu tardiori. In quibusdam ecclesiis, tribus quidem navibus constantibus, sed augustis, vidimus processionem primo percurrentem mediam navem maiorem, ab altari ad frontem ecclesiae dein lateralem a sinistris, scilicet de parte epistolae, a fronte ad summum; postea transeuntem ante altare maius et ingredientem navem minorem a dextris, scilicet de latere evangelii, a summo ad frontem; tandem redeuntem per mediam navem maiorem, a fronte ad altare princeps. Ceterum, decretum S. R. C., n. 3069, I, ait, processionem in festo S. Marci et in feriis Rogationum, quoties temporis inclementia ab ecclesia egredi non patiatur, intra ecclesiae ambitum fieri, si ecclesia capax est, congruentius esse rubricis. Attendatur insuper oportet ad obligationes, quae haberi possunt ex quolibet iuridico titulo.

II. In consecratione hostiarum pro communione, debetne discooperiri pyxis ante verba *Hanc igitur,* an potius ante alia *Qui pridie?*

Resp. Nulla ratio suadet ut ante *Hanc igitur* discooperiatur, uti reipsa neque calix tunc detegitur. Detectio fit ante *Qui pridie*, uti pro calice ante *Simili modo*, nempe immediate ante consecrationem. Ita rubricae Missalis, *Ritus celebrandi Missam*, tit. VIII, n. 5, et auctores, passim.

III. Diebus 27 et 28 decembris, debetne fieri commemoratio octavae S. Stephani Protom., in ecclesia cuius iste Sanctus est titularis? Regulariter, non videtur; sed Kalendarium alicuius dioecesis, in qua S. Stephanus est patronus et titularis ecclesiae cathedralis, adnotatur praedictis diebus commemoratio. Kalendarium affert approbationem S. Rituum Congregationis.

Resp. Dicendum absolute, mendum irrepsisse in redactione praedicti Kalendarii, quia obstant novissimae rubricae, et ius commune cui hodie subest huiusmodi octava.

IV. In plebana C. et in ecclesiis suffraganeis, haec adest consuetudo: Ob parvum numerum sacerdotum, defunctorum funera celebrantur post octo, decem et forsan quindecim dies. Statuta die Missa celebratur solemniter, ut in die obitus, et si ritus diei id permittat, etiam Missae lectae. Ad tumulum insuper recitatur oratio *Absolve... animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, etc.* Estne conformis s. Liturgiae mos iste?

Resp. Si aliqua necessitas (cfr. Rituale Rom., tit. VI, cap. 3, n. 18) impedivit Missam exequialem, Missa solemnis de qua in casu, si neque Missa lecta locum habuit in exsequiis, cantari potest sub limitationibus appositis pro Missa de prima vice post obitum; secus, cantari potest tantum die quo permittuntur Missae privatae pro defunctis, vel III, VII, XXX, cum propriis limitationibus. Oratio potest dici ut in quaesito, quae est in Missali (*Rit. cel. Miss.*, in fine), vel *Absolve... ut defunctus*, quae est in Rituali (tit. VI, cap. 5, n. 2), vel alia, ut in eodem Rituali permittitur.

V. Parochus loci M. abstulit e parietibus suae ecclesiae tabulas et cruces stationum Viae Crucis, eo quod indecorae evaserint, loco vero earum novas apposuit, absque

ulla tamen benedictione, verum in eodem, quo prius aliae erant, loco. Debuerantne benedici hae cruces? Et in casu affirmativo, quomodo res nunc componendae, ad vitandam fidelium admirationem?

Resp. Quando crucium Viae Crucis maior pars aufertur, et aliae substituuntur, nova erectio requiritur, uti ex sequenti S. Congregationis Indulgentiarum decreto: « Si cruces primitus benedictae omnino pereant, vel tollantur, iterum nova erectio et benedictio requiritur ad acquirendas Indulgentias ». Decr. Auth., 20 sept. 1839, II, n. 275. Ad vitandam fidelium admirationem, potest peragi s. functio privatim.

VI. In orationibus *Absolve* et *Inclina*, in Missis pro defuncto vel defuncta, debet, vel saltem potest, inseri nomen defuncti vel defunctae ipsius, quomodo notatur in Rituali et Breviario typicis?

Resp. Affirmative, saltem ex consuetudine, quae, ut putatur, cohonestabitur etiam in proxima futura typica editione Missalis Romani.

VII. Imagines Iesu, qui vocatur Nazarenus, sive *Ecce Homo*, debentne velari in hebdomada Passionis et maiori?

Resp. Nulla differentia fieri debet inter imagines sive Domini, sive B. Virginis, sive Sanctorum. Neque prodest dicere, agi hic de imagine Passionem Domini exhibente, quia etiam, et imo principaliter, imagines Christi crucifixi velatae tunc manent, usque ad ritualem detectionem feria VI in Parasceve: aliae vero imagines usque ad sequentem diem.

VIII. Ecclesia B. planetam albi coloris non possidet; eius loco adhibetur vel una coloris flavi, vel alia in qua flores albi exornant fundum, alternis lineis rubeis, viridibus, violaceis compositum. Utra praeferenda pro colore albo?

Resp. Colore flavo uti non licet, ut habetur in decreto S. R. C., n. 2704, IV. Coloris qui praevalet, ita ut plane distinguatur, potest planeta adhiberi, pro illo iugiter colore.

Quoad colores mixtos, nullo praevalente, S. C. edixit: « Servetur strictim rubrica (n. 2682, I.) », et in *Vicen.*: « Serventur omnino rubricae generales, facta tamen Episcopo potestate indulgendi, ut in ecclesiis pauperibus permittat illis uti, donec consumantur (19 dec. 1829, n. 2675) ». Ceterum, iuxta Moralistas, haec rubrica non obligat sub gravi, ita ut iusta ratio ab illa servanda excuset.

IX. Versiculus *Dominus vobiscum* debetne omitti in precibus quae dicuntur tempore belli coram SS.mo Sacramento palam exposito?

Resp. Negative, si agatur de precibus liturgicis, v. gr. Litaniis Sanctorum; iste enim versiculus non dicitur ante orationem vel orationes, quae immediate praecedunt benedictionem; alias semper dicitur, ubi in sacris textibus invenitur, quemadmodum non omittitur in Officio et Missa quae coram Sanctissimo exposito celebrantur. Decretum S. R. C., n. 4081, VII, non obstat huic solutioni, quia sive Litanias B. M. V. (V. Rit. Rom. ed. typ. Pustet, Append., pag. 23), sive post hymnos Sanctorum, reipsa versiculus ille non praescribitur; ergo, neque adest ratio cur addatur, exposito SS.mo Sacramento.

X. Conopaeum debetne adhiberi etiam in tabernaculo ex argento vel marmore, figuris ornato?

Resp. Pluries de hac re egimus superioribus annis; conclusio est, non esse adhibenda tabernacula quae nequeant tegi conopaeo, iuxta praescriptiones; si tamen habentur, videatur ut lex conopaei, quantum fieri potest, servetur; attamen considerare oportet, velarium ad instar siparii non esse conopaeum; ubi vero impossibile hoc evadit, recurratur ad legitimam auctoritatem.

XI. De Sanctis simplicibus, qui notantur in Kalendario Ecclesiae universalis, et occurrunt die quo recolitur alius Sanctus, sub ritu duplici vel semiduplici, potestne celebrari Missa, quemadmodum fit de Sanctis simplificatis in Kalendariis particularibus?

Resp. Negative; numquam enim data est huiusmodi

potestas; salvo tamen iure, in occursu cum Semiduplici, celebrandi Missam de Simplici tamquam votivo-festivam; servatis servandis, et si nihil aliud obstet.

XII. Quidam parochus supra tabernaculum posuit thronum pro expositione SS.mi Sacramenti, eo quod pluries requiritur de aliqua s. functione cum expositione, et idcirco ibi thronus manet continuatium. Retro, post thronum, adest Crucifixus magnae molis, attamen Celebrans, oculos elevans, vix caput illius conspicit. Sufficitne iste Crucifixus, an vero opus est ut alter apponatur ante thronum, tempore Missae?

Resp. Videtur sufficere; conspicitur enim pars principalis, sive crucis sive sacrae imaginis, quia cum capite Crucifixi procul dubio conspicitur etiam transversa pars eiusdem crucis et Crucifixi, quae sunt fere in eadem linea. Curetur tamen, ut, si fieri potest, amplius elevetur crux, quae semper, iuxta Caeremoniale Episcoporum, debet eminere. Ceterum melius esset relinquere crucem uti est, quam apponere crucem modo parum decenti ante thronum; numquam autem permitteretur ut bina crux in eodem altari exponatur.

Pro archidioecesi Cataniensi. — Inter plures Sacerdotes disputatur, utrum, cum SS. Eucharistia defertur ad infirmos, privato more, iuxta recens decretum S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, d. d. 23 decembris 1912, ad III, Sacerdos debeat, domi, apud infirmum, induere cottam, an vero possit S. Communionem stola tantum indutus administrare. Neutra disceptantium pars valet aliam superare; unde requiritur sententia *Ephemeridum Liturgicarum.*

Resp. Habebatur in antiquioribus Ritualibus, in appendice, instructio sub titulo: « Modus Ss.mam Eucharistiam deferendi occulte ad infirmos, ex Constitutione Benedicti XIV, *Inter omnigenas,* § 25, edita pro Servia et finitimis regionibus, die 2 februarii 1744 ». Textus referebatur ut in decreto S. C. de Sacramentis, sed praemissis verbis: « Ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas ». Rituale typicum refert

eandem instructionem, demptis hisce verbis, et indicato novissimo decreto S. C. de disciplina Sacramentorum.

Quod ibi dicitur esse faciendum ob timorem inimicorum Christi, profecto valebat et valet etiam pro aliis casibus, in quibus nequit forma servari, in capite 4 tituli IV, nn. 6-10 Ritualis praescripta. Ratio tamen sufficiens ad deserendum ritum consuetum a S. Rituum Congregatione non est reputata *longum iter in paroeciis ruralibus*, ita ut etiam in his casibus superpelliceum omnino sit necessarium (n. 2650, secunda factispec., qu. 1). Si tamen ageretur de Viatico deferendo « per montes inaccessos, a parocho et oeconomis equitantibus ac caput pileo cooperientibus, comitante saltem uno socio, si fieri potest, laternam accensam deferente, permitti potest ab Episcopo, ex S. R. Congregationis indulta facultate » (nn. 2908 ; 3059, XIX ; 3438, VII). Ceterum declaravit eadem S. C. : « Viaticum deferri ad infirmos secreto, sine ullo exterioris cultus signo, *si desint gravia motiva sic agendi*, abusus est omnino eliminandus » (n. 3337).

Attamen hodie, perspectis forsan peculiaribus rerum adiunctis, praesertim in magnis civitatibus, Apostolica Sedes magis se ostendit indulgens, et admittit simpliciter iustam et rationabilem causam, ad quam videtur referri etiam petitio S. Communionis ex devotione per plures infirmos, vel frequentioris per eundem infirmum, quae in dubii expositione afferuntur, neque a S. C. reiiciuntur. Requiritur autem approbatio Ordinarii, et non traditur indistincte facultas utendi ritu proposito a Benedicto XIV, sed insinuatur illo esse utendum cum discretione, sub illis verbis: « servato *saltem* ritu ».

Ex hoc dicendi modo concludimus, usum solius stolae non esse admittendum nisi quando superpelliceum omnino deferri nequit (cfr. decr n. 2650, superius cit.). Ceterum, etiamsi superpelliceum deferri nequeat sub veste usuali in itinere, difficile intelligitur quomodo nequeat deferri involutum vel clausum, in domo infirmi postea induendum

Pronum est in ecclesia, cum accipitur Sacramentum, vix inveniri excusationem ab induendo superpelliceo. Observantiores sacerdotes, in his casibus, etiam in itinere, lumen deferre faciunt, adhibita laterna, quam coecam vocant, quae scilicet lumen non prodit.

Pro Rochester, N. Y. — I. In editione typica (an. 1913) Ritualis Romani quaedam inveniuntur nova: In tit. II, cap. 2° de Baptismate parvulorum, nn. 5 et 9, legitur « ponat manum super caput infantis (singulorum infantium) ac *postea* dicat, etc. » Quaeritur, utrum baptizans teneat manum extensam toto tempore orationis ac olim?

Resp. Ritualia praecedentia editionem typicam anni 1913 dicebant tantum: « Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat ». Hoc non opponitur hodiernae lectioni, quia vox « postea » poterat subintelligi, et ita plures sacerdotes reipsa faciebant. Tangebant equidem caput infantis, manum elevabant, et dein proferebant: *Oremus* etc. Dubium erat et est adhuc, utrum necne, post tactum capitis, reipsa manus sacerdotis debeat teneri elevata et extensa versus infantem ipsum, seu suspensa supra caput illius. Neque ex antiquo neque ex novo textu id eruitur, ita ut, si ad libitum uno vel altero modo fieri posse videatur, expedit tamen servare consuetudinem fere universalem, manum extensam iugiter tenendi.

II. Ibidem, n. 10: « Postea sacerdos imponit extremam partem stolae super primum infantem, et introducit eum (ceteri sequuntur) in ecclesiam, dicens *N.* ingredere, etc. ». An dicitur formula semper in singulari? Videtur, sed quare? Nonne prius seu antea dicebatur in plurali pro pluribus? Alibi habetur *ingredimini*. Quid faciendum?

Resp. Absque dubio, agitur ibi de involuntaria omissione: quod suadet locutio ad eundem locum adhibita in ordine supplendi omissa super baptizatum. Consonat et idem sermo in Baptismo adultorum et in supplendis caeremoniis pro adultis.

III. Tit. IV, cap. 2, n. 9: « Deinde, elevatis oculis,

extendens, elevans et iungens manus, etc. ». Ergo amplius nulla datur libertas aut discussio quoad modum benedicendi communicantes?

Resp. Ita est; et scimus voluisse S. R. Congregationem finem imponere controversiis et diversae agendi rationi, sive in variis sive in una et eadem ecclesia per diversos sacerdotes.

IV. Tandem, tit. IV, cap. 4, n. 21: « Cum pervenerit ad ecclesiam, ponit Sacramentum super altare, adorat, deinde dicit: *Panem de caelo*, etc. » Mutata non est haec rubrica, sed quaeritur, utrum haec omnia, scilicet *Panem de caelo. Oremus*, etc. dicit sacerdos stans in suppedaneo?

Resp. Affirmative. Attamen potest ut prius continuari consuetudo dicendi vel cantandi *Tantum ergo*, flexis genibus in infimo gradu, surgente sacerdote ad orationem, quae tunc dicetur in plano ante gradus altaris, uti alias ante benedictionem.

V. In coemeterii benedictione requiritur crux (in dedicatione quinque). Estne ulla obligatio habendi in coemeterio crucem permanentem? renovanda est? Si affirmative (quod non videtur), estne de ligno confecta?

Resp. Non constat de obligatione, sed congruum omnino est, ut signum Redemptionis emineat ubi expectatur resurrectio. De eius autem materia, cum de re libera agatur, non est interloquendum.

VI. Nulla invenitur benedictio Vexilli nationalis. Si requiratur, quid faciendum? Benedictio rei cuiuscumque, seu ad omnia, scilicet verba huius benedictionis non videntur apta ad casum; neque placet benedictio Vexilli cuiuscumque societatis.

Resp. Adhibenda est « Benedictio vexilli processionalis cuiuslibet societatis »; natio enim est vera et propria societas. Si non placet, fiat de necessitate virtus, ut fert adagium.

VII. Solemnitas externa SS. Rosarii celebrari potest prima octobris Dominica. Ex indulto apud nos solemnitas

externa Titularis celebrari potest Dominica festum sequenti. Igitur ecclesia cui Titularis est S. Maria Rosarii, celebrare potest solemnitatem SS. Rosarii prima octobris Dominica, et hoc anno etiam secunda mensis Dominica (i. e. secunda Dominica una Missa cantata potest esse secundum indultum nostrum de Titulari). Quid de casu allato?

Resp. Conclusio nimis patet. Una est quidem solemnitas alicuius festi, quae, si non peragitur die qua celebratur Officium, ex indulto generali vel particulari transferri aliquando potest. Si igitur haec translatio iam facta est, quomodo iterum fieri poterit? Dabitur, in casu, absque dubio, libertas, ita ut vel solemnitas celebretur Dominica prima octobris, vel amandetur ad secundam; sed una est solemnitas festi SS. Rosarii, ergo semel tantum peragi potest. Nonne argumentatio similis posset fieri etiam si de alio etiam capite procederet? V. gr. festum SS. Cordis Iesu, si in loco de quo agimus esset titulare, posset, quoad solemnitatem, peragi 1° Dominica subsequente, ex indulto particulari; 2° Dominica in qua forsan ante decretum S. R. C. 28 octobris 1913 celebrabatur, ex eodem decreto; 3° alio quocumque die, ex decreto S. R. C. n. 3960: tres solemnitates unius festi! Quis umquam legitimam retinebit huiusmodi conclusionem?

VIII. Solemnitas externa SS. Rosarii celebrari potest cum omnibus Missis *praeter conventualem et parochialem*, etc. Quando igitur nulla est Missa conventualis, et nulla obligatio ex iustitia applicandi Missam pro populo, sicuti exempli gratia in missionibus vel quasi paroeciis, omnes quidem Missae de SS. Rosario celebrari possunt?

Resp. Affirmative, iuxta decretum S. R. C. n. 3623, I, quo declaratur, Missam parochialem esse illam, quam parochi *tenentur* applicare pro populo.

IX. Consentiuntne cl.mo De Herdt omnes liturgici: orationem *Fidelium* dicendam esse, casibus expressis in rubricis, etiam in *Missa votiva privata* (De Herdt, *Prax. Liturg.*, Vol. I, n. 51)?

Resp. Satis sit considerare rubricam, edicentem, in Mis-

sis votivis privatis, orationes recitandas esse uti in simplicibus (*Rubr. gen.*, tit. IX, n. 14), ergo doctrina De Herdt est retinenda, etiamsi aliqui contradicant. Quoad compulsandos *omnes* liturgicos, videat cui placet.

Pro dioecesi Foroiulien. — I. Rectene, in specimine Kalendarii Ecclesiae universalis pro anno 1917, ab his *Ephemeridibus* evulgato, in pluribus ferialibus Missis, scilicet: feria 2 post Quinquages. (19 febr.), feria 2 post Dom. VI post Pent. (9 iulii), fer. 2 post Dom. XIV (3 sept.), feria 2 post Dom. XXI (22 oct.), feria 2 post Dom. XXII (29 oct.), feria 6 post Dom. XXIV (16 nov.), feria 2 post Dom. III Adv. (17 dec.) adnotatur oratio *Fidelium?* Dicit enim rubrica Missalis, V, 1 et 2 *De Missis Defunctorum*, quod haec commemoratio pro defunctis fieri debet tantummodo quando occurrit in 1ª die libera mensis, vel feria 2, Missa de festo simplici, seu propria Missa de feria, aut vigilia, aut Missa de Dominica impedita. Porro non est casus in feriis supra enumeratis in quibus dici potest iuxta rubricam Missa principalis pro defunctis. Ergo... loco orationis *Fidelium* in diebus supra enumeratis adnotari debet *Missa principalis pro defunctis*. Quando *plus* licet, cur indicare *minus?*

Resp. Omittimus quaestionem, cum suis consectariis, de obligatione - *dicitur* - et de facultate - *dici potest* - quoad Missam principalem pro defunctis, iuxta rubricam generalem Missalis, tit. V, nn. 1 et 2; et respondemus, Redactorem Speciminis Kalendarii, locis indicatis, numquam esse locutum de Missis conventualibus, quae sub nomine principalium in rubrica veniunt, sed de privatis tantum. Pro his autem non sunt applicandae regulae de Missa principali, sed aliae de sola commemoratione pro defunctis. Ergo bene indicatur Missa de die cum oratione *Fidelium*, in casibus expositis.

II. Et iterum disponit eadem rubrica quod si per hebdomadam adsit alia dies in qua reponi potest Missa Dominicae praecedentis impedita, ut, verbi gratia, in ultima hebdomada octobris, tunc in feria 2ª dicitur Missa principalis

pro defunctis. Ergo sine causa, *et dupliciter*, adnotatur oratio *Fidelium* in feria 2ª post Dom. XXII post Pent., et in casu Missa Dominicae praecedentis impedita resumi debet feria 3ª.

Resp. Feria II post Dominicam XXII post Pentecosten, nempe die 29 octobris 1917, iuxta decretum S. R. C., d. d. 6 decembris 1912, ad 1, cum sit illa in qua *prima vice* resumenda est Missa Dominicae praecedentis, non admittit Missas privatas de requie (Rubr. ad normam Bullae « Divino afflatu », tit. X, n. 2); attamen, cum Missa principalis, seu conventualis, non sit Missa privata, potest talis Missa principalis dici illa feria. Potest etiam dici ex titulo citato rubricarum generalium. Sed hoc non impedit quominus et oratio *Fidelium* dicatur in Missis privatis de feria. Pro Missa autem principali, die sequenti, quae est libera, resumetur Missa de Dominica. Ergo non errat Specimen Kalendarii, in admittendo hac oratione *Fidelium*, feria II praedicta, in Missis privatis de feria.

Utrum vero bene applicentur rubricae veteres ac novae circa resumptionem Missae de Dominica disiunctive; scilicet, ad effectum prohibitionis Missarum votivarum et de requie, si sermo sit de privatis, in feria II, ad effectum autem Missae principalis, in feria III, alia quaestio, sed non videtur quidquam obstare: ita ut bene possit dici Missa principalis pro defunctis, die 29 octobris, sed non Missae privatae votivae ac de requie; die autem 30, debeat dici Missa principalis de Dominica, sed nulla privata votiva aut de requie.

III. Nonne mendose adnotatur die 20 decembris Missa Dom. cum 2 or. Vigiliae, et nonne potius legi debet Missa de Vigilia cum 2ª or. feriae et 3ª *Deus, qui de Beatae?*

Resp. Affirmative, uti probavit ipse compilator Speciminis Kalendarii, qui in separata editione Kalendarii pro Ecclesia universali errorem emendavit (*Ordo divini Officii*, Pustet, 1916).

IV. Litaniis maioribus incidentibus, anno 1917, in solemnitate S. Ioseph, numquid in processione legi potest

Missa de Rogationibus cum commemoratione festi, vel potius, ut opinor, Missa dici debet de festo cum commemoratione Rogationum sub unica conclusione, iuxta normam a S. R. C. edictam pro S. Marco Patrono (2942, ad 2 et 3)?

Resp. Dispositio decreti n. 2942 respicit ecclesias in quibus tantum unus vel duo Sacerdotes celebrant, ergo non faceret ad rem, sed habetur aliud decretum, sub n. 2687, II, quod item solvit quaestionem de Missa post processionem, in ecclesia titulari S. Marci, edicens quod debeat celebrari de festo. Si ita statuitur pro Sancto titulari, idipsum censeri debet esse faciendum pro Sancto Patrono. In festo igitur solemnitatis S. Ioseph, quod est reipsa patronale pro Ecclesia universali, post processionem Litaniarum maiorum, celebrabitur Missa de S. Ioseph, cum commemoratione Rogationum sub unica conclusione. M.

Pro Urbe. I. An in Altari quod fuit consecratum ad modum fixi, sed cuius mensa in translatione a stipite fuit amota, Missam celebrare liceat? — Et in casu negativo, quid sit faciendum?

Resp. ad I. Negative, uti patet ex sequentibus decretis:

a) Ad dubium: « Utrum, amota mensa ab Altari ad modum fixi et non portatilis consecrati, necessario illud nova indigeat consecratione? » Resp. S. R. C.: « In casu de quo agitur, Altare denuo consecrandum esse », die 15 maii 1819 (n. 2599). Idem declaratur in decreto S. R. C., 3 sept. 1879 ad 1, n. 3504. — « Ratio formalis », ait Gardellini ad hoc decretum, « per quam Altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit, quod Altare fixum habet ac essentialiter importat coniunctionem tabulae cum sua structura inferiori seu basi, cui tabula proinde necessario debet esse unita: ubi e contra Altare portatile de sua natura importat esse a basi seiunctum ». Ex quo idem cl. auctor deducit, quod si in translatione mensa fuerit a basi amota, Altare fixum nova indigeat consecratione; secus vero, si tabula non fuerit amota a sua basi in translatione.

b) Insuper S. R. C. d. 20 martii 1869, n. 3198 decrevit: Altare fixum consecratum, a cuius stipitibus mensa avulsa est, quamvis permanserit omnino integra et Reliquiarum sepulchrum plane inviolatum, indigere nova consecratione, et sine dispensatione et sanatione summi Pontificis in eodem celebrari non posse.

Resp. ad II. Vel illud Altare denuo consecretur, vel pro eo a Summo Pontifice dispensatio et sanatio postulentur, ut in decreto mox citato d. 20 martii 1869; et interim, ut in eo Missa celebrari possit, super eo ponatur lapis consecratus ad instar Altaris portatilis.

II. Quaenam verba generatim dicenda sint in petenda a celebrante thuris et aquae benedictione, tum in Missa solemni quum in Missa solemni pontificali? — Et quaenam verba sint adhibenda apud personas religiosas in Missa solemni, si celebrans sit persona in dignitate constituta?

Resp. ad I. — In Missa solemni juxta Rubricas Missalis (tit. IV, n. 4, et tit. VII, nn. 9 et 10), Diaconus ministrans naviculam dicit: *Benedicite, Pater Reverende;* item Subdiaconus in petenda aquae benedictione. In Missa vero solemni Pontificali iuxta Rubricas Caeremon. Episcop. (lib. I, cap. XXIII, n. 1, et lib. II, cap. VIII, n. 62) dicitur *Benedicite, Pater Reverendissime* (1). Item in Missa solemni coram Episcopo, sive pluviali sive cappa magna induto, in sua Dioecesi, cum tunc Episcopus et non celebrans imponat incensum in thuribulum, Diaconus dicit *Benedicite, Pater Reverendissime.*

Circa hunc titulum cl. Ios. Catalanus in Caeremon. Episcop. (lib. II, cap. IX, n. 9), loquens de Episcopo, sine pluviali et mitra sive cappa magna induto, Missae solemni assistente, ait: « Diaconus offerens cochlear dicit: *Benedicite, Pater Reverendissime,* vel si sit Cardinalis, dicit: *Eminentissime* ». In opere autem *Manuale Sacrar. Caeremoniar.*

---

(1) Videtur dici posse etiam: *Benedicite, reverendissime Pater* (Cf. Caerem. Epp., lib I, cap. X, n. 5).

REDACTIO.

Martinucci-Menghini, edit. 3, Parte altera, vol. I, pag. 92, sequens adnotatio legitur: « Heic etiam in posterum monemus, quod si Episcopus esset Cardinalis, in petenda ab eo thuris et aquae benedictione, dicendum erit *Benedicite, eminentissime et reverendissime Pater*. Contra regulam quidem est addere, ut quidam solent, alios titulos non ecclesiasticos, sed mere laicales, a Caeremoniali exclusos, cuiusmodi sunt *illustrissime et reverendissime* vel etiam *excellentissime*, quibus Episcopos putant amplius honorare ».

Resp. ad II. — Ea de re habetur in Caeremoniali Romano-Seraphico Fratrum Minorum, a S. R. C. d. 12 aug. 1908 approbato, n. 48, adnot. 4: « Si Celebrans sit Episcopus vel Minister Generalis etc., dicendum est: *Benedicite, Pater Reverendissime* ». Caeremoniale autem Ordinis Minorum Conventualium (an. 1904) circa hoc punctum sequentia verba habet (P, II, c XVII, n. 6), Diaconus tradens naviculae cochlear Celebranti cum osculis dicit, « aliquantulum inclinatus: *Benedicite, Pater Reverende*, non obstante dignitate personae; soli enim Episcopo vel qui ei honore aequiparatur, uti etiam Ministro vel Vicario Generali Ordinis aut ex-Generali *Benedicite, Pater Reverendissime* dicendum est; verborum autem *Admodum Reverende* in Caerem. Episc. aut in Rubricis Missalis vestigium non reperitur ».

Ex praedictis deduci potest, quod si Celebrans ex iure Ordinis habeat titulum *Reverendissimus*, dicatur a Diacono in petenda thuris benedictione et a Subdiacono in petenda aquae benedictione *Benedicite, Pater Reverendissime;* pro aliis vero tantum *Pater Reverende.*

Pro Augusta Taurinorum. — I. Quomodo ordinandae sint in Vigilia Pentecostes functio et Missa Conventualis apud Moniales Choro adstrictas, ubi Missa non cantatur?

Resp. Quum in casu supponatur quod non adsit sufficiens Clerus ut illa functio fiat solemniter, i. e. iuxta rubricas Missalis Romani, ibi dicta functio facienda est

iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII (Cf. *Ephemer. Liturg.* huius anni, pag. 692). Quum autem functio, quae in Vigilia Pentecostes peragenda est, eadem sit ac illa in Sabbato Sancto, nimirum quoad *Prophetias, Litanias* et partim quoad Missam, vide idem Memoriale Benedicti XIII, Cap. II, §§ III et VI.

II. Usus vigens pulsandi campanulam intra Missam durante publica SS. Sacramenti expositione servari nequit, nisi ad altare expositionis celebretur (Cf. S. Rit. Congr. 31 aug. 1867 ad 10, n. 3157; 11 maii 1878 ad 2, n. 3448 et Instruct. Clement. § XVI). Insuper teste Gardellini (in Instruct Clement., loc. cit.) Romae saltem in maioribus ecclesiis obtinet mos eam campanulam non pulsandi, in quibuslibet Missis solemnibus, nisi sint de requie.

In eo tantum casu permittitur, ut campanula leviter pulsetur, cum Sacerdos e Sacristia egreditur (Gardell. in Instr. Clement, § XVI, nn. 4 et 5).

III. Clavis tabernaculi, quae argentea sit oportet, aut saltem ferrea auro vel argento obducta, numquam in ostiolo tabernaculi relinquenda est post sacras functiones, aut in loco aperto, sed a Sacerdote in loco tuto custodienda (ita Conc. Lateran. IV, cap. 20). Apud Moniales clavis tabernaculi ab earum Capellano est custodienda (S. R. C. 11 maii 1878 ad 6, n. 3448).

IV. Iuxta Rubricam Missalis (de Rit. serv. in celebrat. Mis., tit. I, n. 1) et decret. S. R. C. 7 sept. 1816 (n. 2572) celebrans ipse et non alius praeparat calicem. Imo vi eiusdem Rubricae Missalis celebrans prius ordinat Missale, dein lavat manus et tandem praeparat calicem.

Quoad solemnitatem externam celebrandam alicuius festi in Dominica proxime sequente, quae vi decreti S. R. C. 28 octobris 1913, I, 2, permissa est requiritur:

1. Ut illud festum usque ad diem 28 octobris 1913 alicui Dominicae perpetuo affixum fuerit; decretum enim dicit: « *festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant* ».

2. Ex decreto S. R. C. 28 april. 1914 (ad I, A. A. S., vol. VI, p. 196) videtur requiri, ut idem festum die fixa mensis adhuc recolatur (1).

3. Praeterea requiritur, ut festum, de quo celebranda est solemnitas externa, sit ritus duplicis I vel II classis; de aliis enim festis ibi non agitur (2). (Cf. *Ephemer. Liturg.* huius anni, pag. 52).

Aliae conditiones a dicto decreto non requiruntur. Adverte tamen quod in ecclesiis ubi Missa Conventualis vel parochialis sit de praecepto, et unus tantum adsit Sacerdos, dicta Missa necessario conformis esse debeat Officio diei, et consequenter ibi de praefata solemnitate Missa neque solemnis neque privata celebrari possit.

VI. Iuxta decretum S. Congr. S. Officii d. 26 novembris 1908 ad II (A. A. S., vol. I, p. 146), indultum Oratoriis *semipublicis* concessum *Motu proprio* d. 1 augusti 1907, extendi nequit ad Ecclesias et Oratoria *publica*, quae nempe publico fidelis populi usui inserviunt, salvo tamen Religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi. Insuper notandum est quod apud Religiosas personas utriusque sexus, *Choro addictas*, iuxta speciales rubricas Breviarii in die Nativitatis Domini: Post Matutinum, « dicto *Benedicamus Domino* celebratur prima Missa post mediam noctem, ut in Missali, qua finita, dicuntur Laudes. Summo mane dicitur Prima (*Officii*), qua finita celebratur secunda Missa in Aurora... Tertia (*Officii*) dicitur hora sua, qua finita celebratur tertia Missa de die Nativitatis ». Idem praescribitur in rubricis generalibus Missalis, tit. XV, n. 4.

VII. Quoad erectionem Confraternitatum, et a for-

(1) Dicitur *videtur requiri*, nam quidam eximius Rubricista putat quod si illud festum non amplius habeatur in Kalendario, externa eius celebratio adhuc continuari possit, dummodo festum illud usque ad diem 28 octobris 1913 Dominicae affixum fuerit.

(2) Dicitur etiam in decreto « *Omnes Missae de his solemnitatibus in Dominica celebratis* ».

tiori quoad erectionem piarum Unionum et Societatum, sciendum est quod Episcopus loci iure ordinario eas erigat in locis eius iurisdictioni subiectis, exceptis iis quarum erectio specialiter Sedi Apostolicae est reservata, vel Generalibus Ordinum Religiosorum, eorumque delegatis commissa (vide P. Victor. ab Appeltern *Compend. Iuris Regul.* q. 566, R. 1°). Insuper notandum est, quod in erigendis Confraternitatibus vel piis Societatibus, Ordinario loci iure ordinario subiectis, Episcopus non subiiciatur Bullae *Quaecumque* Clementis VIII; proinde decretum Episcopi erigentis solummodo necessarium est ad earum canonicam erectionem (V. ibid. q. 567, R. 1°). Demum adverte quod in Confraternitatibus *proprie dictis* inscriptio sodalium in regesto Sodalitatis pro lucro indulgentiarum necessaria sit non autem ex necessitate requiratur in ceteris piis Associationibus (v. ibid. q. 565, adnot. 4, *b*); imo, si agatur de piis Unionibus, quae nullam habent pro adscriptione Sodalium formam ac caeremoniam, et in quibus potius attenditur et desideratur maior fidelium numerus, ius est Episcopi committendi Directori ut instituat *Zelatores* et *Zelatrices*, quibus sit potestas valide adscribendi fideles in piam societatem V. ibid. q. 570, R. 2, adnot. 3). Haec tamen, nisi aliter in casibus particularibus constitutum sit.

Ex praedictis satis liquet quod inquirens tranquille continuare possit cum sua pia Unione, uti hucusque mos fuit.

P. V. ab A.

Index

Capitum et Articulorum cuiusque materiae

huius XXVIII Tomi

Decreta

SS. Romanarum Congregationum

E S. Rituum Congregatione.

Decretum in *Lucionen.* 12 aug. 1854 5
Decretum de lampade coram SS. Sacramento 129
De Sacerdotum et sacrorum ministrorum numero in benedictione et consecratione SS. Oleorum. . . *ibi*
Dubia 131
De Festo Translationis Almae Domus B. M. V. . . 391
Sedunen. Dubia de festo Dedicationis Ecclesiae . . 393
Vizagapatamensis et *Nagporensis*. Dubia 449
Dubia. De Missa votiva SS. Cordis Iesu et de precibus post Missam . . . 452
Rescriptum circa Missas de B.V. Perdolente celebrandas Dominica III sept. in ecclesiis in quibus extat Confraternitas VII Dol. B. M. V., vel Tertius Ordo saec. Servorum B. M. V. 516

E S. Congregatione S. Officii.

Declarantur et extenduntur concessiones quaedam pro tempore belli 65
Circa imagines exhibentes B. V. Mariam sacerdotalibus vestibus iudutam . 325
Declaratur dubium circa indulgentiam Christianae salutationis « *Laudetur Iesus Christus* ». . . . . *ibi*
Decretum. Solvitur dubium de SS. Numismatibus loco Scapularium benedicendis 387
De formulis precum indulgentiis ditatis non interpolandis. 512
Decretum quo plura solvuntur dubia circa indulgentias a Tertiariis saecularibus Ordinis Minorum lucrandas 513
Introductio. Super casuum conscientiae reservationibus. 577
Decretum. Sodalitates ad provehendas adiuvandasque vocationes iudulgentiis ditantur. 713

E Sacra Congregatione Caeremonialis.

De functionibus Sacris a S. R. C. Cardinalibus in Urbe celebrandis - De caeremoniali capellae papalis - De usu gestandi crucem pectoralem super cappam magnam - De exequiis ac funeribus S. R. C. Cardinalium in Romana Curia. 705

E S. Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis.

Extensio Iurium ac potestatis Ordinarii Castrensis apud Belgarum exercitum. 66

E S. Poenitentiaria Apostolica.

Declaratio circa obligationem divini Officii recitandi clericorum in sacris constitutorum, qui lege civili coacti in bello versantur 193

E S. Congregationis Seminariis et de Studiorum Universitatibus.

Leges Academiae Romanae *S.* Thomae Aquinatis . 709

Litterae Apostolicae.

Ad R. D. Aem Villette Moderatorem *ab Agonia D. N. I. C. ad Gethsemani.* 3

Oratio ad populos Christianos Orientis cum Ecclesia Romana iungendos indulgentiis ditatur . . . 321

Oratio quaedam ad S. Petrum Apostolorum principem indulgentia ditatur. 323

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

I. De eleemosyna pro Missa celebrata in loco dissito percipienda 68

II. De onere recitandi Officium divinum pro militibus ordinatis in Sacris . 133

III. De colore stolae in Communionis extra Missam distributione adhibenda. . 195

IV. De consuetudine plures Missas et Absolutiones canendi in die Commem. Omnium Fidelium Defunctorum 257

V. De privilegio Missam binandi quibusdam in festis. 327

VI. De lectionibus infra octavas quae non sunt in Breviario Romano, ex Octavario desumendis . . . 397

VII. De octavis privilegiatis alicubi concessis . . 455

VIII. De Solemnitate externa Sancti Titularis in Dominica infra octavam celebranda 518

IX. De quibusdam defectibus in celebratione Missae. 643

Archaeologia Liturgica.

De Romani Pontificis Sandaliis eorumque ornamentis 73

§. 1. De Sandaliis Romani Pontificis generatim, et de ornamento, quod plures crucem putarunt. . . . 74

§. 2. De tempore quo certe crucem in sandaliis Pontifices adhibere inchoarunt 215

Continuatio 270

§. 1. De mystica Pontificum calceamentorum significatione in genere . . . . *ibi*

§. 2. De significatione lilii aut trifolii, quod plures crucem putarunt 332

§. 3. De mystica crucis si-

gnificatione in R. Pontificis Sandaliis expressae. 336
§. 4. Quid fecerint RR. Pontifices, ut praefatos sensus manifestarent 403
Conclusio. Quaedam salutares et fructuosae reflexiones super exposita doctrina 649

Consuetudines in functionibus liturgicis.

V. pagg. 17, 92.

Consultationes.

V. pagg. 42, 111, 151, 234, 286, 346, 425. 459, 535, 611, 654.

Breviora respons .

Pro Conventu S. P. . . . 51
Pro Vicariatu Apostolico de « Seoul » (Corée) . . . 55
Pro dioecesi N. 56
Pro dioecesi Ruraemundensi in Hollandia 59
Pro archidiocesi Taurinensi. 60
Pro Melita insula 61
Pro Lucana archidiocesi . 62
Pro dioecesi Salutiarum . 64
Pro archidioecesi Taurinensi 113
Pro Einsiedeln 115
Pro dioecesi Placentina. . 118
Pro Willington in Anglia . *ibi*
Pro Gallia. . . . . . . *ibi*
Pro dioecesi Mutinensi . . 121
Pro Veneta regione . . . 479
Pro dioecesi N. 481
Pro Conventu N. 482
Pro Statibus Foederatis in America. 483
Pro Salon (Gallia). . . . 488
Pro Rota (Verona). . . . 489
Pro Derthusa in Hispania . 559
Pro dioecesi B. 561
Pro Veneta regione . . . 619
Pro Nuceria Superiore . . 620
Pro Ossisio 622
Pro Arborea in Sardinia . . 623
Pro Granata in Hispania . 624
Pro dioecesi Suessionensi . 625
Pro Aversa 627
Pro Luca 666
Pro Petrocorio in Gallia . 675
Pro Venetiis. 725
Pro Veneta regione . . . 726
Pro archidioecesi Parisiensi. 728
Pro Foro Iulii 729
Pro archidioecesi Florentina 730
Pro archidioecesi Cataniensi. 734
Pro Rochester, N. Y. . . 736
Pro dioecesi Foroiulien. . 739
Pro Augusta Taurinorum. 743

Brevis collectio Quaestionum ritualium.

De vespertina pyxidis expositione pro consueta SS. Sacramenti visitatione in parochiali ecclesia . . . 181
De consuetudine in cantu Passionis D. N. I. C. . 183
De ritu praescripto in administranda Extrema Unctione pluribus infirmis . 187
De intelligentia Rescripti causa infirmitatis pro celebratione Missae, de sepultura mortuorum apud altaria, et de necessitate Ministri in Missae sacrificio 243
De concentibus musicis in ecclesia prohibitis ac de loco pro musicis concentibus in processionibus . 246
De Crucis qualitate in altari pro Missae celebratione . 250
De Missae celebratione et Eucharistiae distributione in altari Expositionis . . 307
De funebribus sermonibus

in exequiis et effigie defuncti in tumulo. . . . 310
De usu rocheti in administratione Eucharistiae, stolae colore, etc. 313
De obligatione coloris sacrorum paramentorum et an sufficiat unica pro omnibus coloribus planeta. . 317
De Missis Gregorianis et differentia inter altare privilegiatum et Gregorianum 361
De duplici Missa exequiali pro defuncto 365
De Titulari commemorando in Missa et Officio. . . 368
De pluribus Missis cantatis pro eodem Sancto vel pro eodem defuncto eodem die et in eadem ecclesia . . 371
De altari fixo et portatili et substitutione imaginis et tituli alicuius altaris vel ecclesiae 374
De differentia absolutionis feretri ab absolutione ad tumulum, et de pluribus absolutionibus pro eodem defuncto, eodem die, et in eadem ecclesia . . . 379
An calix non consecratus, ad Missae celebrationem adhibitus, consecratus maneat, si cum eo Sacrum peractum fuerit 434
De quibusdam usibus in processione B. M. V. Perdolentis, vel, uti dicunt, de Passione 435
Quinam satisfaciant praecepto Missam audiendo in Nosocomii cuiusdam oratorio 436
De Communione infirmis etiam non ieiunis deferenda devotionis causa . . 443
De hora pro celebr. . . 446
Continuatio 492
De Eucharistiae asservatione in quadam rurali capella 494
De oratione SS. Sacramenti, oratione pro defunctis in Missis ferialibus, et collecta pro re gravi, si Missa celebretur in altari Expositionis 499
De consuetudine in civitate B. introducta in defunctorum exequiis 508
Quaestio iuridico-moralis circa exequias cuiusdam defuncti. 563
De stolae colore et usu quibusdam in functionibus et quibus eam licet deferre in processionibus . . . 573
Continuatio 630
De Missa SS. Cordis Iesu si eius festi externa solemnitas transferatur . . 633
Quaenam liceant Diacono in distributione Eucharistiae et ministratione Baptismi. 637
De orationibus in funere quadam in ecclesia celebrato in suffragium Pii Pp. X fel. rec. 686
An liceat rectori cuiusdam ecclesiae, inscio Episcopo, Eucharistiam asservare, ac quasdam peculiares functiones peragere . . . 688
De cuiusdam sacrae D. N. I. C. Spineae Coronae Reliquiae expositione . . . 693

Constitutio Gregorii Pp. XIII qua Rubricae Breviarii Romani magnopere illustrantur.

Constitutio. 222
Commentarium 227
Continuatio 276

Quaestiones Liturgicae.

I. De quadam ecclesia bis consecrata, quoad festum Titularis celebrandum . 83
II. De modo celebrandi Missas pro defunctis, in Officio post sermonem, quem vocant « de animabus » . 85
III. Utrum in Dominicis II, III et IV Quadragesimae cantari possit Missa de Sancto transferendo iuxta Rubricam VI missalis . 88
IV. Quandonam tertius versus in hymno « Iste Confessor » sit mutandus . . . 171
V. De modo externam festorum solemnitatem celebrandi 179
VI. An de aliquo festo, intra hebdomadam occurrente, solemnitas externa in Dominicam proxime sequentem transferri possit, et de ea Missa solemnis cantari 303
VII. Utrum Episcopi et cardinales pectoralem Crucem non tantum super Mozzetam vel Mantelletum, sed etiam super Cappam deferre queant 340
Continuatio 525
VIII. In quanam Missa locum non habeat influxus commemorationis Officii quoad « Credo », si Officium hoc iure ad « Credo » gaudeat 408
IX. Quomodo a Celebrante Missam genuflectendum in transitu ante altare SS. Sacramenti, vel ante altare ubi Missa celebratur a consecratione ad Communionem 414
X. Quot et quales orationes dicendae sint in Missa tam de festo quam de Feria maiori in festo S. Hermenegildi, occurrente in aliqua Feria post Dominicam Passionis 416
XI. De Missa votiva lecta, ex indulto permissa in Duplici maiori et minori. . 417
XII. De Missa Sancti simplicis in Quadragesima . 419
XIII. De oratione imperata seu de collecta 421
XIV. De influxu alicuius Octavae cuius commemoratio est omittenda in Officio et Missa. 589
XV. De ordinandis Vesperis, quando subsequenti die fit Officium de eadem die infra octavam . . . 590
XVI. De ordinandis Vesperis et Completorio in concurrentia festorum diversae nobilitatis. 593
XVII. Quando et de quali loco sumendae sunt lectiones I Noct. de Communi 594
XVIII. De ritu quocum celebranda sunt Officia Beatorum concessa in determinatis locis 596
XIX. De Missa votiva Immaculatae Conceptionis B. M. V. apud Franciscanos. 597
XX. An in primis Vesperis alicuius festi B. M. V., de quo fit solummodo Commemoratio, hymni conclusio « Iesu, tibi sit gloria » dicenda sit. . . . 605
XXI. De translatione imaginis Mysterii ab altari maiori, cuius nomini dedicata est Ecclesia. . . 606
XXII. Ubi et iuxta quamnam formam Officia Hebdoma-

dae Sanctae, aliaque peragi possint vel debeant. 714
XXIII. De precibus pro omnibus fidelibus defunctis recitandis post sepulturam alicuius defuncti vel post absolutionem super tumulum 720

Specimen

Kalendarii Ecclesiae universalis pro anno Domini 1917.

V. pagg. 143, 206, 262.

Argumenta varia.

De stipendio Missarum . . 177
Expositio secundae partis responsionis 72 decreti in Lucionen 178
Bibliographia. The new Missal in English 191
Bibliographia. Nova Edito Breviarii Romani . . . 254
Censura liturgica 583

Index alphabeticus

rerum notabilium quae in hoc XXX Tomo continentur

(N.B. Numerus lectorem ad paginam remittit).

A.

Absolutio ad tumulum, si ab Episcopo fiat *quomodo incipienda,* 152 — *in quo differt* absolutio feretri ab absolutione ad tumulum; quaenam est *sub praecepto praescripta,* et *de usu pluvialis et incensi,* 380 — de *pluribus absolutionibus* eodem die, in eadem ecclesia et pro eodem defuncto, 381. — *De precibus pro omnibus fidelibus defunctis recitandis post sepulturam alicuius defuncti vel post absolutionem super tumulum,* 720.

Absolutio feretri, V. *Absolutio ad tumulum.*

Absolutio generalis, V. *Tertiarii.*

Absolutio pro defunctis, V. *Absolutio ad tumulum, Missa pro defunctis.*

Abstinentia, de abstinentia pro festis *Immaculatae Conceptionis* et *SS. Apostolorum Petri et Pauli* occurrentibus *feria VI anno 1917,* 118.

Academia, *leges Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis,* 709.

A Cunctis, *qui sanctus a sacerdote invocandus,* ad litteram N. in *privata recitatione* divini officii, et quaenam *certa regula servanda* prout in casu, 371.

Agonia D. N. I. C., Epistola Benedicti Pp. XV *ad R. D. C. Villette* Moderatorem Societatis *ab Agonia D. N. I. C., ad Gethsemani nuncupatae,* 1.

Altare, altaria maiora ecclesiarum parochialium *non sunt ipso iure privilegiata pro defunctis,* 56.

Altare chorale, V. *Missa privata.*

Altare Expositionis, V. *Communio sacra, Missa.*

Altare fixum, quale, et quale *portatile,* et an liceat unum aut alterum *in locum diversum transferre quin dissacretur,* 374.

Altare Gregorianum, V. *Missae Gregorianae.*

Altare maius, V. *Altare.*

Altare portatile, V. *Altare fixum.*

Altare privilegiatum, V. *Missae Gregorianae.*

Antiphona, de *de antiphonarum duplicatione* in Officio parvo B. M. V., 63.

Aqua pro benedictione domorum in Sabb. Sancto, V. *Benedictio domorum in Sabbato Sancto.*

Aqua pro Fonte baptismali, si vas baptisterii amplum non sit, optime *potest in dolio prope baptisterium posito* benedici, ad n. 78, 11.

Asservatio Eucharistiae, V. *Eucharistia.*

B.

Baptismus, quomodo a Sacerdote ministrandus *in casu necessitatis,* 684 — quid si in dicto casu *Oleum benedictum deficiat,* 686 — in baptismi administratione *bicolori stola uti licet, ibid.*

Benedictio Candelarum, Cinerum et Palmarum, utrum sit *de iuribus parochialibus,* 631 — Episcopi tantum privilegio gaudent ipsas benedicendi *et Missam sequentem non celebrandi, ibid.* quibus in ecclesiis *stricte est praeceptiva, ibid.*

Benedictio cum pyxide, V. *Pyxis.*

Benedictio cum SS. Sacramento, de *pluribus benedictionibus* cum SS. Sacramento *eodem die et in eadem Ecclesia,* 690.

Benedictio domorum in Sabbato Sancto, *plura quaesita* circa hanc benedictionem, 632.

Benedictio Fontis, de *oleorum infusione* in hac benedictione, ad n. 79, 11 — ad n. 80, 12 — V. *Aqua pro Fonte baptismali.*

Benedictio post Communionem, extra missam *quomodo danda,* decr. S. R. C. in *Lucionen* ad n. 76, 8.

Binatio Missae, quaestio Acad. Lit. Rom., 327 — Pontificiae dispositiones *circa modum dies festos suppressos recolendi,* 328 — num *in solemnitate S. Ioseph,* et *festis SS. Corporis Christi,* ac *Nativitatis B. M. V.,* prout in casu, *licitus sit usus privilegii binationis,* 330 — utrum pro binatione *aliquid accipi possit,* 331.

Breviarium Romanum, V. *Rubricae Breviarii Romani.*

C.

Cadaver, V. *Delatio cadaveris.*

Calendarium, de usu calendarii pro Sacerdote celebrante in *Oratorio publico* vel *semipublico Sororum Religiosarum,* 43, 113 — de usu calendarii pro dioecesibus *Vizagapatamensis et Nagporensis,* S. R. C. decr., 449 — de quadam dispositione Calendarii *pro Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes,* 55 — de *extensione* decreti 28 Oct. 1913 *circa calendarii approbationem,* 61 — de *quadam calendarii dispositione* in Gallia, die 31ª Maii, 583.

Calix, an calix *non consecratum* ad Missae celebrationem adhibitus *consecratus evadat, si cum eo Sacrum peractum fuerit,* 434 — V. *Celebratio Missae, Fragmenta.*

Campana, de *emortuali* campanarum sonitu, 510.

Candela, V. *Benedictio candelarum.*

Canonici, V. *Insignia canonicalia.*

Cappa, V. *Crux pectoralis, Insignia canonicalia, Stola, Vestis sacerdotalis.*

Cardinales, V. *Crux pectoralis.*

Carmen, V. *Funus.*

Castrum doloris, V. *Photographia, Vexillum.*

Casus conscientiae, super casuum conscientiae *reservationibus,* decr. S. C. S. O., 577.

Celebrans, V. *Genuflexio.*

Celebratio Missae, *quo tempore* permittitur Missae celebratio, 447 — quo in casu sacerdos celebrans *potest per se anticipare vel posticipare horam Missae,* 448 — Episcopus *in casu particulari dispensare potest* a lege circa tempus celebrationis, 492 — an sacra Nativitatis D. N. I. C. nocte, *una tantum Missa celebrari possit,* et *Eucharistiam in ea ministrare ibid.* — *fragmentis et calici non purificato, nocte Nativit I. C., genuflectendum non est,* 493 Missae *privatae* celebrari nequeunt *in altari chorali, dum Horae canonicae persolvuntur,* 494 — de *Episcopi facultate* circa Missae celebrationem in Oratorio domestico *solemnioribus anni diebus,* 505 — de Missae celebratione *in quodam irregularitatis casu,* 550 — V. *Defectus in celebratione Missae, Ecclesia, Feria V in Coena Domini, Missa privata, Missa pro defunctis.*

Cerei altaris, quo ordine accendendi, 11.

Cineres, V. *Benedictio candelarum.*

Circumcisio Domini, V. *Titularis.*

Collecta, de oratione *imperata seu collecta,* 421 — *quid venit nomine collectae pro re gravi,* quando recitanda, quando omittenda, et *sub qua conclusione,* 505 — quando plures sunt ,collectae imperatae, *quonam ordine sunt recitandae,* 506.

Color paramentorum, de paramentorum colore, 94 — quomodo obliget *in conscientia,* 317 — utrum *una tantum pro omnibus coloribus* sufficiat *planeta,* 311 — quae *regula sequenda* circa paramentorum colorem, tum *altaris,* tum *Ministrorum,* in Missis et aliis functionibus SS. Sacramenti, 196.

Commemoratio in Missa, commemoratio SS. Sacramenti, *ob identitatem Mysterii quando omittenda,* si Missa celebretur *in altari Expositionis ex publica causa,* 501 — *semper omittitur* si expositio fiat *ex causa privata, ibid. de oratione pro defunctis* in Missis ferialibus *expositionis tempore,* 503 — V. *Collecta.*

Commemoratio Officii, V. *Credo.*

Communio sacra, *quomodo danda benedictio* in sacrae communionis distributione *extra Missam,* decr. S. R C. in *Lucionen.* ad n. 76, 8 — *conclusio longa* praescribitur pro oratione *Spiritum nobis, Dne.* dicenda post communionem *tempore paschali,* 10 — de *communione sacra* in Missa noctis Nativitatis Domini *in Oratoriis vel Ecclesiis Religiosorum Institutorum* extraneis ministranda, 113 — de Clerico *cum cereo accenso* comitante Sacerdotem communionem sacram distribuentem *in Missa privata,* 178 — Monialibus communio, consuetudine non obstante, *dari nequit ante Missam conventualem,* 241 — *administrari nequit in altari,* ubi expositum invenitur SS. Sacramentum, 309 — *cum rocheto* administrari nequit, 313 — de *stolae colore* in Eucharistiae administratione, 315 — utrum liceat cum paramentis nigri coloris *altare SS. Sacramenti adire et Eucharistiam ministrare,* expleto in alio altari sacrificio, *ibid* — de communione *necne ministranda* in Sabb. Sancto, 440 — V. *Stola.*

Communio pro infirmis, de communione pro infirmis *devotionis causa* deferenda, 441.

Completorium, V. *Vesperae.*

Concentus musicorum, qui musici concentus permittuntur, quique prohibentur in ecclesia, *iuxta Motu proprio Pii Papae X,* 247 — *qui locus assignandus* eisdem musicorum concentibus *in sacris processionibus,* 249.

Conceptio Immaculata, V. *Abstinentia.*

Concessiones tempore belli, declarantur et extenduntur, *decr. S. C. S. O.,* 65.

Conclusio Orationum, V. *Communio sacra.*

Conditor, V. *Titulus Conditoris.*

Confraternitas B. M. V. Perdolentis, V. *Maria Virgo.*

Conopaeum, de *colore* conopaei altaris, 93.

Cor Iesu, V. *Missa votiva SS. Cordis Iesu.*

Corona spinea, de *authenticitate* Reliquiae Spineae Coronae D. N. I. C. *pro eius expositione,* 693.

Corpus Christi, V. *Binatio Missae.*

Credo, in quanam Missa locum non habent influxus commemorationis Officii *quoad Credo,* si hoc Officium *iure ad Credo gaudeat,* 408.

Crucifixus, V. *Crux altaris.*

Crux altaris, de *Crucis qualitate* pro altari, 99, 250.

Crux pectoralis, utrum Episcopi et Cardinales *possint cum deferre* non tantum super Mozzetam vel mantelletum, *sed etiam super Cappam,* 340 — continuatio, 257 — *de usu gestandi crucem pectoralem super cappam magnam.* 705.

D.

Dedicatio Ecclesiae, de officio Dedicationis Cathedralis *in altera Concathedrali,* 57 — *quinam de Clero* tenentur ad Dedicationis officium, 58 — de die *pro celabratione* Anniversarii Dedicationis, 63 — *dubia* de festo Dedicationis Ecclesiae, S. R. C. decr. *Sedunen.,* 393.

Defectus in celebratione Missae, de defectibus in Missae celebratione, 643.

Delatio cadaveris, de quadam consuetudine *in delatione cadaveris,* 508.

Depositio a Cruce, V. *Titularis.*

Diaconus, an diacono *liceat Eucharistiam ministrare,* et *S. Viaticum infirmis deferre,* 638 -- diaconus *extraordinarius*

minister est baptismi et tantummodo *ex delegatione et licentia* illum administrare potest, 639.

Dignitates, V. *Insignia canonicalia.*

Dominicae Quadragesimae, utrum in Dominicis II, III, IV, Quadrag. *cantari possit Missa de Sancto transferendo* iuxta Rubricam VI Missalis, 88.

Domus B. M. V., V. *Translatio domus B. M. V.*

Doxologia, an *in primis Vesperis* alicuius festi B. M. V., de quo fit solummodo commemoratio, doxologia « *Iesu tibi sit gloria* » locum habeat, 605.

E.

Ecclesia, *execrata vel polluta* an reconciliari liceat *a simplici sacerdote,* 438 — an sacerdos Missam celebrare possit non in ecclesia, *sed sub dio, vel alio quovis loco,* 439 — V. *Dedicatio Ecclesiae, Titularis.*

Eleemosyna pro Missa, de eleemosyna pro Missa celebrata *in loco dissito* percipienda, 68 — quid statuat Ius Canonicum et Liturgicum pro celebratione Missae, *ac pro legitima acceptione,* 69 — quare tantum in die Nativitatis Domini *liceat accipere tria stipendia,* 70 — quid dicendum in casu proposito, 71, 177.

Elogium funebre, V. *Sermo.*

Episcopus, V. *Crux pectoralis.*

Eucharistia, quibusdam in ecclesiis *permittitur SS. Eucharistiam asservare,* 495 — an sub praecepto *quotidie missa in eodem altari,* uti in casu, *celebranda sit, ibid.* — quid possit Episcopus *circa concessionem facultatis asservandae Eucharistiae,* 496 — quid si *super cappellam,* ubi asservatur Eucharistia, *adsit cubiculum, ibid.* — an sit *de praecepto* ut Eucharistia asservetur *in maiore altari,* 497 — S. Species *permanenter pluribus in altaribus* asservandi nequit, ibid. — de *luce electrica et luminibus* candelarum loco *in altari et tabernaculo,* in quo Eucharistia asservatur, 498 — Eucharistia vel *ad formam rubricae ab aurora ad meridiem ministrari potest,* vel *ad formam indulti* eidem ecclesiae concessi, 639 — *militibus ad proelium vocati* ex decr. 11 Febr. 1915 Eucharistia *per modum Viatici dari*

potest, ibid. — de asservatione Eucharistiae, 689 — V. *Communio sacra, Communio pro infirmis, Diaconus, Expositio Eucharistiae Thronus.*

Episcopus, V. *Crux pectoralis.*

Exequiae, de exequiis explendis *solemnioribus diebus,* 510. — *De exequiis et funeribus S. R. E. Cardinalium in Romana Curia,* 705.

Expositio Eucharistiae, quando et quo modo fit *ex publica* et *privata causa,* 501.

Extrema Unctio, V. *Unctio Extrema.*

F.

Feretrum, V. *Absolutio ad tumulum, Photographia, Vexillum.*

Feria V in Coena Domini, utrum in hac Feria, iustis ex causis, *plures Missae celebrari possint,* vel Missa *saltem privata,* 439.

Festa cum concursu populi, an *rite ordinentur* quaedam festa *cum populi concursu celebranda,* 53.

Festa feriata, de festis *feriatis,* 162.

Festa suppressa, V. *Binatio Missae.*

Festum, V. *Solemnitas externa festorum, Titulares, Vesperae.*

Fons Baptismalis, V. *Aqua pro fonte baptismali, Benedictio Fontis.*

Formulae precum, indulgentiis ditatae *non sunt interpolandae, S. C. S. O. decr.* 512.

Fragmenta, V. *Celebratio Missae.*

Functiones Maioris Hebdomadae, *quibusnam in ecclesiis* faciendae, 691 — *de functionibus sacris a S. R. E. Cardinalibus in Urbe celebrandis* et *de caeremoniali Capellae Papalis,* 705 — *ubi et iuxta quamnam formam Officia Hebdomadae Sanctae, aliaque similia peragi possint vel debeant,* 714.

Funus, utrum in funeribus *permitti possunt* et *quibus conditionibus* funebres *sermones, carmina* et *inscriptiones* in ecclesia, 310 — V *Photographia.*

G.

Gaz, V. *Eucharistia.*

Genuflexio, quomodo Celebrans genuflectere debeat *ante altare SS. Sacramenti,* si Missam in alio altari celebraturus, *ante*

illum pertransire debeat, 414 — de *genuflexionibus faciendis necne* in administratione Eucharistiae, si *ad altare redeundum sit ad aliam pyxidem sumendam,* 666.

Genuflexiorum, de genuflexoriorum usu in sacris functionibus *pro ecclesiasticis* in genere et *pro saecularibus,* 540.

H.

Hebdomada Maior, V. *Functiones Maioris Hebdomadae.*

Hermenegildus (S), *quot et quales orationes dicendae sint* in Missa tam de festo quam de Feria maiori *in festo S. Hermenegildi,* occurrente in aliqua Feria *post Dominicam Passionis,* 416.

Horarium legale, quoad novum horarium legale *sciscitationes et responsa,* 468.

Hymni, in functione coram SS. Sacramento publice exposito, *stando canendi sunt,* 164.

I.

Imagines, *quales imagines et quando cooperiendae sunt* si Sacramentum *inveniatur expositum,* 19 — de imagine B. M. V. *vestibus sacerdotalibus induta,* 325 an *substituere liceat* imaginem et titulum altaris, nec non titulum alicuius Ecclesiae, 377 — V. *Translatio imaginum.*

Imago defuncti, V. *Photographia.*

Indulgentiae, Oratio *ad populos christianos Orientis cum Romana Ecclesia iungendos,* indulgentiis ditatur, *Litt. Apostolicae Benedicti XV,* 321 — oratio quaedam *ad S. Petrum Apostolorum Principem* indulgentia ditatur, 323 — *declaratur dubium* circa indulgentiam adnexam christianae salutationi « *Laudetur Iesus Christus* » *decr. S. C. S. O.,* 325 — V. *Tertiarii, Sodalitates.*

Inscriptiones, V. *Funus.*

Insignia canonicalia vel dignitatum, de eorum usu in Ecclesia, 101

Ioseph (S), V. *Binatio Missa, Missa exequialis.*

Iste Confessor, V. *Versus tertius.*

L.

Lampas SS. Sacramenti, de *lampade* coram SS. Sacramento, decr. S. R. C., 129.

Laudes, V. *Matutinum.*

Laudes vespertinae, de *variis praxibus* in laudibus vespertinis persolvendis *in functione sacra cum SS. Sacramento,* 19.

Lectiones, de *lectione nona Sanctorum* infra octavas privilegiatas *secundi ordinis,* 121 — *quando et de quali loco* sumendae sunt lectiones I Noct. *de Communi,* 594 — V. *Responsoria.*

Lectiones infra Octavas, de lectiones infra octavas, *quae non sunt in Breviario Romano,* ex Octavario desumendis, 397 — de *Octavario Romano,* 401 — utrum Episcopus *possit ex Octavario lectiones desumere* pro Octavis festorum *suae dioecesis;* et *quid ad rem tradunt* Auctores liturgici, 402.

Litaniae, de Litaniis *coram SS. Sacramento exposito,* 21.

Litaniae B. M. V., de *quadam immutatione in his litaniis* post Rosarii recitationem pro defunctis, 60 — de ℣. *et Oratione* post Litanias *ante benedictionem* cum SS. Sacramento, *ibid.*

Litaniae Maiores, de *Missa unica* in parochiali ecclesia, si occurrant hae Litaniae S. Marci *in Solemnitate S. Ioseph.,* 57.

Lux electrica, de *usus istius lucis* in altari, 164 — V. *Eucharistia, Lampas coram SS. Sacramento.*

M.

Mappula, V. *Ordinatio sacra.*

Maria (B) Virgo, de Missa votiva B. M. V. *de perpetuo Succursu,* 168 — S. R. C. decr. *circa Missas celebrandas in ecclesiis,* in quibus erecta est *Confraternitas VII Dolorum B. M. V.* vel *Tertius Ordo Saecularis Servorum B. M. V.,* Dominica III Sept., 516.

Mantelletum, V. *Crux pectoralis.*

Matutinum et Laudes, *quonam tempore* in choro recitandum, 617.

Minister, in sacrificio Missae *utrum sit absolute necessarius,* 246.

Missa, de Missa in Oratorio *privato,* 243 — *quibus in casibus et ad quem finem conceditur Rescriptum infirmitatis causa,* 244 — Missa an celebrari valeat in altari *in quo expositum invenitur SS. Sacramentum,* 307 — *Missae privatae* in altari chorali *dum Horae canonicae persolvuntur,* celebrari nequeunt, 494 — V. *Binatio Missae, Celebratio Missae, B. Maria Virgo, Solemnitas externa festorum, Symbolum.*

Missa cantata, de *pluribus Missis cantatis* de eodem sancto, *in eadem ecclesia,* et *eodem die,* 459.

Missa conventualis, quaenam personae religiosae *ad conventualem Missam obligantur,* 660 — an adstricti ad Missam conventualem, pro Conventus benefactoribus *cum applicare debeant,* 662 — *post quamnam Horam Canonicam* celebranda est, *ibid.* — V. *Communio sacra.*

Missa de Requie, de Missis de requie *in aliis altaribus,* dum SS. Sacramentum *solemniter manet expositum,* 62 — de *modo* celebrandi Missas pro defunctis, *in Officio post sermonem,* quem vocant « *de animabus* » 85 — de *qualitate* Missae de requie pro defunctis *magni terraemotus,* 126 — quaenam eligenda in Officio *quod fiat in suffragium militum praelio defunctorum,* 127 — de consuetudine celebrandi Missas *in defunctorum domo,* 509.

Missa de Requie cum cantu, de hac Missa *praesente cadavere* in Dominica, *in quam tranfertur solemnitas externa festi,* 64 — de consuetudine *plures Missas* et *Absolutiones canendi* in die Commemorationis *Omnium Fidelium Defunctorum,* 257.

Missa de Sancto, de Missa de Sancto simplici a Sacerdote celebranda *in ecclesia non sua,* 117 — de Missa *de Sancto simplici* in Quadragesima, 419 — V. *Dominica Quadragesimae.*

Missa exequialis, non videtur prohibita *die festo S. Ioseph 19 Martii,* 346 — de Missa exequiali *iterum peragenda,* 365 — de eadem Missa, 566 — V. *Missa de Requie cum cantu.*

Missa in Sabbato Sancto, *privata* sine peculiari Sedis Apostolicae indulto *prohibetur,* 670.

Missa privata, V. *Missa.*

Missa pro defunctis, V. *Missa de Requiem.*

Missa Repositionis, nequit dici permissa *si SS. Sacramentum de sero reponatur,* 346.

Missa SS. Cordis Iesu, de *privilegio Missae propriae SS. Cordis Iesu* sive solemnis sive lectae, 635.

Missa S. Mariae in Sabbato, de *orationum ordine* in quodam peculiari casu, 167.

Missa solemnis, an talis dici queat Missa *quae fit absque ministris, cum unico cantore* et *sonitu tantum organi,* 635 — *Solemnitas externa.*

Missa Vigiliae, de *privilegiis* Missarum in vigiliis, 548.

Missa votiva, si celebretur de aliquo Sancto, *utrum legi possit quae de eo habetur pro aliquibus locis,* 668.
Missa votiva de B. M. V., de orationibus in hac Missa, 167 — de Missa votiva *Immac. Conc. B. V. M.* apud Franciscanos, 597.
Missa votiva lecta, de hac Missa *ex indulto permissa* in duplici mai. et min., 417.
Missa votiva SS. Cordis Iesu, de hac Missa et *precibus post Missam,* decr. S. R. C., 452 — de hac Missa feria VI, *quae prima est in mense,* occurrente octava Domini, 111.
Missae Gregorianae, de missis *Gregorianis,* 361.
Moniales, Sacerdotem Eucharistiam *religiosae infirmae deferentem intra monasterium* comitantes cum candelis accensis, *Sacramentum sequi debent,* 55 — *Communio sacra.*
Mozzetta, V. *Crux pectoralis, Stola, Vestis sacerdotalis.*
Musici concentus, V. *Celebratio Missae.*

N.

Nativitas B. M. V., V. *Binatio Missae.*
Nativitas Domini, an liceat, sacra Nativitatis I. C. nocte, *unam aut tres rituales Missas celebrare* et *Eucharistiam administrare,* 492 — V. *Celebratio Missae, Communio sacra.*
Numismata, dubium solvitur de sacris numismatibus *scapularium loco benedicendis, decr. S. C. S. O.,* 387.

O.

Octava, de *influxu alicuius octavae,* cuius commemoratio est omittenda, *in Officio et Missa,* 589.
Octava privilegiata, de *octavis privilegiatis* alicubi concessis, 455 — V. *SS. Petrus et Paulus.*
Octavarium Romanum, V. *Lectiones infra octava.*
Officia Beatorum, de *ritu* quocum celebranda sunt *Beatorum officia* in determinatis locis concessa, 596.
Officia translata, an *bene disponantur* quibusdam diebus, 54.
Officium chorale, *quaenam personae Religiosae* ad hoc officium tenentur, 654 — V. *Matutinum ad Laudes.*

Officium divinum, de onere recitandi divinum officium *pro militibus in sacris ordinatis,* 133 — declaratio circa obligationem divinum officium recitandi *pro dictis militibus, decr. S. Poenit. Apostolicae,* 193 — V. *Officium chorale.*

Olea Sacra, de *Sacerdotum et sacrorum ministrorum numero* in benedictione et consecratione Sacrorum Oleorum, decr. S. R. C., 130 — V. *Benedictio Fontis.*

Oleum benedictum pro baptismo, V. *Baptismus.*

Oratio imperata, V. *Collecta.*

Oratio pro defunctis, de oratione pro defunctis *in ferialibus Missis, expositionis tempore,* 503.

Orationes, de orationibus *in Missis cum cantu pro defunctis,* 686 — V. *S. Hermenegildus.*

Oratorium, quaenam oratoria *publica, privata, semipublica,* et in quibusnam ex his *praecepto de Missa audienda satisfieri potest* ac *sacram Eucharistiam distribuere licet,* 437 — an liceat *privatum* oratorium *consecrare aut solemniter benedicere,* 440.

Ordinarius castrensis, extensio iurium ac potestatis Ordinarii castrensis *apud Belgarum exercitus, decr. S. Congr.* pro *Negotiis ecclesiasticis extraordinariis,* 66.

Ordinatio sacra, in generalibus solemnibus ordinationibus *quando incipiendum officium,* 151 — de *mappula pro ligandis manibus* Presbyterorum post sanctam unctionem, 165.

P.

Pallium altaris, de *colore* huius pallii, 93.

Palmae, v. *Benedictio Candelarum.*

Paramenta, V. *Color paramentorum.*

Passio D. N. I. C., *quomodo cani debet* iuxta Rubricas, 184 — an liceat *in eodem cantu uti organo,* 185.

Patronus, V. *Calendarium, Solemnitas externa.*

Petrus (SS.) et Paulus, de Eorum *octava privilegiata* Romae et in eius districtu, 461 — V. *Abstinentia.*

Photographia, defuncti *in feretro* exponi nequit, 58, 312.

Pileolus, de eius *origine et usu,* 37 — V. *Vestis sacerdotalis.*

Planeta, V. *Color paramentorum.*

Pontificale, de Pontificalium usu *pro Dignitate capitulari* in quadam Cathedrali, 554.

Praelati, V. *Insignia canonicalia.*

Preces, V. *Formulae precum, Absolutio.*

Preces post Missam, V. *Missa votiva SS. Cordis.*

Processio, de *duabus processionibus* in honorem *eiusdem Sancti, eodem die in eodemque loco,* iuxta consuetudinem *in Italia meridionali* vigentem, 474.

Pyxis, quomodo exponenda *in functione serotina,* 181 — *qui fidelium numerus* requiritur in ecclesia *ut exponi possit,* 182 — benedictio danda est pyxide *humerali velo cooperta* et *prohibetur eius osculum* data benedictione, 183.

Q.

Quarta funeraria, V. *Missa exequialis.*

R.

Religiosi, V. *Missa eventualis, Officium chorale.*

Reliquia, V. *Corona spinea, Thronus.*

Responsoria, de *Responsoriis* quoties lectiones de Dominica *reponendae vel anticipandae sunt,* 120.

Rochettum, V. *Communio sacra, Vestis sacerdotalis.*

Rogationes, origo, 21 — de altari pro Missa celebranda *in reditu processionis ad ecclesiam,* 121 — de consuetudine *canendi versus et litaniarum orationes processionali itinere durante,* 122.

Rosarium B. M. V., de *publica Rosarii recitatione in Ecclesia,* et *quaenam observanda* ut in omnibus laudabiliter evadat, 489.

Rubricae Breviarii Romani, constitutio Greg. Papae XIII, qua Brev. Rom. Rubricae *magnopere illustrantur,* 222 — continuatio, 276.

S.

Sabbatum Sanctum, V. *Communio sacra, Missa in Sabbato Sancto.*

Sacramentum SS., de usu Sacramentum exponendi *in throno aut super altare,* 24 — V. *Benedictio cum SS. Sacramento. Eucharistia, Lampas coram SS. Sacramento, Missa Repositionis, Pyxis.*

Sandalia, de Romani Pontificis *sandalis eorumque ornamentis,* 73 — de sandaliis generatim, et de ornamento, *quod plures crucem putarunt,* 74 — de *tempore* quo certe crucem in sandaliis Pontifices *adhibere inchoarunt,* 215 — de *mystica* Pontificum calceamentorum *significatione* in genere, 270 — de *significatione lilii aut trifolii,* quod plures crucem putarunt, 332 — de *mystica crucis significatione* in Romani Pontificis sandaliis expressae, 336 — *quid fecerint RR. Pontifices* ut praefatos sensus manifestarent, 403 — quaedam *salutares et fructuosae reflexiones* super exposita doctrina, 649.

Scapulare, V. *Numisma.*

Sepulcra mortuorum, an mortuorum sepulcra *apud altaria permittantur* et *quo in altari,* ut in casu, *S. Sacrificium celebrari possit,* 244.

Sequentia, de sequentia *in defunctorum Missis,* 688.

Sermo, pro quibus defunctis *sermonem habere liceat* in occasione funeris, 57 — V. *Funus.*

Sodalitates, *ad promovendas adiuvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur,* 713.

Solemnitas externa festorum, de solemnitate ista, et *Missis in ea celebrandis, decr. S. R. C.,* 131 an *recte ordinetur* quibusdam in Dominicis, 51 — de *modo* hanc solemnitatem celebrandi, 179 — an de aliquo festo, *intra hebdomadam occurrente,* solemnitas externa *in Dominicam proxime insequentem transferri possit,* et *de ea Missa solemnis* cantari, 303 — de solemnitate externa Sancti Titularis *in Dominica infra octavam celebranda,* 518 — quid *venit nomine solemnitatis externae* alicuius festi, 634. V. *Missa praesente cadavere.*

Spinea corona, V. *Corona spinea.*

Stola, de *usu stolae eiusque colore* in publica *Rosarii* recitatione, et in exercitio *Viae Crucis,* 125 — de stolae colore *in Communionis extra Missam distributione adhibenda,* 195 — de stolae *significatione, colore et usu,* 574 — continuatio, 630 — V. *Baptismus, Communio sacra, Vestis sacerdotalis.*

Suffragium, V. *A Cunctis.*

Symbolum, dum cantatur *Missam prosequi non licet,* 316 — V. *Credo.*

T.

Tabernaculum, V. *Eucharistia.*

Tapete, de tapetium usu in sacris functionibus *pro ecclesiasticis in genere et pro saecularibus,* 545.

Tempus pro celebratione Missae, V. *Celebratio Missae.*

Tertiarii Saeculares, *S. C. S. O. decretum,* quo plura solvuntur dubia *circa Indulgentias* a Tertiariis saecularibus Ordinis Minorum *lucrandas,* 513 — *lucrari possunt omnes indulgentias* absolutionibus generalibus adnexas et *Franciscalibus I et II Ordinis directe concessas,* 675 — V. *Calendarium.*

Tertius Ordo Servorum B. M. V., V. *Maria Virgo.*

Tertius versus, V. *Versus Tertius.*

Thronus, de *peculiari quodam throno* pro expositione *Eucharistiae* et *Reliquiarum,* 561 — V. *SS. Sacramentum.*

Thuriferarius, de *loco et standi modo pro thurificatione* in benedictione SS. Sacramenti, 106.

Translatio Almae Domus B. M. V., de huius translationis festo, *S. R. C. decretum,* 391.

Translatio festorum, V. *Dominica Quadragesimae, Solemnitas externa festorum.*

Translatio imaginis, de *translatione imaginis Mysterii,* cuius nomini dedicata est ecclesia, *ab altari maiore,* 606.

Titularis, de *Titulari recolendo* peculiaris casus, 42 — de quadam ecclesia *bis consecrata,* quoad Titularis festum, 83 — de Titulari pro Ecclesia *Circumcisioni Domini* et *Depositioni a Cruce* dicata, 126 — de Titulari, *S. R. C. decr. Vizagapatamensis* et *Nagporensis,* 449 — V. *A Cunctis, Calendarium, Imago, Solemnitas externa festorum.*

Titulus, V. *Titularis.*

Titulus conditor, de duobus vocabulis « *Tituli Conditoris* » quae bis inveniuntur in Hieronymiano Martyrologio, 535.

Tumulus, V *Feretrum, Funus Photographia, Vexillum, Absolutio*

U.

Unctio extrema, *qui ritus praescribitur* in administratione huius Sacramenti *plurimis infirmis,* 187 — quandonam *licet uti breviori formula* et *gossypio,* 188.

V.

Velum humerale, post benedictionem *quando deponendum,* 17.
Versus tertius, in hymno *Iste Confessor* quando mutandus, 171.
Vesperae, de ordinandis Vesperis *quando die subsequenti officium fit de eadem die infra octavam,* 590 — de *ordinandis Vesperis et Completorio* in festorum concurrentia *diversae nobilitatis,* 593 — V. *Doxologia.*
Vestis sacerdotalis, de sacerdotalibus vestibus *in Sacramentorum et Sacramentalium administratione,* 28.
Vexillum, de *nationali vel militari vexillo* in tumulo, 59.
Vigilia, V. *Missa Vigiliae.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma